JUENGKEN (Joannis Helfric). Praxis medica, sive corporix medicina, mor-
m internorum corporeae machinae fere omnium et fiendi et curandi
odum...Editio altera - Francofurti, Zieger & Lehmann, **1698** - In 8° ril. pelle
oca (logora), pp. (14)-1020-(2), frontespizio rosso e nero, bella antiporta
orica con il medico al letto dell'ammalato ecc. Alcuni tarletti. **L. 280.000**
o a Francoforte, Juengken, 1648-1726, membro dell'Accademia imperiale, fu
ico rinomatissimo e di pratica assai brillante, come ben si nota in quest'opera,
una delle sue più famose in cui i vari morbi sono esposti in ordine alfabetico e seguiti
di volta in volta dalla descrizione, diagnosi e terapia in cui l'uso della chimica
farmaceutica risulta essenziale e "moderno"; Hirsch, III, 421; Bayle, II, 427).


EX LIBRIS
B. B.



IOANNIS HELFRICI IUNGKEN M. L.

PRAXIS MEDICA.

Impensis IOANNIS ZIEGERI;

JOANNIS HELFRICI JÜNGKEN,

Physici Francofurtens.

PRAXIS MEDICA,

Sive

CORPORIS MEDICINA,

MORBORUM INTERNORUM CORPOREÆ MACHINÆ FERE OMNIUM, ET FIENDI ET CURANDI METHODUM,

Juxta

Modernorum Practicorum Saniora Principia,

Nudis exhibens terminis.

EDITIO ALTERA.

FRANCOFURTI,

Impensis JOANNIS ZIEGERI, Et GEORGII LEHMANNI.

Typis JOANN. PHILIPPI ANDREÆ.

Anno M DCXCVIII.



Benevole Lector.

Cum Artis Medicæ tanta difficultas, & in plurimis, Cimmeriis umbris hactenus intricata verior notitia, hoc exigere videantur, ut ad certiora fundamenta, & magis infallibiles curandi rationes, vel divinationes ad minimum eruendas, junctis contendamus manibus: hinc meum hunc conatum forte veritatis amantibus non fore exosum spero.

Præstiterunt sua Veteres & præiverunt, sed simplicioribus & accidentalibus saltem morborum causis inhærentes, simplicioribus item instructi medicaminibus, Medicinam facere soliti erant.

Nos, cùm dies diem docuerit, paucos intra annos opinionum, non minus, morborum causas concernentium, ac medicaminum tanta farrigine Artem obrutam obtinemus Medicam, ut vix Argus veritatem

extricare inde queat, & ideo ferè magis consultum videatur, illi farragini subtrahere, quam addere: vel magis Veritati consentanea contrahere.

Præstare hoc volui in hac mea Praxi, ubi veriores quæ mihi visæ fuêre rationes, circa morborum fiendorum causas & modos, servavi, cum medicaminibus paucis selectis; Reliqua & superflua saltem suo reliqui valori, neque laudare, neque vituperare volui; neminem in meam partem cogens, nisi quis rationi rectæ consentanea ea deprehendens, lubens mecum sentire voluerit.

Normam saltem mihi & amicis, veritatis cultoribus struxi, Machinæ corporeæ, ope Anatomiæ detectæ structuræ, & variis ejus texturis, tam quoad solidas, quàm fluidas partes, ac harum perpetuo circulo innixam, nullis neque verborum ambagibus, neque è longinquo deductis, obscuris nominibus obscuratam, sed nudis circumscriptionibus dilucidatam, ac juxta Alphabeti

beti seriem, quemcunque morbum subitò Lectori offerentem, Indicis loco.

Clarum fiet perlegenti, me non veterum more inani loquendi modo, aut verbis nil significantibus, usum, sed planis omnia vel verbis, vel nudis circumscriptionibus L.B. exposuisse.

Pro exemplo sit, veteribus semper in ore, Natura; *hanc Morborum esse curatricem quidem cognoverant, sed quid esset in se hæc Natura, sanè latebat: & multos hactenus latet, scitu adeo necessarium, & principalissimum* Medici *ferè* Objectum, quod *Deo benedicente,* circulantium humorum interruptum motum, sive *ipsam* sanguinis & liquorũ inde emergentium reliquorum circulationem esse comperimus, cum suis organis rite constitutis & contextis.

Huic sanè omnes illæ competunt proprietates, quas veteres ignotæ suæ attribuere solebant Naturæ.

Nulla etenim alia est morborum curatrix, nilque aliud Medici ministerio opus habet,

bet, quam ipsa humorum circulatio, & ejus interruptus motus, quo in statu semper quo servetur, ut suos semper impeditè transeat canaliculos & tubulos.

Circulationis ope minima crescunt & augentur, quid ni & ejus causa destrui rursus poterunt.

A fluidis namque & eorum motu, solida omnia dependent.

Et quando pro ratione particularum contentarum, singulari modo inter se combinatarum sive textarum, corpus aliquod formant, tum ut illud augeant, iisdē particulis nutrire opus habent: quamprimum vero heterogenei quid se particulis ordinariis immiscet, tum in hac vel illa parte id appositum, extraordinarii quid involvit, quod alias benè abesse potuisset, & hac ratione ab origine aliquando morbosa exoritur dispositio, quam si circulatio haud removet, nec adjuta removere amplius sufficiens existit, manent morbi hæreditarii in solidis quidem partibus irreducibiles & incurabiles. Sed si in tempore circulanti succurritur Naturæ, & heterogenea auferuntur, homogenea

verò

verò restituuntur, tum malo sic obviã itur.

Sanè cum corporis nostri structura, & variarum ejus partium textura, non nisi nutrimento circulatione mediante advecto augeatur, crescat, & in pleno conservari queat statu: non etiam aliunde vitium solidis nostris corporis partibus affricari poterit, quam à fluidis illis circulantibus humoribus, & eorum variis contentis: Neq; aliunde rursus removeri poterit vitium quam ab ipsis circulantibus humoribus, contentis magis aptis & homogeneis præditis

Activum ergò id, quod Naturam *vulgò* vocare consueverunt *Medici*, Circulatio est partium corporis fluidarum, *ex plurimis particulis constantium. Hæ quando vel crassitie, visciditate, acredine &c. iis ab origine non sunt æquales, atque sic illæ abortu factæ texturæ, partium harum vel illarum solidarum, non respondent, tubulosqe subtilissimos haud amplius penetrant, tum semper insequentibus interim vel aucti vel propulsi, tubulos illos vel obstruunt, vel dilacerant, sicque ordinariam*

texturam invertunt, circulationemque liberam interturbant, morbosq; generant. Hi jam morbi curantur vel Natura vulgò, sive circulatione partibus heterogeneis privata, vel per se, vel Medicaminum ope: Atque sic hæc Natura circulans obstructas vias reserat rursus, vel vitiosè contextas restituit denuò.

Omnia ideoque Artis Medicæ fundamenta circulantium humorum motui superstruenda veniunt; *Hic verò pro contentorum diversitate varius est: & ab eo dependent tot diversa hominum Temperamenta, à Veteribus, ab effectibus saltem judicantibus, solo qualium effectu, vel frigido, calido &c. mensura.*

Sequitur verò circulantium humorum motus, & inde deducta Temperamenta sive effectus, suarum particularum variè inter se textarum dispositionem. Moles namque volatiles sive subtiles, quaro dominium obtinent, tum hæ à subtili æthere citissimè commotæ, reliquas crassiores simul secum rapiunt, & circulari faciunt, secus quam si

craf-

crassiores præponderant, tum hæ ætheris subtilis motum impediunt, cumque eo lente progrediuntur, & pro diversa talium particularum subtilium & crassiorum mixtura & textura, tanta reperitur Temperamentorum diversitas.

Vix enim offendimus homines æquali particularum mensura, proportione & textura, sibi similes, neque sic etiam solidarum partium structura saltem externa æquales exactè.

Nanciscuntur verò particulas suas varias circulantes humores ab alimentis variis, vel ex aëre: in quorum resolutione emergunt varia contenta, vel volatilia alcalia, vel fixiora acida &c.

Atque pro formali hac Temperierum causa, plures ex Modernis, Temperamenta consueverunt vocare, vel Acida vel alcalina, &c. à Veteribus ab effectu, Melancholica, Biliosa &c. appellata.

Concludat hinc B. L. quantum devient Veterum Principia, à nostris modernæ Praxeos Medicæ fundamentis, quæ in ipsa inquirimus radice.

Si

Sic Morborum cauſas in ipſis circulantium humorum conſtitutivis, & eorum variis mixturis præternaturalibus, ſano corpori moleſtis, & ſolidarum partium texturas vel invertentibus, vel vitiosè contexentibus, invenimus.

Conſervat verò Natura circulans corporis noſtri machinam, ſuppeditatis continuò alimentis idoneis, ex quorum particulis variis, pro hujus vel illius viſceris textura accommodatis, particulares ſecernit liquores, univerſali circulo rurſus accommodatos, veluti eſt univerſalis quaſi corporeus motor ſubtile illud ſpirituoſum ſive fluidum nerveum, tum Bilis, Succus Pancreaticus, Saliva &c. neceſſaria chylificationis inſtrumenta, & menſtrua.

Vel liquores, aut contenta heterogenea, ut urinam, ſudorem, mucum, tuſſi vel ſcreatione, vel excrementa craſſiora pel alvum plane proſcribit.

Cum verò hac ratione particulæ ab alimentis ſuppeditatæ rurſus ſecedant, iisque brevi tempore corpus privetur rurſus; ac vaſa plurimum deperdant liquoris circu-

lantis,

lantis, hinc remanentes crassiores & aeriores factæ, sensum quendam animæ deferunt, qui in famem & sitim desinit, sicque alimenta pro sui conservatione & circulatione continuanda exposcit circulans Natura.

Quo in negotio tum in limine statim Saliva adstat, quæ solidioribus cibis masticando comminutis se implicat, & constituentes particulas à se invicem dispescere instituit; in ventriculo tunc, lympha nervea, menstruo illo subtili, ulterius in chylum dissolvendas. Quibus tum ventriculo egressis in intestinis se immiscet Bilis, quæ acidas particulas prioribus menstruis nondum alteratas, tum in tertium quid transmutat, ac succo Pancreatico dehinc magis diluendas transmittit, quo vasorum lacteorum poris facilius respondeant, & ab eis absorberi queant commodius.

Atq; his menstruis sibi prospexit provida circulans Natura, à Deo ita jussa, ut pro conservando homine, & postulet, & perficiat pabulum adeò necessarium.

A vasis lacteis verò ad mesenterii glandulas, & ab his ad axillarem venam delatus chylus, rubro velari incipit colore, velocioris motus toties repetiti in hora saltem: vel salis volatilis, olei, spiritus, sive liquoris subtilis, particularum videlicet diversarum inter se singulariter contextarum, consequente & accidente.

Non enim rubedo ipsa sanguinis est Essentia, sed chylus albus, sive Lac; quemadmodum hoc commonstrant partes omnes corporis, quando post sanguinis excretionem albæ restant, non nisi ex lacte, vel albo nutritæ & generatæ.

Corruunt etiam ex præmissis & Qualitates & Facultates, à Galenicis morborum causis adnumeratæ: sed quam erroneè, modernorum saniora principia docent.

Quid enim aliud chylificatio sanguificatio, concoctio, retentio, expulsio &c. Et quid aliud frigidum, calidum, humidum, siccum, quam effectus à causa alia enati.

Causa sanè non est hujus vel illius partis, à Veteribus credita, sed re ipsa ignorata, Natura. Quod enim hæc pars concoquat, quod retineat, quod expellat &c. semper partis talis vel talis Natura in causa esse dicebatur, sicque obscurum per æquè obscurum explicabatur.

Nostris temporibus experimur effectus hos insequi partis hujus vel illius singularem texturam, & circulantiũ humorum singularem varium motum.

Imò Frigidum, Humidum, Calidum, Siccum non c... nisi certam circulantium humorum & particularum

cularum ejus dispositionem & texturam, sicque potius Qualem dici debere, quam Qualitatem, effectum talem, sentio.

Nullum item locum amplius meretur in homine Calidum innatum, & Humidum primigenium: cum circulans humorum motus, illius, Lactea verò eorum pars, hujus locum suppleat.

Sic & viscerum peculiaria Fermenta, qualia credunt plures adhucdum, non dantur: Circulatio namque ea refellit.

Quod verò Bilis in Hepate generetur, in Renibus urina secernatur, nō est à peculiari vel Hepatis vel Renum fermento, sed à singulari hujus vel illius visceris textura, cujus ope plures vel pauciores, vel simpliciores, vel magis composita particulæ transmissæ, constituunt vel hunc vel alium liquorem: quemadmodum in cujusvis resolutione clarum fit.

Quando ergò hujus vel illius visceris actio vel perit, vel vitiosa existit, non est à Fermento ejus vitioso, sed à Textura visceris vitiosa, inversa, aut destructa, sive obstruendo fiat, sive lacerando à fluidis partibus pr. nat. dispositis.

Postquam etiam sola circulatio variorum succorum, omnium effectuum Naturalium, sive sane corpori consuetorum, causa nunc deprehensa fuit: disparuerunt etiam tot in corpore nostro spiritus, vitalis, animalis, genitalis: nisi subtilissimos spiritus animales à nervis separatos, chymicis spiritibus adnumerari velimus.

Neq; enim hi sui juris sunt, & per se mobiles, sed eorum motus à circulante sanguine unicè dependet:

Sic

Sic videmus universali circulo in syncope &c. circa cor sufflaminato saltem, spirituum animalium, etiã motum subsistere, & corpus libero motu destitui.

Unicus in corpore spiritus Anima est, liberum illud imperans, mox hic mox alibi imperium suum exercens: ubi è contra spirituum nerveorum motus naturalis, antrorsum semper sit, ut fibras nerveas ubique tensas semper servet, quo objecta hic vel alibi impingentia, animæ deferri expeditè queant, & sic sensus exprimi.


Anima etenim est quæ sentit, & sensum distinguit, & non corpus, utpote quod causam saltem sensus continet.

Sed sufficiant hæc B.L. Paucis saltem indicare volui, quibus fundamentis hanc meam superstruxerim Praxin, quam si placere sensero, sequetur tandem Pars Prægnantium & Puerperarum affectus hac methodo tradens.

Si verò fortè plurimis non placuerit, quippe cum omnibus sentire impossibile sit, ignoscat peto, & ut magis certa communicet ipse rogo; labi enim & errare in nostra præcipue arte, non adeò difficile, in tanta præprimis opinionum abundantia, quippe quæ partim contrahi, partim novis indies augeri solet. Vale interim B.L. & fave illi, qui sincera mente, quæ rectæ rationi consentanea, & experimentis suffulta porrigit.

Joh. Helff. Jüngken, Reipubl. Francofurtens. Physicus Ordinarius.

Abor-



Abortus.

ANtequam ad affectus hujus definitionem, & insequentẽ analysin faciamus progressum, lubet paulisper partus legitimi ordinarium tempus, brevissimis indigitare. Hoc verò etsi ordinario in finem noni, & initium decimi mensis incidere feré soleat, non tamen arctis his cancellis semper includitur, quin vel ante vel post hoc tempus, in lucem edantur vitales, & omnibus numeris absoluti ac maturi infantes. Sic septimo, sexto, quinto, imo quarto mense à conceptione, editos fuisse vitales & perfectos; vel & ultra ordinarium dictum tempus, in undecimum videlicet vel duodecimum mensem, suum protraxisse nascendi terminum, indubitatæ fidei authores testes esse volunt.

Pro hoc ergò tam differente partus legitimi nascendi tempore, varium simul nanciscitur terminum, abortus tempus.

Sic quando propter matris robur, vel virilis seminis optimam constitutionem, fœtus ad maturitatem citius solitò pervenit, ita ut septimo, sexto, quinto, vel quarto mense nascatur

 per-

perfectus; tum ante hunc terminum debuisset fieri abortus.

Vel si ob morbosam parentum constitutionem tardius absolvitur maturatio, ita ut undecimo, vel duodecimo demum mense in lucem edatur partus, tum paucis ante mensibus, videlicet septimo, vel octavo potuisset fieri abortus, qui in præmisso casu, secundo, vel tertio mense, aliàs factus fuisset.

Sola ergò imperfectio, & immaturitas foetus abortum adesse denotant; quo mense etiam, vel tempore, in lucem is fuerit editus.

Proptereaq; Abortus est fœtus sive vivi sive mortui, sed immaturi, & sic ante legitimum sui pariendi tempus, cum maximis utplurimum doloribus, & anxietatibus, accidens exclusio.

Subjectum naturaliter constituit uterus.

Signa præsentis abortus, definitio habet. Imminentis verò indicia *Hippocrates aphorismo* 52. *S.* 5. promulgat: Mulieri utero gerenti, si lac copiosum è mammis effluit, fœtum imbecillem indicat, inquit.

Non enim fœtum suum amplius assumere nutrimentum lacteum, sic denotatur.

Eundem porrò effectum indicare mammarum extenuationem, *idem aphorismo* 57. *S.* 5. reliquit; Mulieri namque uterum gerenti, si

mammæ

mammæ derepentè gracilescant, abortionis periculum adesse asserit: *quia sic alimenti lactei etiam notatur defectus.*

Præter hæc, abortus metum injicit, sanguinis menstrui nimius fluxus, prægnanti aliàs insuetè accidens, præprimis si ardente correpta febre, eundem experitur.

Mox verò futuri abortus indicia sunt, ventris superioris coarctatio, ita ut epigastrium deprimatur, hypogastrium verò elevetur; lumborum, coxarumque gravitas, & ad motum segnities, ventris, lumborumque dolores versus pubem desinentes; maximè dorsi dolores circa renum regionem, quibus in partu legitimo aliàs molestari solent mulieres, extremorumq; frigus, se jungunt.

Omnia verò phænomena hæc dolorifica, indicant, ligamenta & membranas, quibus fœtus utero adhæret, tendi, & divelli; fœtumque orificium premere.

Hæc & similia phænomena verò aliquando ea, ab Hippocrate paulò ante indigitata, præcedunt; quandoque non; ut adeò ex improviso sæpius abortus accidat, absque prægressis talibus symptomatibus: id quod iis præcipuè mulieribus familiare esse solet, quæ jam aliquoties abortum passæ fuerunt, & dispositæ nunc sunt levi de causa abortire.

Instante abortu, post varios conatus & tormina, primò exit aqua saniosa, carnis loturæ si-

milis, postea cruentâ magis, succedente sensim sanguine puro, & maximâ parte grumoso; tandem ipse fœtus, vel formatus, aut informis, non nunquam sanguine grumoso ferè implicatus, sequitur; propterea pro mola vel sanguinis grumo non rarò habitus.

Quod verò ne fiat, sed certò noscat Medicus, an vel mola, vel fœtus excretus sit, vel an abortum, vel sanguinis menstrui retenti, abundantem fluxum, passa sit mulier; quodvis excretum quod utero exit, si paulò compactius est, calidâ abluatur, vel diluatur, ut, quod exiit, veniat in conspectum.

Causa abortus *immediata*, est uteri ante legitimum pariendi tempus apertura, & ad contentorum exclusionem gravis stimulatio.

Mediata proximior causa consistit non in circulantibus in genere humoribus solum, quanto & quali peccantibus; sed & nutrimento lacteo, vel deficiente, vel alio modo peccante.

Si circulantes in genere humores abundant, & singulo mense aliàs copiose flui consueverunt, tum malo huic via facillimè patet.

Dum enim imprægnationis occasione, menses subsistunt, tum magis adhuc circulantes coacervantur humores, neque abundans chylosa lactea eorum pars, in fœtus nutrimentum aut productionem placentæ, quantum aliàs posset, abit: unde non possunt non, ab onere hoc, continentia vasa, præprimis ea quæ aliàs men-

menstruatim affluenti rimas concedebant, distendi, & sic sensim planè aperiri, inque uteri cavitatem vias concedere, stagnantibus in vicinis vasis humoribus, qui tenellum tum obruunt foetum, & à communicatione cum vasis uteri avellunt: ubi tum per stagnantem, hinc grumefactum, vel acrem redditum sanguinem, uteri orificium stimulatum, tandem contractione versus fundum factâ, se pandit, & foetui adhuc immaturo viam concedit: sicque abortum parit.

Non ergò sola quantitate, sed potius qualibus acribus peccantes humores circulantes, abortus causa existunt.

Stagnando enim illi aliquando depravatum edunt effectum, dum in ipsis fibris saltem hærentes eorum particulæ acres, non tam laxando, quam versus orificium quasi convulsivè stimulando, hanc abortus tragœdiam ludere possunt.

Ratione nutrimenti causatur abortus, quando id vel deficit, aut absumitur: v. g. quando prægnantibus menses nimis copiosè fluunt, & sic alimento lacteo foetum defraudant, vel alio modo id detrahunt.

Aut quando hoc vario modo alteratur & corrumpitur, nec in foetus nutrimentum abire potest: quemadmodum hoc paulò specialius præstant.

Causæ mediatæ remotiores: ubi quidem *ex Na-*

Naturalibus, non levem anſam miniſtrat *Temperies* circulantium humorum, ex nimis acribus, mobilibusque partibus conflata, hinc acre & rarum nutrimentum lacteum ſuppeditans: vel nimis craſſis, lentè mobilibus ſuccis conſtans, idoneo & laudabili nutrimento fœtum deſtituens; vel & humido nimio immixto, vias nimis lubricas reddens, & relaxans.

Ex *Nonnaturalibus rebus* cauſam addunt *Aer* vel calidus nimis, vel frigidus nimium. *Hippocr. aphor.* 12. *S.* 3. hujus notitiam nobis reliquit, Si hyems, inquit, auſtralis & pluvioſa, ver ſiccum & aquilonium fuerit, mulieres quibus partus in ver incidit, ex quacunque occaſione abortiunt.

Tempeſtatum enim talibus variationibus, varius & diverſus inductus æther peregrinus, inſignes circulantium humorum alterationes cauſare, & debitam eorum connexionem & ordinem invertere valet, ſicque nutrimentum fœtus impurum reddit.

Neq; verò univerſalis ille æther peregrinus, ſed & particularis, mediante aëre ſcil. admiſſus fœtor, vel alius odor, prægnanti contrarius, aliquando abortum accelerare poteſt.

Nec minus ſymbolum aliquando addunt *Cibus* & *Potus*, vel nimia copia aſſumti, copioſo nutrimento fœtum obruentes: vel parva nimis quantitate ſuppeditati, nutrimentum ſuffi-

ſufficiens haud miniſtrantes : vel & qualibus peccantes, corruptum id exhibentes; ſub quem cenſum numeramus medicamina abortum concitantia, vomitoria fortiora, valido motu uterum concutientia, & ad expulſionem compellentia: ut & alia ſingulari ſua energia hujus vel illius conſtitutione contrariantia, ut oleum lini, manna &c. quam, bilioſæ conſtitutionis gravidæ, pro laxante exhibitam, abortum concitaſſe *Ephem. Ĝ. Ann.* 6. 7. *obſ.* 241. hebent.

Sic & Diuretica cum circumſpectione hic propinanda ſunt, quia vaſa valdè aperiunt, & fluiditatem nimiam humoribus conciliant, menſesque provocando, nutrimentum fœtui auferunt: in ſpecie propterea petroſelini radices hic vitare jubet *Simon Pauli qu. Bot. p.* 73.

Quid *Motus* validus hic poſſit, exempla loquuntur, ubi concuſſione vel agitatione nimia v. g. per curſum, ſaltum lapſum vehementem &c. vincula diſrupta, & fœtu ab utero avulſo, abortus cauſatus fuit; vel & tranſpiratione nimia ſic excitatâ, nutrimentum maximam partem abſumtum, fœtum perire fecit.

Quemadmodum verò motus nimius nutrimentum abſumit, ſic *Quies* nimia id vitioſum reddit.

Inter *animi pathemata* ira, terror, vel & imaginationis repentinæ exceſſus, &c. non raro cauſam ſuppeditant ſat ponderoſam.

Ex *Præternaturalibus rebus* pontus ad-

dunt varia, tam circulantia humorum, quam ipſius uteri vitia.

Inter illa quidem præ aliis periculoſa ſunt Febres acutæ: *Hippocr.* etiam *effato aph.* 30. *S.* 5. Et quò magis malignæ illæ ſunt, eò magis periculoſæ gravidis exiſtunt.

Præterea enim quod nutrimentum lacteum ſic plane invertatur, etiam ſtagnando, & in tenerrimis fœtus vaſis, circulationem haud amplius abſolvendo, neci ille traditur; ubi tum ſtagnans ſanguis, ad expulſionem ſimul compellit fœtum enectum.

Non abſimilem ferè effectum edunt Dyſenteria, Pleuritis, Hydrops, Lues venerea, Fluor albus &c. omnia namque vitioſum adeſſe nutrimentum indicant: vel & laudabile abſumi denotant.

Inter uteri vitia, quæ cauſam aliquando agunt, occurrit nimia anguſtia, vel vitioſa alia conformatio; cicatrices, procidentia, tumores, inflammatio, vulnera, ulcera, aut præternaturalia contenta, aquæ, vermes, præcipue verò mola &c.

Nec ipſius fœtus vitia hic excludi debent; debilitas videlicet, vel ipſa mors, aut pluralitas, vel conceptuum numeroſitas in utero: quale exemplum *Bonaciolus habet*, ubi unâ vice 12. ab alia 28. rurſus ab alia 70. imò à muliere quadam nobili 159. embryones minimi digiti magnitudinē æquantes, abortu rejectos, ſe vidiſſe refert.

Prognoſis nobis hic ſiſtit affectū, omniū conſenſu terroris & periculi plenū, cum rarò absq;

vio-

violentia contingat, quin vel fœtum, vel ipſam ſimul fœminam, è medio auferat: vel ad minimum graviſſima ſymptomata, veluti inſignes hæmorrhagias, vel lochiorum im̄odicos fluxus, ſyncopen, convulſiones, vel deliria, excitet.

Cùm verò abortus, veluti fructus immaturus, non niſi impetu magno ab utero avellatur, non mirum etiam, ſi dilacerantur, & exulcerantur vaſorum oſcula, ſicque naturalis uteri conſtitutio planè invertitur, ſterilitatique anſa ſuppeditatur.

Periculoſior verò eſt abortus in primiparis, vel nimis gracilibus, vel nimis craſſis, neque dolores tales pati adhuc aſſuetis: & quidem in illis propter infirmitatem, in his propter viarum anguſtiam. Magis tamen periclitantur illæ, quibus ſeptimo, vel octavo menſe abortus contingit; quam quibus primis menſibus is accidit; ubi parvulus adhuc exiſtit embryo.

Jam hic dantur, qui credunt, abortum mulieribus illis bonum eſſe, quibus menſes periodum ſuum haud ritè abſolvere ſolent, & inde valetudinariæ exiſtunt: credunt enim, vias & vaſa antea obſtructa, hoc modo aperiri, & ſanguinem jam majori copia excerni.

Sed hanc curationis methodum ſeverum nimium eſſe & periculoſum, ſymptomata gravia abortum comitantia innuere clarè videntur. Securior propterea hic inſtituatur

curandi ratio, utpote quæ unicè consistit in imminentis vel futuri abortus præservatione: & quidem vel antequam conceptio fit; vel postquam concepit mulier.

Ante impragnationem, mulieris consideretur constitutio, an plethorica, vel cacochymica, sive vitiosis humoribus circulantibus prædita extet: vel an uteri, aut aliud vitium in causa sit, ex quâ, etsi concipiat, ad legitimum tempus vel non retineat, vel non vitalem, aut perfectum edat.

Si nimia sanguinis, & alimenti laudabilis copia vel fœtum obruens, causa abortus existit, tum victus tenuior, V. Sectio, & acidorum usus blandus, rem expedient. Signum præbent Menses extra graviditatem statuto tempore nimium semper fluentes.

Sed si cacochymica peccat dispositio, & circulans massa à suâ inter se debita connexione, ordine, textura, &c. deviat: & vel nimium viscido, circulationique minus idonea, vel nimis serosa, acris, acida, vasorum rosionibus apta existit, tum huc vel illuc cura dirigatur.

Si ruditates in primis viis causam fovere hariolamur, tum mediante *Vomitorio, vel* conveniente quodam *Purgante* eas rejicimus; pro scopo verò saburram acidam evacuandi, *absorbentia*: biliosam vero, magis volatilem, acrem, ejiciendi; *acidiuscula* remissè admiscemus.

Primis viis sufficienter depuratis, accedimus

pro

pro diversitate peccantium succorum, ad *alterantia*, quæ contenta eorum inter se vitiosa, quovis modo, ad legitimum suum statum reducere ; peregrinumque ætherem corrigere, vel expellere apta nata sunt : quem usum inter alia præstant *absorbentia* varia, nunc *martialia*, nunc *terrea* alia, tum *aromatica* & *salina volatilia*, vel *fixa*, mox *acida*, mox *amara* & similia. Ubi verò si succos viscidos acidos incidendi, & resolvendi animus est, magis *acalia*, *aromatica*, *volatilia* : è contra ubi succos acres, volatiles, biliosos, corrigendi intentio nobis est, magis *terrea*, *fixa*, *acidiuscula*, & concentrantia, convenient.

Ipsa uteri intemperies, sive frigida nimis, sive humida, vel calida existat, cum à circulantibus succis dependeat, non nisi correctis his, à suâ intemperie recedit.

Vitia vero in ipsa uteri substantia nidum nacta, utpote vulnera, ulcera, tumores, procidentia &c. Chirurgi periti ope auferri oportet.

Et hæc sunt in genere ea, quæ ut abortus metus rescindatur, ante conceptionem, notar merentur.

Quomodo vero *facta jam conceptione & impregnatione*, fœtus conservetur, ut ad legitimum tempus utero inclusus, ad omnimodam perfectionem, retineatur; hic labor, hoc opus.

Monendæ ergo sunt gravidæ de fuga omnium, quæ supra ex rebus NON-naturalibus, abor-

tus

tus causam aliquando sustinere retulimus. Deinde ad emendandam circulantium humorum constitutionem vitiosam, vel alias subdictas causas, cura dirigatur, quò sic præmatura orificii uterini apertio, & versus fundum contractio, præcaveatur.

Instituatur verò hoc iisdem mediis, qualia paulò ante, ante factam imprægnationem, pro præcavendo abortu, commendavimus: pro cujusvis attamen indicantis constitutione.

Sic succorum abundantia, ven. sectione: vitiosa verò sive cacochymica constitutio, *purgantibus, absorbentibus, dulcificantibus, aromaticis, volatilibus, fixis, confortantibus, diaphoreticis, dureticis blandis* corrigatur, & restituatur.

Horum enim alia refrigerando, alia calefaciendo, alia siccando vel acidum temperando, aut bilis volatilitatem acrem corrigendo, causas ad abortum conferentes auferent.

Inter magis experta, quæ uterum, fœtumque roborandi, singularem energiam exeruisse, & abortum præcavisse scimus, sequentia non sunt infimæ sortis. v. g.

℞. *Bals. embryon.* ℥ij.
aq. cinamomi ℥j.
corallor. pulveris.
magarit. pulveris. aa. ℈j.
Syr. cinamomi.
è Nuce moschata condita aa. ʒj. *ms.*

Detur pro aliquot dosibus.

Vel

Vel. ℞. *Aq. Apoplect. Lud.*
Cerasor. nigr.
menth. aa. ℥iß.
cinamom. ℥ß.
corall. r. præparat. ℈j.
margarit. pulveris. ℈ß.
Tinct. anod. gutt. xx.
Syr. è Nuc. moschat.
corallor. aa. ʒiij. mſ. & detur cochleatim.

Vel. ℞. *Conserv. rosar. delicat.* ℥ij.
Nuc. Indic. condit. ℥ß.
Conf. alkerm. incomplet. ʒij.
Syr. acetosit. Citri. ℥j. mſ. pro electuario.

Cui ſi lubet, poterunt addi pulveres abſorbentes, adſtringentes, confortantes, ut ſunt *corall. margarit. bol. armen. terra ſigillat. Smaragd. præp. C. C. uſt. &c.*

Hæc & ſimilia namque tubulos, fibraſque firmiores reddunt, mollioreſque indurant, ut ſiceo firmius retinenda ſerventur.

Quibus ſi externa jungimus, effectus erit longè efficacior.

Sic inter hæc Practici multum commendant *Emplaſtra, cataplasmata* &c.

Obſervetur verò tum *Riveri cautela*, quando monet, ut, ſi lumbis vel renum regioni adſtringens imponitur emplaſtrum hoc per intervalla removeatur, neque diu geſtetur; ne renibus

nibus calorem imprimendo, urinæ ardorem, dysuriam, sanguinis mictum &c. excitet: Vel fœtum nunc avulsum & mortuum retineat, & exitium fœminæ pariat: ubi aliàs potius expellentia quam adstringentia in auxilium vocari necessum sit.

Vivente vero fœtu, si abortus imminet, omni studio retentio ejus & regressus, confortantibus, adstringentibusque moliatur; in quem finem

℞. *Crustam panis tostam* quæ conspergatur
Nucis moschatæ
Maceris
Caryophyllorum pulvere, &
Vino malvatico ac
Balsamo embryonum irrorata ventri applicetur.

Vel fiat Emplastrum simile pubis regioni & ossi sacro imponendum. v.g.

G. Galbani aceti q. s. ad pultis formam soluti ℥iß.
Mastich. pulveris.
Thuris alb. pulveris.
Ladani aa ℥ß.
quefactis adde
Fl. balaust. pulveris.
rosar. r. pulveris. aa ʒij.
Lap. hæmatit pulveris. ʒvj.
Ceræ citrin. ʒij.
Resin. pini & olei mastich. q. s. f. Empl.

Præ-

Præterea *venter fasciis & subligaculis impendatur, ultimis mensibus præprimis*, ne fœtus grandior gravitate sua descendens, avulsioni ligamentorum ansam ministret.

Plura hinc inde sub specificorum nomine à Practicis commendata, vel sunt superflua, vel imaginationibus enata, aut præconceptis opinionibus, vel incertis relationibus superstructa: utpote videtur esse cingulum ex corio equi marini gestatum, vel lapis ætites, sinistro brachio alligatus &c.

Diætam gravidarum quod concernit, cum supra, quæ & qualia ex rebus nonnaturalibus causam huic malo addere possint audiverimus; hinc facilè concludere erit, quæ pro subjecti conditione concedi possint.

Paucis hic attingenda se sistit *quæstio*, *Num gravidæ febre acuta correptæ, abortus sit provocandus?* Quidam affirmant, sed saniores negant.

Cùm enim abortus ipse per se sit affectus periculosus, quin imo multoties lethalis, & fluxus sanguinis insequens, cum aliis symptomatibus, vires admodum prosternere soleant, hinc gravem morbum, gravi simul malo curare velle, quàm periculosum sit, præter infausta exempla, etiam suo tempore *Hippocrates notavit aphor.* 55. *Sect.* 3. Quæcunque gestantes uterum Febribus corripiuntur, eæ abortientes periclitantur &c.

Nisi

Nisi ergo fœtus jam mortuus sentiatur, & ægræ vires constent, abstineatur ab eis quæ quovis modo abortus ansam dare poterunt, in dictis casibus.

Accedit quod quædam mulieres, uterum à natura adeò pertinaciter retinentem obtinuerint, ut nullis remediis, etsi fortissimis fœtum eis excutere possibile sit: Si talem corripiat Febris acuta, quis abortum provocantia propinare auderet, cùm omnia irrita sint deprehensura. Imo si isti considerent, quam difficulter non raro fœtus mortuus medicamentis fortissimis etiam irritò expelli tentetur, naturæ hæc esse relinquenda, neque fœtum irrito conatu esse expellendum, nec ægram in majus malum esse præcipitandam, concluderent.

Alvi adstrictio.

Est excrementorum in intestinis contentorum, & per alvum excernendorum, ultra ordinarium tempus accidens retentio.

Subjectum & sedem intestina ministrant.

Signa præternaturalis hujus retentionis in definitione partim expressa sunt: ubi enim ultra morem, naturæ cujusvis consuetum, alvus excrementa retinet, molestias hinc inde sen-

ſentimus; anguſtias videlicet circa præcordia & ventrem, & accidentia alia quibus detinemur exaggerantur.

Cauſa vel eſt in continente, inteſtinis nimirum, vel contentis, ipſis ſcil. expellendis excrementis.

Continens cauſa conſiſtit in inteſtinorum anguſtia, quando ea vel *ex hernis in ſcrotum delapſa, vel ob ulcera, aut inflammationes*, *ex vaſculis eroſis* in cincinnos reſilientibus, *aut excreſcentias alias*, coarctantur: vel quando *inteſtinorum fibræ*, ut in ileo, colica &c. *convulſione contractæ*, fœces remorantur.

Contentorum vero cauſa alvus non reſpondet, *quando vel ſunt nimis pauca*, & *exſiccata*, ut *in Febribus ardentibus* accidere ſolet; ubi humidum calore nimio & diaphoreſi abſumptum aliquando, fœces induratas relinquit.

Vel quando acido auſtero concurrente fœces *nimium coagulantur*, ob bilis vel defectum vel inertiam, ut *in hypochondriacis*, *hyſtericisque* plerumque fieri ſolet.

Vel ſi homo parcè nimis bibit, *aut vitam ſedentariam agit*, ubi deficiente corporis motu, minus etiam contenta moventur.

Ex rebus ergo naturalibus cauſam fovet *Temperamentum* magis acidum, vulgo melancholicum.

Ex Nonnaturalibus cauſam addunt cibus,

tenacem suppeditans succum, inter quem spiræ copiosè comestæ, ova ad duritiem cocta, & ex fructibus mespila, cerasa cum nucleis devorata, sensibiliter læsisse deprehensa sunt.

Prognosis affectum hunc magis, minus periculosum esse indicat. Sic in Ileo alvi frustrata excretio, mortem utplurimum inferre solet. In cephalalgia, hypochondriaciq; mali pathematibus, magas solet creare molestias; in colo enim hærentes fœces induratæ, etsi mediantibus purgantibus materia educatur tenuior, tamen viscidiores induratæ remanent, & Lienem esse affectum falsò indicant.

Curationi causæ removendæ deferuntur; ubi si spasmo contracta intestina malum fovent, ex capite de Ileo cura petatur: in genere hic *antiepileptica conveniunt: Clysteres sint frequentes*; *Oleum amygd. dulc. ad* ℥ij. vel iij. sæpius assumptum, irritantia acria demulcet, & alvum blandè subducit.

In fœcum retentione ex febribus exsiccatarum, excellit *serum lactis*; *emulsiones refrig. & aliquando acidulæ, & jusculorum potus frequens, cum Oleo amygd. d. &c.*

In Scorbuto & hypochondriaca affectione cum æstu & phlogosibus, alvus obstructa, optimè *Sero lactis* sollicitatur.

Ubi verò in affectibus hypochondriacis acidum

dum austerum fœces indurat, & inviscat tum *gummi ammoniacum* egregii est usus, v. g.

℞. *Gumm. ammon. vino soluti* ℈j.
♀ ⊖ *lati* ℈ß.
Scamm. præp. gr. ij.
▽. *menth.* ℥j.
Syr. rosar. solutiv. ʒiij. mſ. pro dosi.

Mirati sumus, *Cl. Ettmüller. in commentar. Ludov.* inquit, quas sordes viscidas felicissimè evacuarit hoc, & quam egregius in dolore hypochondrii sinistri fuerit ejus usus.

Vel ℞. *Aloes socotrin. à resinosa parte separat.*
Gummi ammoniaci vino solut. aa. ℥ß.
Diagrid sulf.
Troch. alhand. pulverif. aa. ʒj.
♀i ⊖ *lat.* ʒij.

Fiant Pillulæ, de quibus horis aliquot post cœnam dentur gran. x. xv.

Vel. ℞. *Fol. Senn. el.* ℥j.
Passular. minor. ℥iiij.
Cinamom. ʒiij.
Fl. violar. m. j.
Crem. ♀i ʒij.

Superaffundatur his concisis vel contusis *aquæ ferventis mens.* j. *vel* ℔ iiij. stent per noctem, sic fiet laxans, hypochondriacis conducens, quibus aliàs fortiora purgan-

tia non satisfaciunt. *Dosis est haustus ad* ℥iiij. mane.

Ubi verò viscidæ fœces fluxibiles faciendæ sunt, tum stimuli loco *colocynthidem* (ut in prædictis pillulis) additam, par non habere remedium, *Cl. Etmüller. comment. Ludov. p.* 36. asserit. Sed cum tormina non raro gravia excitare soleat, in pulvere vel substantia exhibita, ob resinam acrem amarissimam, hinc *cum simplici aqua, sale* 🜔*i acutâ, colocynthidem coquit, post ebullitionem filtrat, & in extracti consistentiam inspissat, quod tum ad gr.* ij. *vel* iij. *aliis addit, stimuli loco, ubi visciditates chronicorum morborum expurgandas esse sentit.*

Borellus in segniori alvo *Oleum Olivarum*, mane *cum pane tosto* comestum, & aliquoties reiteratum admodum laudat.

Riverius Decoctum prunorum Damascenorum cum vino haustum, commendat. Quidam melancholicus, refert *Centur.* 3. *obs.* 6. alvum habebat valde adstrictam, ut interdum per sex, aut septem dies non dejiceret; illi incommodo medebatur, sumendo duabus horis ante cœnã pruna cocta, cum eorum decocto, quibus addebat vini valde lymphati cyathum semis, cujus mediam partem sumebat ante pruna, alteram iisdem assumptis, sic alvus commodè laxabatur, & efficacius quàm solis prunis assumtis. Post assumpta jam dicta laxantia, *clysteres etiam injiciantur*, sic operatio tanto fortior erit.

Fiant

Fiant verò simplici via, vel *ex solo carnis jusculo probè salito, quovis oleo addito*: vel *ex fl. chamomillæ, meliloto, & violarum fl.* fiat decoctum: & si magis irritans expetatur, *colocynthidis in petia ligatæ* ʒj. simul decoque cum reliquis, & tum ultro *infusum croci metallorum adde*, sic operatio fortior erit. v.g.

℞. *Decocti dicti cum colocynth. facti* ℥vj.
Infusi croci metallorum ℥iij.
Olei lini ℥ij. m f. clyster.

Quercetanus in sua pharmacia hoc admodum commendat, & aliis omnibus anteponit, tanquam securissimum, nec pretiosum.

v. g. ℞. *Croci metallor.* ʒß.
Vini generosi albi ℥v.

Infusione per noctem factâ, loco calido, manè *colaturam miscet cum jusculo oleoso, & applicat.*

Hoc merito aliis præferendum est, inquit, humectat enim, & dolores lenit, sive sint ex cruditatibus, vel visciditatibus non digestibilibus, &c. Ob particulas enim subtiles penetrat, & resolvit, maximo cum emolumento, ea quæ non penetrantur ab aliis.

Præter hæc & externa non sunt contemnendi effectus, inter quæ hoc Jesseni sæpius expertus fui opem tulisse.

v.g. ℞. *Fellis tauri.*
butyri non saliti rec. aa. ℥iij.
Extr. helleb. nigri
diacolocynth. aa. ℈j.
diagrid. gr. vj.
Croci gr. viij. m. f.

lento igne coque ad mellis consistentiam, & cum putamine nucis juglandis umbilico impone.

Fortiora purgantia cautè hic adhibeantur, ne iliaca passio fortè delitescens, excitetur; quemadmodum hoc monet *Cl. Ettmuller in sua Praxi.*

Angina.

ANginæ nomen generale est, & quamcunque indicat gutturis, & faucium, vel partium collo comprehensarum affectionē; quæ deglutitionem, & respirationem difficilem juncta habet.

Sed cùm interim plures dentur anginæ species, vel subjecti sive sedis, aut symptomatum ratione variantes; hinc cujuscunque anginæ ratio ex sequentibus petenda.

Est verò in specie Angina maligna sive exquisita, glandularum & aliarum partium internarum gutturis, & vel laryngis, vel pharyngis, à circulantium humorum crassitie, in specie lympha plus minus coagulata

facta

facta obstructio; inflammationem, faucium angustiam vel visibilem vel invisibilem, cum maxima tam respirandi, quam deglutiendi difficultate, ab universo circulantium humorum motu multum sufflaminato, sive Febre maligna, inducens.

Non maligna sive notha levior est dictarum partium obstructio & inflammatio, à causa multò mitiore, sive circulantium humorum motu plus libero, longè mitioribus symptomatibus affligens.

Subjectum omnis anginæ & sedes sunt laryngis, & œsophagi glandulæ, musculi, & partes aliæ, ubi ad asperam arteriam, & ventriculum patet aditus.

Signa & imminentem, & præsentem anginam denunciantia sequentia sunt: Si quis ex causa non manifesta, dolorē, angustiam in faucibus sentit, & deglutitio cum molestia fieri incipit, & colli motus impeditur, respiratio haud liberè procedit, tum anginam imminere certus esto: præsertim si aëris inclementia conspiret, & plures in vicinia hoc malo correpti jaceant.

Præsentem verò in specie Malignam indicabunt in definitione expressa phænomena, in specie Febris acuta.

Propter differentes aliquando Anginæ sedes, veteres diversa illi imposuerunt nomina: Sic quan-

quando laryngis interni musculi simul fuerunt inflammati, tum *Cynanchen*, si ejus externi, *Paracynanchen*: prout vero pharyngis vel interni vel externi musculi, inflammatione fuere correpti, pro eo vel *Synanchen* vel *Parasynanchen* vocarunt.

Alii alias habent differentias, & distinguunt inter Anginam Cardiacam, die Hertz-Bräune/ (quæ cum maligna eadem est) & Anginam simplicem sive benignam, die gemeine Bräune.

Aliam vocant Anginam albam, quando tota faucium concameratio unà cum uvula, tonsillis, lingua &c. materia alba tenaci viscida, obducta conspicitur.

Quæ interim pars altera magis affecta sit, doloris situs, vel deglutitionis, aut respirationis major læsio, docebunt.

Cynanchen respirandi major difficultas, quia non raro simul pulmones infestantur: Synanchen vero sive anginam cardiacam, die Hertz-Bräune ut vocant, deglutitio magis difficilis, prodit.

Causa immediata anginæ omnis, est glandularum, & vasorum lymphaticorum, nerveorumque collo comprehensorum, vel internorum, vel externorum obstructio; inducta à lympha coagulata vasa sua non solùm nimiũ extendente, sed & lacerante, ac abscessum instituente: imo & præterlabentem sanguinem, ob vasa admodum compressa, in motu suo suffla-

ſufflaminante,ſicque inflammationem dolori addente.

Accidit vero obſtructio nonnunquam hunc in modum: quando nimirum in minimo etiam glandularum tubulo ab æthere peregrino maligno, lympha coagulari & ſtagnare incipit, tum ſenſim integer ille obſtruitur tractus cum vaſis lymphaticis, quæ tum extenduntur, donec rupturam incurrunt, ubi tum inſequens & circulando propulſa lympha extravaſatur tam diu, quam diu ſe extendi patitur pars in quam irruit.

Quoniam vero hac ratione valdè extenduntur membranæ ejus loci, & vaſa admodum comprimuntur, ac circulatio ſufflaminatur, hinc dolor & inflammatio ſenſim augentur. Tandem ſtagnans extra ſua vaſa lymphæ copia, coagulationem omnimodam & corruptionem incurrit, & abſceſſum inſtituit.

Cauſam Mediatam Proximiorem ſuppeditat ipſa lympha diſpoſita, craſſa, & acris, ætheri peregrino, facillimè coagulabilis occurrens; hincque obſtructionibus, & ſtagnationibus apta & diſpoſita exiſtens.

Pondus vero addunt *Remotiores* plures *cauſæ, & ex naturalibus* quidem rebus, primo ſtat loco *Temperamentum*. ex humoribus craſſis, acidis, lentè mobilibus conflatum: vel & acribus aliis leviter diſſipabilibus plurimis contextum.

 Spectat

Spectat huc *hæreditaria dispositio faucium*; vel prægressa alia externa causa, faucium tubulos coarctans, & quasi occludens: quemadmodum illis accidere solet, qui aliquoties nunc angina laborarunt, & poros aliter & vitiosè dispositos nacti fuerunt, quos æther peregrinus levi negotio penetrare haud potest, sed facillime inibi hæret & obstruit.

Ex Non naturalibus rebus Aer primas tenet, hic namque tam Epidemicarum quam reliquarum anginarum, primaria ferè solet esse causa.

Quam frequentes namque sint, tempestatum inæqualitate, vere & autumno, humidis & frigidis plerumque, præter Hippocratem suo tempore, etiam nos, nostris temporibus, & in nostro climate experimur: particulis vero tum temporis imprægnatus acidis, acutis, corrodentibus, adstringentibus, mediante respiratione attractus, illas circulanti massæ implicat, & sic poros ejus aliter disponit, & circulantium humorum ordinem & texturam invertit: quoniam vero tum subtilis æther, qualis ab ineunte ætate, per poros nostræ Massæ circulantis fluere consuevit, non amplius ita liberè penetrat, nec motum ordinarium conservat, hinc hoc sensim sufflaminato, hinc inde stagnationes & obstructiones, in minimis accidunt vasis, uti paulo ante diximus.

Quod

Quod vero magis infestæ ſoleant eſſe cum aere attractæ particulæ corroſivæ acidæ, hujus hominis faucibus, quam illius; hoc viis minus patentibus, & humoribus minus mobilibus, aliter inter ſe contextis, quam alterius hominis humores & fauces eſſe ſolent, adſcribendum venit; ubi enim viæ ſunt amplæ, & patentes, & humores mobiles, & pori liberi, tum peregrinus æther, & particulæ contrariantes, non facile hærent; ſed liberè rurſus hominis poros tranſeunt.

Contrarium vero accidit, ubi viæ vel à natura, vel ex accidenti ſunt anguſtiores & humorum pori minus pariter patentes; tum enim levi de cauſa hoc malum incurrere poteſt homo, imprimis ſi poſt nimiam quandam corporis incaleſcentiam, ſubitò aer frigidis particulis impprægnatus, inſpiratione hauritur.

Quoniam enim tunc pori tam faucium, quam præterlabentium humorum circulantium, admodum ſunt patentes; hinc uno impetu tot admittuntur particulæ frigidæ, & humoribus implicantur proximè adſitis, quot tum vix ſecum ducere poſſunt, hisque ſic obſtruuntur pori, quibus obſtructis circulatio ibi intercipitur, & obſtructio vel ſtagnatio accidit; & quoniam tum in hac parte, ſubtilis æther non amplius tranſit ac ſic circulatio intercepta tandem vaſorum lacerationem inducit, hinc tum oriuntur tumores, inflammationes, & alia ſupra notata ſymptomata.

In-

Inter Nonnaturales causas porro *Diæta* considerandа venit; hæc si peccet vel quanto, vel quali; & talis vel cibus, vel potus continuo ingurgitatur; qui tam humorum quantitati, quam eorum aciditati, acredini, volatilitati facile dissipabili, & similibus, causam addit; tum facile malum hoc acceleratur.

Utendi item modus quandoque non minimam addit causam, quando nimirum post nimium æstum, aqua, vel cerevisia frigida, uno impetu ingurgitatur, & sic pori una vice occluduntur; quale exemplum *Decker* in notis *ad praxin Barbette*, habet.

Peccare itaque potest *motus* nimius, quando eo corpus nimium incalescit, sic & vociferationes fortiores, raucedinem, & sic sensim ulteriorem læsionem &c. inducere valent.

Nec *excreta* vel excernenda *retenta*, hic in causarum serie excluduntur, quippe evacuationes consuete, hæmorrhoides scilicet, apud quos fluere consueverunt, vel mensium suppressiones, in causa esse possunt, vel causam indicare possunt.

Sic & V. Sectio & purgatio, aliàs certo tempore consueta, intermissa &c. ab aliis in causarum serie recensentur.

Ex Præternaturalibus causis, Febres ardentes & malignæ, sæpius etiam anginam simul inducunt, ex causis supra relatis.

Ex

Ex particulis etenim acidis corrosivis malignis, cum æthere inductis, & circulanti massæ communicatis, variæ hinc inde humorum stagnationes, phænomenaque alia se excrunt; mox Angina, mox pleuritis, tum dysenteria, phrenitis, & quæ sunt similia hujus farinæ accidentia; magis, minus, gravibus vel malignis causis enata &c.

Prognostici ratione, affectus hic solet esse sat gravis & periculosus, qui citam urget opem, eo magis verò periculosus est, quo magis interenæ partes affectæ sunt; minus vero periculi habet, si exteriores inflammatæ sunt partes.

Magis etiam periculi habet ea angina, quando deglutitio & respiratio admodum difficiles sunt, quam ubi hæc plus libera manent.

Dolores etiam absque causa subitò remittentes, mortem subesse indicant: *Hippocrate teste.*

Nec fidendum, si respiratio aut deglutitio subito restituitur, absque manifesta causa; quia omnis ejusmodi levatio, insidiosa esse solet; ut *idem Hippocr.* monet.

Lethale signum item est, tenax, & albida materia, fauces & dentes vernicis instar obviscans, quando nigrescit & exsiccatur.

Utplurimùm etiam lethalis est acutissima illa angina, quæ strangulatu forti, cum sævissimo ægros dolore excruciat; nullo tamen tumore, nec intus nec foris conspicuo: Intra ho-

r as

ras namque 8. 10. 12. non raro hanc anginam mortem intulisse, testatur *Schenckius* & alii.

Aliquando vero in abcessum abit, quo tandem rupto suffocationis periculum æger declinat, si externus fuit abscessus.

Non raro etiam insperatò salus obtingit, quando vel per alvum aut urinam, natura circulans stagnantem propellit materiam malignam, acrem.

Quandoque verò subitò æger perit, qui sibi evasisse videbatur: utque adeo affectus hic exquisitus malignus, semper periculi sit plenus, dum non lympha tantum, sed reliqui etiam circulantes humores, coagulationem incurrunt.

Quando lympha versus pulmones stagnat, tum intra septem dies ad interitum sæpè deducit, vel empyema efficit, quando suppuratur stagnans lympha; hinc quandoque evadit æger: quandoque verò rupto abscessu materia in pulmonum plures vesiculas irruit, atque sic sæpè ægrum suffocat.

Tandem si in summa respirationis angustia, spuma circa os apparet, mors instat, & interit æger quasi strangulatus aut suffocatus.

Ex nunc præmissis notamus:

Curam hujus mali minimè esse negligendam, nec cunctanter hic agendum.

Aliam tamen exposcit medendi methodum

An-

Angina epidemica & maligna; aliam quæ absque malignitate aggreditur hominem.

In maligna etenim & epidemica, quoniam circulantes humores admodum ſunt coagulati, & ſtagnationi proximi; hinc *Ven. Sectio omnino vitetur*: *ſed reſolventia Bezoardica* ſive *diaphoretica cum opiatis* maritata adhibeantur, qualia in Febribus aliis malignis, Pleuritide &c. conveniunt, quæque ſunt *Tinct. Bezoardica, anodyna*, *dens apri, ſtercoris equini ſuccus* &c. quo ſic corroſivum ſive malignum coagulans, adurens, erodens, diſcindens, acidum, invertatur, antequam altas incipiat agere radices, & quando ægri deglutire adhuc queunt.

Et ſi per contagium malum hoc hauſtum ſuſpicamur, *præmittatur ante omnia Vomitorium*, quemadmodum hoc commendant *Bartholinus de angina puerorum*, & *Hoffmannus* &c. quo ſic in primis viis ſubſiſtentes ruditates, cauſam transmiſſuræ, ſtatim ab initio removeantur.

Statim verò ab initio, & ſi poſſibile primo die ſubito propinetur *Vomitorium*, ne poſtmodum exhibitum plus nocumentui, quam commodi inducat.

Burggravius de Febre Hungarica hanc anginam Eryſipelas anginoſum colli vocat, longeque aliam quam ſimplicem eſſe aſſerit, utpote quæ pro veneni hauſti conditione, vel

citò

cito necem inferat, vel ad minimum admodum periculosa existat.

Primo intumescit collum, inquit, & non raro bubones & tumores apparent, & exoriuntur cum horrore, & rigore maximo, vehementer pungunt, ac intra horas 24. necant; sæpe etiam tertio, vel quarto, vel septimo saltem die interimunt, quem si transgrediuntur, plerumque tum curari se patiuntur.

Hoc malo affecti, pergit, deglutire haud possunt, lingua intumescit, vox perit & raucescit, fauces exarescunt & angustantur, ut neque liquidis, neque solidis via relinquatur.

In nonnullis nulla horum signorum apparent, neque collum inflammatur, aut tumore notatur; interim maximo hi sunt expositi periculo, cito enim intereunt. **Hie fahr fort mit schwitzen/** inquit, **brech dich/ gurgel dich/ würge und reiß den Halß dapffer voneinander/ so lieb dir dein Leben ist.**

Non hic valet, pergit, Hippocratis aphorismus, qui vult, ut angina affectis, à venis quæ in brachiis sunt, sanguinem detrahas, & alvum infernè subducas. Sanè neque venæsectio, neque purgatio, hic quicquam valet: sed malignitati & veneno resistendum. Possent quidem aperiri venæ sublinguales, sed maxima cum cautela & re optime trutinata.

Hisce

Hisce *Burggrav.* brevi & morbum hunc, anginam ſcil. malignam, ejusque curandi methodum tradit, eandem cum Febre maligna alia.

Ad expugnandum miaſma malignum.

℞ *Unicorn. ver. præparat.* ſive
Bezoard. mineral. gr. xv.
Mandib. lucii.
C. C. ſ. △ *e.* aa. ℈ß.
⊖. *C. C. volat.* gr. v.
Laud. opiat. gr. j. mſ. pro doſi.

Vel ℞. ▽. *Flor. Sambuci.*
papav. rhæad. aa. ℥ij.
Tinct. bezoard. gutt. 50.
anodyn. gutt. 15.
Bezoard. mineral. ℈ß.
Syr. papav. errat. ℥ij. mſ. pro doſi.

Hæc & ſimilia ſubitò vocentur in uſum, quando ægri adhuc deglutire poſſunt; atque ſic repetitis vicibus malignitas expellatur, non aliter ac de Febribus malignis aliis doctum fuit.

In generoſiorum dictorum defectu, ſolus ſuccus ſtercoris equini expreſſus & propinatus, ſudore inde expectato, nobile remedium audit *Cl. Ettmüllero in Praxi.* Plura dabit titulus de Febribus malignis.

Internis his ritè peractis, & malignitate debellata, externa etiam non negligantur. *Pro humectatione vero faucium* commendat dictus *Buggrav. mucilaginem sem. cydon. psyllii, & tragacanth* cum *aqua rosarum* factam, & cum linteis sericis linguæ impositam.

Quando verò externè etiam in collo sensibilis apparet rubedo vel inflammatio, tum sequens epithema applicare, & pro faucium item depuratione & expurgatione simul adhibere jubet.

v.g. ℞. *Myrrhæ r.*
Thuris aa. ℥j.
Aceti ℥iij.
▽ *solani* ℥vj.
Camphoræ.
Croci aa. ʒj.

Coquantur omnia, donec gummita sint soluta, tumque mediantibus linteis duplicatis, calidè collo applicentur, donec rubedo cessat.

Cum spongiæ verò frusto bacillo alligato, & liquori illi intincto, fauces diligenter expurgentur, hac methòdo: lingua mediante linteo prehensa, paulò extrahatur ex ore, tum mediante spongiola faucibus liquori intincta immissa, uvula, gula palatum abstergantur, & à purulenta materia expurgentur.

Hæc verò methodus insignem præstat effectum, gulam enim contingens, sæpè vomitum excitat, spongiola: unde purulenta materia à

fau-

faucibus avellitur quasi & ejicitur, quæ nunquam aliàs prodiisset, sed ægrum suffocasset. Se vero encheirisi hac plures servasse, dictus *Burgravius* testatur.

Post expurgationem vero hanc, mulcilaginem supradictam, ad ariduram linguæ contemperandam se applicuisse, refert.

Gargarismata alia, & quidem repellentia, in angina hac maligna, ab initio præprimis, cautè adhibeantur, ne ex hoc loco in alium magis periculosum, lympha stagnans propellatur.

Quando vero Angina absque singulari malignitate affligit, nec lympha in genere adhuc occupata extat, sed in colli glandulis paucis saltem stagnat, ab acidis particulis mediante aere frigido inductis, vasa pauca sanguiveha coarctantibus, ac circulationem eo in loco paulisper sufflaminans; tum præter Tincturam Bezoardicam aut diaphoreticum aliud, si sanguis abundare notatur, conducere etiam potest *Ven. Sectio* vel in brachio aut pede instituta: vel & sub lingua, si non adeo exsuperat sanguis, de hac namque *Cl. Ettmüller* prædicat, quod interdum sola angustiam præcaveat, ita ut, dum sentitur anginæ principium, raninarum incisione, maturè removeri queat malum: præcipuè si corpus non admodum existat plethoricum, neque Febris adhuc adsit intensa.

 Hisce

Hisce in casibus insigniter etiam conducunt gargarismi, qui non adstringunt aut repellunt, sed stagnantes particulas resolvunt, & glandularum tubulos rursus reserant, sic v. g.

℞. ▽ *Fl. sambuci.*
sempervivi maj. aa. ℥iij.
Rob. sambuci.
Syr. de Flor. ligustri aa. ℥ij.
Spir. ✱ci urinosi ℨß. m. f. pro gargarismo.

Vel ℞. *Flor. malv. arbor.* m. j.
rosar. r.
ligustri. aa. m. ß.
Herb. veronic. m. j.
Rad. polypod. ℥ß.

Coque cum ▽ simpl. ℔. iiij. ad casum pollicis transversi, tum colaturæ expressæ adde *mellis rosarum*, vel *Syr. fl. ligustri* q. s.

Si tamen affluxus nimis vehementer irruere notetur, adde speciebus modo dictis *aceti opt.* ℔. ß. & simul coque.

Vel hoc Burggravii tibi commendatum habe v. g.

℞. *Flor. malv. arbor.*
rosar. rub.
Herb. veronic.
salviæ.
prunell. aa. m. j.

Polypod. q.℥ij.
♃ ʒj.
*Aluminis.*ʒß.
Mellis ℥ij.
Aceti vini ℥vj.

Incisis incidendis adde
*Aquæ Font.*mens.ij.

Coque ad casum unius digiti, postea colatura expressa in usum veniat; cumque ea quavis hora diligenter gargarisentur fauces, vel cum Syringa injiciatur Decoctum, si vires gargarisari haud permittant. Aut resupinato corpore, sine agitatione in ore teneatur.

Hoc decoctum tam ab initio, quam ubi fauces jam exulceratæ sunt, convenit. Ubi tamen huc jam deventum est, tum antequam in usum veniat gargarismus, à pituita viscida prius purgetur lingua ; & tum post gargarismum, lardum imponatur linguæ, quod ariditatem optimè lenit, & cutem nigricantem, quando adest, solvit, ut abstrahi & separari à lingua queat. Imò etsi lingua jam esset admodum exulcerata profundè, gargarismus solus hic rem expediet.

Sed *si* insuper *tumore notata extet*, tum *unguento populi calido* mediante plumaceolo perungatur sæpius : Postmodum tumore sedato, ulceratas partes, melle & nitro mixtis, mundificato, foraminula saltem iisdem tan-

gendo, quo sic crusta abscedat. Postea illine *oleum ovorum & hyperici* calidè, donec consolidata sint ulcuscula.

Hæc modo commendata methodus, non in simplici faucium saltem exulceratione; sed & in maligna angina, exulceratas fauces junctas habente, apta & necessaria erit.

Sed si externæ saltem colli partes occupantur, nec adeò forti inflammatione corripiuntur, tum externa emollientia, & resolventia, saltem rem expedient: præstabitque laudabilem effectum, *Emplastrum de Meliloto cum oleo succini* malaxatum & impositum.

Vel ejus loco ℞. *Nidi hirundin.* n. j.
Stercoris canis albi. m. j.
Pulv. herb. melilot. ℥ij. mf.
coque *cum lacte*, & ita calidè applica, & sæpius reitera.

Ubi verò amygdalæ saltem, sive tonsillæ vocatæ glandulæ, infestantur, & sæpius sub specie anginæ affliguntur, quemadmodum illis accidere solet, qui aliquando in eis suppurationem fuêre passi, & quibus particulæ nonnullæ in tubulis illis relictæ fuerunt, atque peregrino æthere commotæ, sæpius malum denuò repullulare faciunt: tum præter repetita diaphoretica, ex *Tinct. Bezoard.* & *anodyna Fonticulus in brachio* hoc, aut illo excitatus, ab angina ea liberabit & præservabit.

Ali-

Aliquando viſcida lympha fauces obſidet, & albedine obducit, propterea angina alba dicta: in hac fiat abſterſio *mediante linteo, aceto madefacto*, & tum fiat gargariſatio, cum *decocto fl. liguſtri, & pauco aceto.* Vel in uſum veniat ſecretum *Guntzmanni*, quod hoc eſt: v. g.

℞. *Semper vivi majoris*, q. v. ad ℔. j. contuſi adde
Salis armoniaci ℥ß.

Ponanrur in cella in digeſtione, tum deſtillentur, & aquâ deſtillatâ fauces diligenter eluantur. Hoc certius eſſe prædicat ſæpius citatus *Burggrav.* quàm ut dicere licitum ſit.

Gargarismata adſtringentia ſive repellentia quod concernit, de illis notandum, optimè quidem convenire, modo ſtatim ab initio, poſt ven, ſectam, & in ea quidem anginæ ſpecie, quæ abſque malignitate, ut vulgo dici conſuevit, affligit, adhibeantur.

Solidarum etenim partium fibras, & minima vaſa conſtringere poſſent, ut lympham craſſam non ita promtè transmittant, modicumque illud, quod actu inhæret, rurſus protrudant, & reliquæ circulanti commiſceant maſſæ.

Cautè tamen agendum, nec niſi quando modò imminet, & incipit ſtagnatio, in uſum veniant.

Neque verò externe applicentur, ne ad interio-

teriora malum derivent, sed gargarismatum saltem forma : & caveatur etiam ne gargarisandi motu, inflammatio promoveatur; Propterea resupino corpore in ore saltem detineantur, citra ullam agitationem.

Et si gargarismus talis adstringens nunc desideretur,

℞. *Herb. plantag.*
Prunell.
Fol. quercus.
Flor. rosar. r.
balaust. aa. m. ß.
Cortic. granat.
Nuc. cupress.
Gallar. aa. ℥ß.

Incisa decoque in ▽. Font. s.q. Decocto colato adde:

Syr. diamoron.
Dianucum aa. q. s. mf. pro usu.

Si fortius velis, adde *alumen* & *acetum.*

Euporista plurima Rulandus habet, quibus plurimos angina correptos se restituisse gloriatur. Sic. v. g.

℞. ▽. *plantag.*
Rosar.
Decoct. rad. alth. aa. ℔ iß.
Mellis rosar. ℥iß.
Alum. usti ℥j.
Sacchari. ℥ß. mf.

Coque aliquantisper, & colatura sæpius, quavis hora in ore teneatur. Vel

Vel: ℞. ▽. *plantag.*
Mulsæ. aa. ℔j.
ms. pro gargarismo.
Vel. ℞. *Rosar. r.* m. j.
Passular.
Jujubar. aa. ℥ij.
Liquirit. ras. ℥j.
Bulliant omnia in s. q. aquæ, addendo
Mellis rosar.
Julepi rosacei aa. ℥ij. ms. fiat gargarismus.
Vel: ℞. *Mellis rosar.* q. s. *decoque cum lacte* pro gargarismate.

Tandem ubi anginosus colli tumor, & abscessus, ad rupturam inclinat, tum fiant cataplasmata emollientia, & ad rupturam ducentia, inter quæ Empl. ex melle & fermento, optimum est: quo ita emollitur brevi tempore, ut tum gargarizando facilè aperiatur. Vel si hoc haud sufficiens sit, commendant Practici vomitum provocatum, quo sic fortiori hoc motu apostema rumpatur.

Quo rupto pus prono capite effluere sinat æger, vel exspuat, quo facto, gargarismo subdicto ex melle & lacte, ulcus abstergatur, vel paulo fortiora supra à *Burggravio* commendata, pro hoc usu adhibeantur.

Quando verò apostema haud suppurari vult, ex nimia verò & diuturniore mora æger suffocationis periculum incurrit, tum in extre-

mo hoc necessitatis casu, plures Practici *Bronchotomiam* instituere jubent, quæ quomodo peragi debeat, *Barbette Anat. pract. p.* 130. habet.

Sed cùm operatio hæc non tam rara sit, quàm periculosa, plurimi eam rejiciunt; nec absque ratione.

Poterit enim accidere, ut casu quodam, vel ob chirurgi rudem notitiam, sinister accidat eventus, qui maximam existimationis partem Medico sit ereptura: hinc qui famæ suæ curam gerit Medicus, ab ejusmodi operationibus abstinere jubetur.

Restat *Diæta*, circa quam notandum, *Aerem*, ob respirationem tardiorem, doloris ratione, subfrigidum esse debere: cùm enim æger sæpius ob dolorem inspirare haud velit, vel non possit, propterea aërem, qui tum inspiratur, subfrigidum esse volunt, utpote plus reficientem.

Victus non ob faucium saltem angustiam, sed Febrem malignam, tenuis admodum sit; sintque juscula hordeacea, avenacea &c.

In non maligna verò concedi etiam possunt juscula gallinarum, pullorum, caponum, ova sorbilia: & Rulandus lac caprillum, cum vitello ovi concedit. Præterea vero aromata exulent.

Ratione potus, vinum vitetur: sed detur decoctum hordei, cum passulis, liquiritia &c.

Somnus

Somnus in graviori respiratione Practicorum suasu vitetur; Ab initio vero quies imperetur, ne linguam multum commovendo, aut loquendo, vel masticando, gargarisandoque, fluxioni, & majori lymphæ irruptioni & stagnationi, ansa detur.

Contra vero in declinatione, ad abscessum rumpendum, si adest, præter jam enumeratos motus, etiam vociferatio, aut, ut paulo ante, commendatus vomitus, convenient.

Alvus semper servetur aperta, vel suppositoriis, vel clysteribus.

Anorexia s. Inappetentia, vel ciborum fastidium.

ANtequam ad affectus hujus definitionem progressum facimus, lubet paulisper pro majori luce ea trutinare, quibus fundamentum affectuum ventriculi hactenus superstructum fuit.

Est vero decantatum illud ventriculi fermentum innatum, à quo vel destructo, aut variè depravato, morbos illos originem sumere dicunt.

Quidam ortum ejus ex liene derivarunt: Alii eum innatum volunt à reliquiis chyli, & saliva affluente sustentatum.

Alii ex arteriis per tunicam ventriculi glandulosam, transmitti contendunt, pro appetitu exci-

excitando tam quàm chylificatione perficienda. *Omnes vero conveniunt in hoc, quod credant, fermentum hoc esse acidum aliquod singulare,* instar universalis microcosmici menstrui, quælibet ingesta per modum fermentationis in album cremorem liquefaciens.

Plurima ergo ad aciditatem hujus fermenti vindicandam, experimenta adducunt Autores; hisq; *acidum contineri in ventriculo demonstrant quidem, sed num hoc sit innatum, & necessarium, ut, sine eo non excitetur appetitus, nec chylificatio succedat,* propterea *non probant.*

Videtur verò probabilius, acidum hoc, quod illi in ventriculo observarunt, esse productum aliquod, sive ciborum variorum reliquias, quæ quo magis exsuperant, eo magis esse nocivas.

Non enim est probabile, infantum appetitum ex acido tali innato excitari, cùm notum sit, lac ab immixto acido coagulari; quomodo verò hoc nocivum sit, docent infantum tormina, â chylo açescente sive lacte ad coagulationem in matris ventriculo disposito, & ab infante exsucto, excitata. Qui ex arteriis Fermentum salino-acidum in ventriculum deferri dicunt, non considerant, quantum detrimentum acidum circulantibus humoribus immixtum adferat; Et quam hostile illud sit venis & arteriis, scorbuti plura phænomena docere poterunt: quis tale credat arteriis inesse?

Non etiam probant à juvantibus desumta argu-

argumenta, ſi ab acidis apetitum acui dicunt, vel à nocentibus, ubi alcalia appetitum pessundare objiciunt, ſtomachi Fermentum esſe acidum: Non enim ſimpliciter hæc vera ſunt, tam enim acida quam alcalia aliquando appetitum promovent, nec hæc ſolum, ſed & ſalſa, & aromatica &c. Poſſet ergo fermentum eſſe etiã alcalinum, aromaticum, aut ſalſum &c.

Atque ex his *notamus, plurima quidem concurrere ad digeſtionem veluti inſtrumenta, & adjuvantia*, ſed *non ut excitantia ſive cauſa efficiens, quam hic ipſam lympham ex ſtomachi tunica glandulosa transmiſſam & ſpirituum animalium vigore ſuffultam eſſe, firmiter mihi perſuadeo.*

Imò *appetitus ferè non minus anima tactus eſt, quàm ſunt reliquæ ſenſationes.*

Sic videmus delicatioribus ferculis conſpectis ſaltem ſalivam in ore effundi, ſpiritibus animalibus ab anima commotis, tum quidem, quando cibus ante aſſumtus, nunc pro communi uſu eſt diſpenſatus partim, partim verò è corpore proſcriptus, & quando humores circulantes deficere incipiunt, tunc defectum hunc ſentiens *anima ſatellites ſpiritus animales* ad appetitum excitandum *ſtimulat*, quos propterea pro unica digeſtionis potiſſima cauſa efficiente, non excluſis aliis concurrentibus adjuvantibus, firmiter habeo.

In ſubtili verò conſiſtere digeſtionis actum, *non tamen acido*, demonſtrant plura phænomena.

Sic

Sic videmus in veneris abusu, in amore & aliis animi pathematibus, *terrore, ira, & quovis paulo forti dolore, appetitum sufflaminari*: Sanè non simul acidum, si ventriculo inesset innatum, destrui deberet; quid enim hoc cum dolore in digito, pede &c, commercii habet! spiritus ergo animales ab anima informatos esse appetitus directores, *nec Helmont. negavit: qui digestionem opus vitæ esse etiam statuit.*

Quamdiu ergo spiritus illi quietè sua peragere munia possunt, organis ritè constitutis, & instrumentis legitimè dispositis, tam diu appetitus viget.

Instrumentum verò animæ nunquam fuit acidum, quia hoc tam venis, quàm nervis hostile admodum est, & ex quo omnes ferè morbi originem sumunt. Potius verò id alcalinum esse crederem, (uti omnes sunt humores circulantes, precipuè:) lymphatica eorundem pars: *ut hoc mediante tot advenientes, tam mediante aëre, quàm cibo & potu, acidorum ruditates, subigantur, & in alimentum innocuum facessant.*

Si enim omne eduliorum genus percurrimus, vix inveniemus unum, qui non acidi quantitatem in se contineat, vel in id degenerari haud possit.

Et unde tot morborum agmina, nisi ab acido copiosius sensim ingesto, alcalinas vitales, sive volatiles circulantium humorum particulas, subigentes, & se in eorum locum reci-

recipientes, texturaque sua minus convenientе, circulationem interturbantes, variasque obstructiones & morbos sic causantes.

Frustra ideo ipsi ventriculo in se considerato adhibetur medela, quia *plurima mala non in eo hærent ut activo, sed ut passivo*: Hinc & *activorum effectus vitiosi* potius in considerationem venire debent, qui vel *in ventriculi contentis, vel in activis animæ instrumentis, & satellitibus latitant: spiritus nimirum animales vel in suis operationibus, ab aliis vitiosis ventriculi contentis impediti de, vel & ipsius lymphæ stomachalis prava dispositio, aut succi pancreatici, vel bilis, instrumentorum chylificationis secundariorum, depravata constitutio, medelam postulant*; iis quippe omnes affectus ventriculi originem debent & ortum.

Est verò in specie Anorexia, appetitus abolitus, & hinc chylificationis sufflaminatio, dependens à depravatis ventriculi contentis, spiritus animales vel non admittentibus, vel admissos destruentibus: Aut ipsa lympha stomachali vel inopia, vel qualibus peccante: Aut denique succo pancreatico vel bile, tam depravatis ventriculi contentis, quam spiri-

ſpiritibus animalibus depravatis, anſam miniſtrantibus.

Adnumerari huic affectui poſſunt omnes alii appetitus læſi & depravati actus, quippe omnes vel depravata ventriculi contenta, vel digeſtionis inſtrumenta, lympham ſcilicet ſtomachalem, pancreaticamque, & bilem pro cauſa habent.

Sic datur affectus *Bulimos* nomine inſignitus, *in hoc appetitus ad aſſumendum copioſum alimentum ita ſtimulat, ut, niſi id ingeratur, & eo acris materia ſtimulans demulceatur, in lipothymiam incidere faciat*: & dependet à potenti acido præternaturaliter in ventriculo contento, à ſucco pancreatico fortè, vel ab aliis acidis copioſè ingeſtis, ſuppeditato.

Porrò datur affectus qui *Fames canina* audit, *hoc malo correptus æger avidè appetit alimenta, quæ ſi canis inſtar copioſè ingeſſit, aliquando digerit, aliquando verò vomitu rurſus rejicit*, & dependet itidem ab acido quodam præter naturam in ſtomacho hoſpitante, vel & extraordinariè quandoque à vermibus.

Datur etiam *appetitus* aliquando depravatus, *quem authores Picam nominant, in hoc enim affectu homines inuſitata planè, & ab eſu humano aliena appetunt, carbones videlicet, cretam, corium, pannum, avenam &c.*

Si verò adhuc *uſualia tali deſiderio nimis in-*

tenso appetunt, sicuti gravida apud *Tulpium*, quæ gestationis tempore 1400. haleces sine noxa devoravit, tum *Malaciam* vocare eis placuit: originem sumentes ab acido singulariter contexto, & præternaturalirer in ventriculo stabulante, spiritusque animales ac lympham stomachalem ad appetitum similem stimulante, vel informante, aut ad depravatum talem actum vel appetitum excitante.

Determinatum aliàs appetitum excitat lympha stomachalis in homine tam, quam in bestia; Sic canis appetit ossa, felis mures &c. qui verò, si ab aliis intervenientibus in suo actu interturbatur, tum appetitus hic determinatus perit, & ejus loco excitatur præternaturalis.

Pro præternaturali ergo appetitu excitando, credo concurrere fermentum aliquod singulare acidum, non item pro naturali: quemadmodum hoc testari videntur hystericæ mulieres, & hypochondriaci, acido vitioso, scorbutico dotati, utpote qui plus appetitus depravati speciebus vexantur, quam alii. Nullis etenim tam familiares sunt Pica, & Malacia, quàm hystericis prægnantibus, & obstructione mensium (affectu ab acido dependente,) laborantibus.

Subjectum verò horum affectuum quod attinet, hoc vulgo stomachus esse hactenus creditum fuit: Sed cum appetitus neque à

ſtomachi, neque fermenti ejus innata vi, ſed ab animæ ſaltem ſatellitibus ſpiritibus animalibus ſcil. ac lympha ſtomachali dependeat, *hinc hæc ſubjectum horum affectuum immediatum, ſtomachum verò ſecundarium & mediatum eſſe reor,* veluti in quo lympha ſtomachalis alimentationis primordia ſaltem ponit, poſtmodum demum, quando in utero materno, fœtu ſcilicet in lucem edito, deficit nutritio ex lacte à matre ſuppeditato.

Quo ergo modo corpori nutrimentum advenit & adducitur, ut liquor ille in ſuis actibus non interturbetur, ſufficit; ſive per ſtomachum, ſive per alias vias circulantibus humoribus ſuſtentandis, alimentum etiam illi accedat.

Quia verò ſtomachus in limine quaſi poſitus primum concoctionis actum ſuſtinere cogitur, hinc ei etiam ſola ferè directio delata fuit, ſed falſò.

Totum ſanè fundamentum circulationi ſanguinis innititur : Si enim adductum alimentum jam eſt abſumtum rurſus, tum ut conſervetur circulatio, lympha ſtomachalis ad ſtimulandum appetitum concitatur, ſi tum conveniens ſuppeditatur alimentum, tum laudabiliter ſuum peragit munus, ſed ſi alimentum datur inidoneum, minus laudabile, tum ſenſim conveniens perit circulantium ordo & textura, & ex hac tum generatur lympha depravata, quæ tum depravarè appetit, & varios appetitus vitioſos Fovet.

Tunc

Tunc verò Phantasiam determinare appetitum comperimus, à spiritibus animalibus simul impulsam, & alios sensus in consortium vocantem.

Appetuntur enim aliquando cibi pessimi saporis, & odoris, & tamen ac si essent saporis gratissimi, cum voluptate assumuntur, sic præter cretam, corium &c. quæ sane plane non sunt de appetitu humano, etiam in stercore humano delicias quandoque quærunt; qualis fuit virgo illa apud *Borellum cent.* 4 *obs.* 2. & quæ sunt alia exempla ab autoribus hinc inde citata. Depravata namque chylificationis instrumenta, perversè objecta animæ deferunt, hinc ea falsê de allatis judicat, quod phantasiam vocamus.

Signa anorexiæ, definitio quidem tradit sed cum causæ non semper sint eædem, hinc quæ dominium potius habeat causa ut noscatur, illa quodammodo accuratius sunt consideranda, ut cognitio causæ eo magis eruatur: Sic ubi anorexia à contentis ventriculi acidis, rudioribus originem trahit, percipiuntur simul ructus acidi, & ea quæ frigidi sensum addunt, non tolerantur: neque sitis adest: Si vero saburra hæc simul est viscida, tum simul nausea, & vomitus quandoque, adsunt.

Sed si contenta hæc depravata ventriculi, bili magis minus depravatæ ortum debent, tum præter ructus etiam vomitus biliosi superveniunt, & erosiones ac morsus stomachi percipiuntur.

Si autem ab ipſa ſpirituum animalium indiſpoſitione dependet appetitus abolitus, tum ſcorbutus, malum hypochondriacum, & ſimiles affectus ſuis ſymptomatibus vitium ejus produnt. Vel & circulantium humorum motus, variis morbis alteratus, ejus ſimul conſequentem alterationem denunciat; dependet enim ſpirituum animalium Eſſe & Motus immediatè à circulantibum humorum ordinario motu, quo alterato ejus motus ſimul compatitur, & aliæ inde dependentes actiones ſufflaminantur.

Immediata cauſa ergò Anorexiæ, ut & reliquorum prædictorum affectuum ventriculo adſcriptorum, eſt ſpirituum animalium vel ſufflammatio, ut quando terrore, ira, nuncio triſti, aut læto, ſubito appetitus perit; vel ſi morbo quodam ejus generatio impeditur, aut ſucceſſu temporis, ut in ſenili ætate accidit, per ſe debileſcit.

Vel ſi à ruditatibus in ventriculo ſtabulantibus, & vias occludentibus, vis eorum obtunditur.

Aut ſi denique ſenſim, ut in ſcorbuticis, ipſi ſpiritus ſunt depravati, vitioſumque tunc appetitum excitat, vel nullum.

Cauſa mediata proximior, & omnium frequentior, dependet à ruditatibus variis, ex alimentis vel nimia copia, vel qualibus depravatis, ingeſtis, relictis, vel acidis vel nidoroſis, aut

aut variò alio modo inter ſe contextis, & vitioſè commixtis, lympham ſtomachalem ſimul invertentibus.

Hiſce verò & cauſam & materiam miniſtrant *remotiores aliæ*, & quidem *ex rerum naturalium claſſè* huc multum contribuit *Temperies* M. Sang. ab origine minus activis particulis conſtans, vel ſucceſſu temporis talibus privata, ut in ſenili accidit ætate: Ubi enim activæ particulæ deficiunt, ibi ſpiritus animales parva quantitate generantur, qui appetitu forti & laudabili excitando impares ſunt.

Ex hac cauſa *ex nonnaturalibus* rebus etiam *aër nimis* calidus, vel *motus validior* non levem appetitus debilis cauſam ſuppeditant, quia ſubtiliores circulantium humorum particulæ eis abſumuntur.

Materiam verò frequentiorem ſubſternunt *alimenta*, *vel nimia copia*, *vel qualibus depravata* ingeſta, & in pituitam acidam facilè degenerantia, qualia ſunt pinguia, copioſius aſſumta, vel alia cruda & concoctioni, vel nutritioni minus idonea, ingeſta: v.g. Si lactuca, cucumeres, lac, piſces, fructus horarios, ſaccharata, & ſimilia uno in paſtu aſſumimus, & ſic acida cum dulcibus, acria cum pinguibus, & quaſi rotunda cum quadratis miſcemus, tum ex tot variorum contrariantibus particulis, variè inter ſe contextis, rudis

rudis generatur massa : vasis chyliferis penetrandis, & sic in sanguinem migrare inidonea; Hinc in primis viis stagnantes istæ ruditates, succo nerveo vias præcludunt, vel admissum jugulant, & sic appetitum pessundant, vel alio modo depravatum excitant. Spectant huc medicaminum quorundam vires, quibus crebro assumtis appetitus etiam jacturam patitur, sunt vero opium & tabacum.

De animi pathematibus satis notum est, ea non infrequentem inducere anorexiam.

Ex præternaturalibus vero rebus hic se sistunt lympha stomachalis succus pancreaticus & bilis vitiosè constituta, hæc enim veluti instrumenta chylificationis, non minimam suppeditant causam, tam appetitus variis alterationibus, qnàm & inde dependentibus aliis variis morbis, & circulantium humorum vitiis, quibus tum vitiatis appetitus simul magis minus perit, vel alteratur.

Dum enim textura circulantium humorum ordinaria est vitiata, tunc alimenta non admittuntur, donec in pristinum restituta illa est, propterea que appetitus non excitatur, quia subtilioribus omnibus animæ satellitibus tum pro expellendo hoste indiget circulans humorum motus, quo tandem subjugato, pro sui conservatione alimenta rursus expetit.

Prognosin quod concernit, notandum, bonum

num eſſe ſignum in omni morbo aliquantulum adhuc ſine faſtidio comedere poſſe, ut ipſe *Hippocrates aph.* 33 *ſ.* 2. notavit. Hinc quando in principio febrium malignarum, appetitus planè abolctur, tum peſſimum eſt ſignum, notat enim vires uno ictu quaſi proſtratas eſſe.

Ubi vero in aliis morbis, ab initio & ſtatu morbi, appetitus periit, non adeo malum eſſe ſolet, modo in declinatione revertatur. *Sed ſi ab initio morbi appetitus adhuc viget, in declinatione verò demum proſternitur, tum vel recidivam indicat in febribus præprimis, vel novum præſagit* morbum.

Fatale verò ſignum eſt, ſi ægri viribus exhauſti, in ſumma & extrema debilitate ſubitò appetunt alimenta, quæ antea faſtidiverunt.

Sic item maximè ægrotare pueros & infantes comperimur, quando anorexia corripiuntur, quia aliàs naturâ voraces, aſſiduo cibum poſtulant.

Curatio pro ratione curarum inſtituatur: Et *ſi ruditates in ventriculo* cauſam anorexiæ fovere obſerves, tum *vomitoria rem expedient.*

Poſtea verò ad reliquias ſubjugandas, ſi verb. gr. illæ ab acida viſcida pituita dependent, tum omnibus aliis palmam præripit *Spiritus ſalis armoniaci cum* ⊖e 🜿i imprægnatus, vel *Elixir Polychr. cum Spir.* ✳*ci mixtum* : & ſimilia volatilia, ut & aromatica, *ex mentha, Zedoaria,*

acoro, cent.min. &c. Sic in hunc usum posset optimè fieri tale Elixir stomachle, v.g.

℞. *Herb.menth.crisp.* m.v.
Radic. acori veri.
Helenii aa. ℥ß.
Zedoar. ʒij.
Zingib. ʒß.
Spir.vini opt. mens. j.
Spir.Salis,vel ⊖li philosoph. ʒj. Stent in infusione, & de hoc Elixire detur sæpius cochlear.

Vel fiat talis pulvis stomachalis.v.g.

℞. *Radic.aron.sicc.pulveris.* ℥ij.
Salis armoniaci. ℥ß.
Rad.Calam.aromat. ʒij.
Cinamom.
Macis aa.ʒj.
Caryophyll. ℈j. mf. fiat pulvis pro usu.

Præter hæc acida etiam blanda, pituitam incidunt quidem, sed appetitum eis irritare velle, nulla præsente materia, illum pessundante, periculo non caret: non rarò enim ventriculi tunicæ eis corrosione corripiuntur, vel assumta alimenta, plus quam debent acescunt, & scorbuto pabulum ministrant.

Ubi verò bilis exsuperans, & volatilis nimium appetitum debilitat, tum *Elixir Propr.cum essentiis aliis aromaticis amaricantibus mixtum &*

pau-

paulum acidulatum, ejus vim obtundit, & corrigit, appetitumque rursus excitat.

Sic & *Spir. Salis dulcis* ad gutt. xxx. pro dosi in vehiculo calido assumtus, non inidoneus est. *Nec succus cydoniorum*, & ex eo parata alia medicamina in hoc casu erunt de nihilo, *præprimis si alvi fluxus plus minus conjunctus adest.*

Si spirituum animalium debilitas in causa est; tum insigne remedium est *ambra, cum vino malvatico* propinata, ut & *Balsamum verùm Arabicum*, vel in hujus defectu *Peruvianum*, ad aliquot guttas cum vino quotidiè propinatum.

Externè verò inungatur Balsamus hic, vel similis. v. g.

℞. *Olei Junip. dest.* ℨj.
Mentha.
Absynth. aa. ℨß.
Macis.
Caryophyll. aa. ℈ß.
Cinamom. gutt. v.
Bals. Peruvian. ℈j.
Olei nucistæ q. s. f. Balsamus, qui regioni ventriculi & scrobiculo cordis probè infricetur, & later, vel sacculus arena repletus, & calefactus imponatur; sic tubuli obstructi reserantur, & fibræ nerveæ corrugatæ emolliuntur, & spiritus animales ad appetitum excitandum instigantur rursus.

Post inunctionem etiam potest imponi tale emplastrum v.g.

℞. *Gummi tamahac.*
Storac. calam.
Mastich. aa. ℥ß.
Solve in therebint. claræ. ℥ij. adde
Ol. dest. absynth.
Nucistæ.
Caryophyllæ. aa. ℈ß.
Myrrhæ pulveris. ℥ij.
Bals. Peruv. ℥j. fiat s.a. Empl.

Nec inconveniens erit *crusta panis tosta, vino malvatico irrorata*, *& pulvere caryophyllorum, macer. nuc. mosch. cinam. aspersa*, vel & *theriaca Emplastri loco applicata*; & similia.

Reliquas supra indigitatas appetitus depravati species quod concernit, ut *Bulimum*, *famemq; caninam*; hæc, quia à saburra acida, in ventriculo, p. n. contenta, dependent; nullis ferè mediis cedunt, quam absorbentibus, & dulcificantibus, tam salinis, quam terreis. *Purgantia verò vitentur suasu Sylvii*, qui nulla purgantia præscribit in fame aucta, nulla enim sibi nota esse asserit, quæ humores acidos blandè educant: seque præterea edoctum esse, per experientiam inquit, irritari quidem, non verò nisi cum summis torminibus, & noxa majore quam fructu, evacuari acidos in corpore humores, *Pract. lib.* 1. *c.* 2. Præfert ergo *antimonium diaphoreticum*, *Bezorad. minerale* &c.

Cl. Ett-

Cl. Ettmüller laudat vinum generosum absynthites ut & vinum hypocraticum.

Picam verò & *Malaciam quod attinet*, si in stomacho malum hæret, hoc *mediante vomitorio eliminandum*, reliquiæ verò tum stomachicis ulterius corrigendæ sunt.

In non gravidis suppressorum mensium respectus habeatur ; in genere vero tam in his, quàm gravidis, circulantes humores corrigantur; & quidem in non gravidis hic optimè conducunt salia volatilia. In gravidis vero si saburra vitiosa mediante leni vomitu est eliminata, tum conveniente victus ratione , & eis quæ corroborant, ut aqua cinamomi, arantiorum, margaritis, corallis præparatis & similibus, res peragenda tum erit: v.g.

℞. ▽. *Cinamomi* ℥ij.
Vini rubri generosi ℔j.
Succi Cydon. inspissati cum saccharo.
Julepi rosar. aa. ℥iß.
Trageæ stomach. usitat. ℥iß.

Transfundantur aliquoties per saccum, & tunc servetur ad usum, ac de eo singulo mane bibantur cochlearia iij. vel iiij.

Apoplexia.

Est actionum omnium animæ & corporis subita præcipitatio, sub profundissimi somni specie, cum stertore, respirandiq; difficulta-

cultate, ab universali spirituum animalium in nervos transitu in cerebro intercepto, lymphæque sive succi nervorum nutritii crassitie nervorum oscula obstruente dependens.

Subjectum in genere sunt animæ omnia organa, pro sensu & motu exercendo destinata, in specie verò colatorium illud succi nervei, spinalis scil. medullæ, ac reliquorum nervorum omnium initium & origo.

Signa in definitione partim expressa, sunt actionum omnium animæ subita præcipitatio.

Solent enim gravissimo hoc affectu correpti, quasi fulmine percussi ex improviso cadere, motuque & sensu destitui, vox faucibus hæret, accedit stertor, spuma circa os colligitur, respirandi se adjungit difficultas, cum faciei rubore, & pulsus etsi aliquandiu adhuc robustus sentiatur, paulatim tamen imminuitur, & tandem omninò perit. Hæc sunt apoplexiæ necantis fortissimæ potissima phænomena, quæ alia utplurimum præcedere solent.

Sic imminentem, vel futuram apoplexiam non raro denotant, sæpe subitò recurrens, vel continuus capitis dolor, ingenii stupor, torpor, vertigo, somnolentia, extremarum partium totiusque corporis frigus,

frigus, oculorum caligo, ſtridor dentium, & quod alii jungunt, ſalivæ in ſomno ſæpiſſimè accidens effluxus.

Cauſa immediata eſt ſpirituum animalium interceptus motus â lymphæ craſſitie, nervorum oſcula comprimente, & ſpirituum ſecretionem, & in nervos tranſitum impediente, vel in totum, ut in forti Apoplexia: vel pro parte, ut in hemiplexia &c. ſpiritum hunc interceptum motum mox ſequitur circulationis ſanguinis ſtagnatio & mors.

Sanguinem, & ejus interceptum vel abolitum circulum conſequentem eſſe hujus mali cauſam, & ex eo patet; quod ejus circulo in corde ſaltem interrupto, & ſenſus & motus pereant, quemadmodum in ſyncope, vel lipothymia cernimus. Quidni ergo circulo plane abolito, tota machina cum vita corruat.

Cùm enim nullum corpus moveatur, niſi intus habeat motorem quendam, hinc ſupremus univerſi motor, *in homine omnis animæ motum, à convenienti humorum, vel maſſæ ſanguineæ circulatione, dependere fecit.*

Eſt vero *circulatio* hæc humorum, & *univerſalis,* & *particularis.*

Univerſalis eſt, quando in arteriis contentus liquor, ſive ſanguis, ad omnes corporis partes vehitur, & ab eis à venis abſorptus, rurſus ad

ad arterias regreditur, & quamdiu universalis hic circulus durat, tam diu vitam vivit homo.

Particularis humorum circulatio est, & ab universali omnino dependet, quando hac mediante, hepati bilis, glandulis salivalibus saliva, vasis lymphaticis lympha, nervis in cerebro spiritus animales, vel aliis organis alii liquores secernendi advehuntur.

Universalis circulatio abolita, vitam mox adimit, particularis non item, sed sensim inductis morbis necat.

Quemadmodum verò quilibet particularium circulantium humorum, proprium suum habet necessarium usum, sic inter eos *magis universalem habent spiritus animales*, hi enim *sensibus omnibus præsident, & animæ principalissimum sunt organon*, ut adeo omnis vel universalis circulatio, horum spirituum conficiendorum causa instituta esse videatur, sicuti effectus docere potest; ubi eorundem motu cessante, sensus simul omnes perire cernimus; ac animæ actus vitiari observamus.

Ob rationem verò homo est, homo quam verò ut exercere anima possit, necessarius fuit spiritus subtilis, qui ad nutum esset, & voluntati ejus pareret.

Talis sunt spiritus animales subtile illud elasticum, cujus *esse*, quemadmodum omnium contentorum corporalium, *à cibo & potu, & ex his confecto chylo dependet, promotio verò à sangui-*

nis circulo fit, mediante quo per arterias hic liquor cum aliis humoribus mixtus advehitur in cerebrum, in quo ob singularem nervorum texturam illi secernuntur, reliquis præterlabentibus; secreti verò, novo semper adveniente, mediante continua circulatione propelluntur, & augentur, ut sic nervi eorum ope semper teneantur extensi, pro sensu & motu.

Continuatur ergo spirituum eorum adductio tamdiu, quamdiu durat vel ipsa humorum, s. massæ sanguineæ circulatio, vel circulantium humorum legitima constitutio: ut adeò spiritus illi Esse quidem habeant à continuata circulatione sanguinis; Bene vero esse, ab ejusdem convenienti proportione, textura, situ, motu, ordine &c.

Causa ergò mediata proximior nostri gravissimi affectus, est particularum sanguinis, lymphaticarum depravata dispositio, & configuratio, vel textura, quæ nervorum & venarum poris non respondet, propthereaque in cerebro stagnat & nervorum orificia occlutdit unde tum spiritus non transmittuntur ac secernutur, & sic ratio cum sensu, & nisi circulatio rursus promoveatur, vita simul cessat.

In hac depravata humorum configuratione, etiam hoc considerandum venit, quod unico

unico ingrediente etiam ineptè immixto, reliqua ex ſuo conveniente ordine detrudantur, & à convenienti textura immutentur, unde accidit, ut una parte affecta, etiam reliquæ patiantur. Sic ergo in ſuis primordiis depravari poteſt lympha nervorum nutritia, & ita transmutari, ut inepta fiat à nervorum poris abſorberi, & ſecerni, id quod ſtupor, torpor, vertigo, ſomnolentia &c. Apoplexiæ prodromi, indicare videntur: indicant enim ſanguinem à ſua debita circulatione ſenſim recedere, & depravatam advehere lympham nutritiam.

Peccant etiam minori quantitate ſpiritus nervei, quando ex cibo & potu non amplius generatur legitimus chylus, ſed is depravatus ſanguini communicatur, qui vero depravatus chylus non eſt diſpoſitus, cerebro & nervis laudabilem copiam ſubtilium particularum cedere.

Et cum ſpiritus animales videantur ex particulis ſubtiliſſimis ſalis volatilis alcalici conſtare, hinc facile patet, quæ majorem ei noxam inferre valeant: Hæc ſunt in genere acida, quovis modo ſanguini advecta, & vel lympham viſcidam vel ſerum acre coagulationi admodum apta, & ſtagnationi facilè obnoxia, omnesque volatiliores alcalinas particulas peſſundantia, & deſtruentia, generantia; ſicque partes ſubtiles, in ipſa cum ſanguine circulatione, jugulantia.

Patet

Patet hinc, Apoplexiam non tam humorum quantitati, quam qualibus eorum depravatis adſcribi oportere.

Remotiores cauſas, quod concernit, has ſymbolum addere poſſe, *res naturales* docent, dum non tantum *ætatem ſenilem*, ob ſpiritūm ſive partium ſubtilium inopiam, & acidi ſucci abundantiam apoplexiæ feracem notamus; ſed & *Temperamentum* ex acido utplurimum conflatum, potiſſimum hoc affici morbo comperimur.

Quibus adnumeramus, hæreditariam vaſorum & canaliculorum anguſtiam, non niſi maximè liquidis vias cedentem, & levi de cauſa obſtructionibus, & humorum ſtagnationibus, obnoxiam, tam in juvenibus, quam ſenioribus.

Quid *res nonnaturales* huic malo addere valeant, & quomodo, invenies de dolore capitis.

Res item præternaturales huic morbo non rarò ancillari comperimur. Sic inter has eminet, quævis fortior contuſio, & cerebri concuſſio, à caſu vel jectu &c.

Cum nunc conſtet, quod non *apoplexia* tantum, ſed *catarrhus ſuffocativus* hominem ſubito è viventium theatro ſubtrahat, amborum verò phænomena non multum inter ſe differant, hinc tamen, ut, quo malo in ſpecie

 homo

homo correptus pereat, sciamus; lubet paucis adponere differentias.

Ambo verò hi *affectus*, *multum inter se differunt*, quando enim in pulmonibus sanguis stagnat, catarrhus oritur suffocativus, sed ubi in cerebro lympha crassa nervorum orificia occludit & spirituum animalium separationem restinguit apoplexia in specie vocatur.

Porrò affectus ambos hos differentia intercedit, quod catarrhus suffocativus respirationem multò difficiliorem, cum maximis in pectore angustiis junctam habeat, quam apoplexia; utpote quæ si debilis, non adeo respirandi difficultatem junctam habet. Sic pulsus in catarrho suffocativo vix sentitur; at in apoplecticis durus ferè observatur; nisi apoplexia sit fortissima, neque sanguis versus præcordia magis stagnare incipiat, & catarrhum suffocativum simul inducat.

Præterea in catarrho suffocativo externa frigent, sutor frigidus erumpit, facies pallescit, pulsus evanescit, & respiratio planè aboletur. In Apoplexia è contra, extrema calida utplurimum sunt, & facies rubicunda; sic & arteriæ pulsant, & respiratio non adeò aboletur, nisi cum vita.

Sic & in catarrho suffocativo nullus adest stertor, qualem apoplexia junctum habet, in illo enim cor subito occupatur.

Non

Non raro uterina ſuffocatio apoplexiam mentitur, cognoſcitur tamen illa ex prægreſſis ſymptomatibus abdominis, ſic & pulſus in illa eſt parvus, aut ferè nullus, qui aliàs in apoplexia admodum ſenſibilis eſt, ob fortem compreſſionem cordis & arteriarum, dum omnibus viribus ſanguinem propellere, & circulum abſolvere nituntur, ſpiritibus non adjuvantibus.

Sic in ſuffocatione uterina facies pallet, quæ in apoplexia manet colorata.

Prognoſin quod attinet, hæc nobis ſiſtit affectum acutiſſimum & periculoſiſſimum, & qui hoc moriuntur, tanquam ſtrangulati pereunt.

Quo difficilior ergo reſpiratio, eo periculoſior apoplexia: & quo liberior illa, eo minor hæc.

In ſpecie ergo, ſi in tantum læditur reſpiratio, ut ſpuma circa os appareat, *Hippocratis* effato lethale habet *Sect.* 2. §. 43. fit enim à vehementi circulaturi ſanguinis conatu extremo in pectore, lympham ex larynge ſimul viſcidam exprimente, & per reciprocum aeris motum attenuante, inque ſpumam rarefaciente.

Vel ſi à difficili reſpiratione apoplecticis ſudor provenit, lethale eſt, ſyncopen enim annunciat.

Et ſi apoplectici medicamentis excitati, denuo torpidi aut ſomnolenti ſint, iis recidivæ periculum imminet.

Et præterea, etsi perfectè curatus videatur apo plecticus, facile attamen recidivam patitur: vel incurrit paralysin; ut adeo rarò Apoplexia integrè profligari queat, *Hippocrate* id testante; quando *Apoplexiam vehementem impossibile, levem vero non facile, curari posse pronunciat*.

Interim si post venæ sectionem, quam plurimi suadent, facies apparet vividior, respiratioque liberior, tum reconvalescentiæ spem affulgere, vulgo creditur.

Curam affectus nostri truculenti minimè differendam, ex præmissis liquet, quæ cito auxilia in usum vocanda esse indicant.

Causa ergo primaria impugnetur subitò, & stagnanti circulaturo sanguini succurratur quantum possibile, & spiritus animalibus viæ reserentur.

Instituunt hoc utplurimum Practici venæ Sectione, & Vomitoriis: tum internis aliis, vel externis, sanguinis circulum potenter promoventibus, & vias reserantibus, spiritusque nerveos confortantibus.

Venæ sectionem vero *quod concernit*, hæc in Apoplexia non semper convenire videtur: cum enim non in venis, nec arteriis, vel & extra vasa subsistat & stagnet sanguis: sed in obstructione nervorum, causa subsistat, hinc caute hic agatur, & paulisper trutinetur observatio, quam suggerit *Henricus ab Heer obs.* 19. *ubi ait:*

ait: Nostrates qui ingluvie ac comessationibus ferè apoplexiam incurrunt, phlebotomia vix curantur, adeo ut centesimus, educto sanguine, ægrè evadat, quia origo non tam in circulante sanguine, quam in obstructione principii nervorum quærenda.

Interim si Apoplexia hominem antea sanum, nec senem adhuc, sanguinis copia abundantem corripit, & sanguinis transvasatio ex arteriis ad venas tardior videtur, (id quod faciei & artuum rubor indicare potest,) sicque stagnatio sensim incipit; tum venæ sectione paulisper sistitur sanguinis præt. nat. propellentis impetus, qui ex accidente saltem obstructionis occasio esse potest.

Dum enim è brachii vena, emisso sanguine, & dato vacuo aliquali, non parva portio per axillares arterias, ad resarciendum illum, qui ven. sect. effusus fuit, brachia petit: hinc minore per arterias, ad cerebrum properat & premit.

Sic ex reliquis vasis etiam, ad cor ob venæsectionem paulo inanitum sanguis accurrit, & tum magis decenti ordine rursus propellitur, sicuti sentit *Cl. VVepfer de Apoplexia p.* 218.

Post ven. sectionem in usum subitò veniat *Vomitorium* sat validum, ut ob sensuum stuporem se actuet magis.

Propinetur verò in forma liquida, cum ▽a cinamomi, quo sic spiritus nervei vigor excitetur paulisper.

Hoc actu concutiuntur quasi nervorum o-

ſcula, & ſic removentur impedimenta, ut ſpiritibus nerveis liberæ reddantur viæ; quemadmodum hoc pluribus explicat *Cl. D. Lang in animadverſionibus M.S. in Joh.P.Fabrum.*

Sunt qui pro arcano hoc in negotio habent aquam communem, ſale, quantum ſorbere poteſt, imprægnatam, & ad ℔.j. vel ij. ore ligno aperto infuſam: hancque, niſi mortuus ſit apoplecticus, vel morti proximus, eum revocaturam ſpondent, excitato ſufficienti vomitu.

Poſt vomitum ſi jam ad ſe rediit æger, ut deglutire rurſus queat, *purgantia* ultro propinanda eſſe *Fr. Hoffmannus* & alii ſuadent, quo ſic circulantes humores depurentur ſufficienter, & a lympha viſcida liberentur ſenſim.

In hunc finem ℞. *Extr. helleb. nigr.* ℈j.
colocynth. gr. iij.
Gummi ammon. ℈ß.
♀i ⊖-*lati* gr. viij.
Caſtor. gr. xij.
▽ *ſalv.* ℥iß.
Spir. ✳*ci* gutt. x. mſ. fiat potiuncula pro doſi.

Interea his præmiſſis, vel pro, circum ſtantiarum ratione omiſſis, ori infundatur ſeq. mixturarum una, aut altera: v.g.

℞. *Aq. Apoplect.*
ſerpill.
ſalv. aa. ℥ij.
Eſſ. caſtor. cum menſtruo vol. ʒj.
Tinct. ſuccin. ʒß.

Syr.

Syr.flor.pæont ℥j.mſ. detur cochleatim.

Vel ℞. ▽.*Lilior.convall.*
Lavendul.
Spir. ceraſ. nigr aa. ℥ij.
Eſſ.ſuccin.
Spir.✳*ci* aa. ʒj.
Syr.fl. tunic. ℥j.mſ. detur cochleatim.

Vel ℞. ▽ *Apopl.* ℥ß.
⊖ *ſuccin.vol.*℈ß.
℅ *ſuccin.*gutt.iij.
*Syr.cinamom.*ʒij. mſ.pro doſi.

Sed ſi plethora adſit,cautè remiſceantur ſalia volatilia oleoſa: ſed potius urinoſa, absque oleis dentur: quemadmodum hoc monet *Cl. Ettmüller.Comment.Ludov.p.*23.

Præter hæc *veſicatoria ampla cervici, cruribus vertici* appoſita inſignem præſtabunt opem. Nec *cucurbitulæ*,vel cum vel ſine ſcarificatione vertici,ſcapulis, brachiis.admotæ, ægrum ad ſe redire facient, minori cum effectu.

Vel per totam dorſi ſpinam, prius pannis aſperioribus probè fricatam,à nucha incipiendo, imponatur cataplaſma hoc calidè. v.g.

℞.*Sem.ſinapi* ℥iiij.
*Caſtor.*ʒij.
Myrrhæ ℥j.

Contunde cum aceto & coque,ut fiat cataplaſma.

Vel ℞. *Piperis nigri pulveris.*
Lumbric. terr. pulveris. aa. ℥ß.
Myrrhæ.
Castor. aa. ʒß.
☍ *de castor.*
succini.
spicæ aa. ℈j.

Cum s. q. *mellis* fiat Empl. dorso applicandum.

Præterea *clysteres* injiciantur acres, & repetantur sæpius.

Lingua fricetur cum oleo succini, cinamomi, camphora mixtis &c.

Nares *balsamo apoplectico* inungantur, & *spir.* ✱*ci volat. urinos.* cum *camphora*, aut *succinatus*, admoveatur diligenter.

Plantæ pedum cum muria acri, vel aceto & sale, mediante setaceo fricentur, id quod probè excitare, *M. A. N. C. Ann.* 8. *p.* 259. habent.

Nec *sternutatoria* negligantur ex *Fl. lilior. convall. majora. castor. pyrethro*, *sale* ⊖*li* &c. Hisque vel similibus excitamentis æger continuò agitetur.

Et licet ad Apoplexiæ tam curationem, quam causæ remotionem parum aliquando contribuant, tamen nil omittatur, quod vel Medicum negligentiæ, vel inscitiæ incusare possit, si omitteretur.

Mortuos tandem Apoplexia, ante quatriduum non esse sepeliendos, Practici volunt, cum nonnulli intra hos dies revivixisse observati fuerint.

Præ-

Præservatoriam hujus mali *curam* quod concernit, hæc minimè negligatur. Si enim ſupra dicta, Apoplexiam præcedentia ſigna obſervantur, tum tempus eſt, ut quantum poſſibile, in incunabulis jugulemus malum.

In auxilium ergo veniant ex *caſtoreo, ſuccino, ſalibus volatilibus, aromatibus*, & ſimilibus combinata medicamina.

Cl. Ettmüller in *ſemine ſinapi* Præſervativum ad Apoplexiam delitescere in praxi aſſerit, exque eo cum caricis, cardamomo &c. Electuarium conficit. Mihi placet hoc:

℞. *Conſerv. Fl. tunic.* ℥iß.
Sem. ſinap. alb. ʒvj.
cardamomi ʒj.
▽. *Apoplect.* q. ſ. ut fiat Elect.

De quo capiatur ſingulo mane doſis, juglandis magnitudine.

Cucuphæ etiam veniant in uſum, & Empl. aliquod confortans de raſis capillis vertici applicetur, v. g.

℞. *Gummi tacamahac.* ℥j.
Storac. calamit. ℥ß.
Balſ. Peruvian. ʒij.
Olei ſuccini.
albi aa. ℈i.
Thereb. cypr. q. ſ. fiat Empl.

Si purgante opus, ☿ *dulcis* haud prætereatur.

Arthritis. Podagra.

ARthritis vel *vaga* eſt, vel *fixa*.

Fixa, vel pedes, vel manus, vel genua, aut denique articulos circa coxendicem excruciat ſaltem: Vaga citò hic, citò alibi, ſua ludit dramata.

In genere tamen omnis arthritis ſub Podagræ nomine comprehenditur.

Et eſt dolorifica ſenſatio mentis à partium nervoſarum roſione, & extenſione circa articulos, ab acrimonia ſucci nervorum nutritij & ſpirituum nervorum, fuliginoſa diſpoſitione, circa illos præmente, & reliquis circulantibus humoribus in ſuis vaſis & viis circa articulos liberum motum ſufflaminante, exorta.

Subjectum ideoque, ſive pars ipſa, quoad ſolidas partes affecta, ligamenta nervea ſunt, articulos ipſos & oſſa cingentia, cum proximè adſitis aliis partibus, per accidens in conſenſum ſimul tractis.

Signa Arthritidis dolor quidem manifeſtat; ſed cum eryſipelas aliquando ſimilia juncta ſoleat habere phænomena, propterea Arthriticum dolorem ab illo differentem dabit febris comes, ſitis, vigiliæ, appetitus dejectus, membri dolentis impotentia, vel execrandè dolorifica; nonnunquam cum tumo-

re,

re, & inflammatione, certo anni tempore, vere & autumno, recurrens.

Eryſipelas namque eſt fervor tantum ſuperficialis, abſque ingenti dolore, breviter ceſſans.

Immediata arthritidis *cauſa* eſt partium nervoſarum articulos cingentium roſio, punctio, vel extenſio, citra ſolutam plerumque unitatem.

Mediatam proximiorem tamen *cauſam* ſuppeditare liquorē nutritium nervorum, craſſitie & acrimonia peccantem, ac flatulenta, ſive fuliginoſa ſpirituum textura adulteratum, & tubulis ſuis minimis penetrandis disproportionatum redditum, per nervos ad affectum locum preſſione circulatoria deportatum, & tum ſtagnantem, ſequentes me credere moverunt rationes.

In partes namque nervoſas transmitti nil poteſt, niſi per proprias vias, nervos ſcilicet.

Vaſa etenim in corpore non confunduntur, ſed quodlibet ab alio & ſitu, & actu diſtinctum, corpus percurrit.

Notamus etiam cauſam hanc, dolorem hunc inſtituentem, admodum volatilem eſſe oportere, & quidem à ſpiritibus fuliginoſis dependentem, cum curſus ſæpe in momento ab hoc, ad alterum longe diſſitum articulum vel membrum factus, talem immediatè expoſcat. *Reliqui etenim liquores circulantes gradatim ſuum circulum perficiunt, neq; vero mox in hac, mox*

in alia parte oberrare liberum dominium obtinent: sed à cordis motu propellente & premente exactè dependent.

Et licet hic modus ſpiritibus nerveis etiam competat, cum ab univerſali circulatione etiam dependeant; tamen ob mobilitatem ſuam, & volatilitatem, volatilibus heterogeneis particulis, & nervorum tubulis ſubtiliſſimis diſproportionatis, commotus, & in libero ſuo motu ſufflaminatus, viam liberius alibi inquirit, quam craſſiores circulantes humores alii.

Nullæ ideoque aliæ viæ pro tam ſubtili materia vehenda in noſtro hoc affectu excogitari queunt quam *Nervi*, alias *materia ſummè volatili & ſubtili animæ juſſum & velle, in ſtatu naturali, cito hic, cito alibi, exſecuturo, repleti.*

Pabulum item & cauſæ aliæ dolorem hunc vel foventes, vel excitantes, hoc confirmant, vinum videlicet, vel liquores alii generoſiores copioſe ingurgitati. Item ira & venus: vel æther peregrinus, autumnali vel vernali tempore, malum revocantes: convulſionesque ſe jungentes, & animi deliquium, ob ſufflaminatum ſpirituum nerveorum liberum ubique tranſitum & motum accidens &c.

Omnia hæc cauſam denotant admodum ſubtilem, quæ extra nervos vix offenditur, & unde vigiliæ, appetitus dejectus, motusque impotentia dependere queant.

Tumor ſe jungit, & febris, ob ſufflaminatam ſimul lymphæ nerveæ & ſanguinis circulationem.

Hetero-

Heterogeneæ etenim ſpiritibus nerveis immixtæ fuliginoſæ particulæ, quando circa articulos ſtagnant, & membranas admodum diſtendunt, tum percurrentibus arteriis & venis viam quaſi præcludunt, easque admodum comprimunt, unde ſanguinis circulus ibi ſufflaminatus partem rubedine etiam notat, & Febriculam addit.

Quod verò liquor iſte ſubtilis, heterogeneus, circa articulorum potius regionem, quam alibi vulgo deponatur, fit ob nervorum ſive ligamentorum, horumque tubulorum inſignem anguſtiam, in latum ſe extendentem. Accedere videtur lympha nervea, quæ ceu alcalina, cum fuliginoſo acido flatu, conflictum inſtituere creditur, ex quo & motu ejus ſimul ſufflaminato pars intumeſcit.

Lympham vero articularem nerveam hic patientis cauſam agere, in quam potiſſimum effectus redundat, denotare poterit ejusdem tandem coagulatio, & in calciformem materiam induratio.

Ex remotioribus cauſis plures ſunt quæ malo huic miniſtrant anſam: & *ex naturalibus* quidem *rebus* vulgo primo ſolet poni loco *Temperamentum* à veteribus phlegmaticum & cholericum vocatum. Sed inutiliter temperamenti hic ferè videtur facta mentio; cum hodierno tempore in plurimis locis, vix ullum impune exeat temperamentum.

Cum enim temperamentum vulgo fluidas ſequa-

extent, non mirum tam subitò ejus posse fieri inversionem: hinc est quod nec juvenes, intacti maneant, præprimis quibus hæreditarium jus stimulum addidit.

Ubi tamen interim haud negandum, temperiem doloris ratione differentiam quandam addere. Sic notamus, biliosos vulgò vocatos, lympha acri abundantes dolore magis acuto & vago excruciari, quam pituitosos, aut lentis humoribus præditos. In his etenim symptomata solent esse leviora quidem, sed diutius interim molestantia: in illis breviora, sed graviora.

Ex nonnaturalibus rebus *aër* hic magni est momenti; variis etenim peregrinis, acribus, acidis particulis turgidus, & antecedenti, & consequenti causæ non contemnendum addit stimulum: Circulanti etenim massæ particulas inducendo dispropotionatas, subtilissimis porulis & tubulis penetrandis ineptas, & hinc inde propterea stagnantes; liberum sufflaminat circulantium motum, sicque obstructionibus, inflammationibus, doloribusque ansam ministrat sat validam.

Quo magis verò aër particulis salinis acidis refertus advehitur, eo feracius doloris hujus cruciatus suscitantur, id quod ventus boreales autumno, vel vere, Podagricis præsagire solent.

Hinc dantur Regiones, in quibus podagra incolis ferè epidemia existit; qualis transylvania esse dicitur, quæ ob loca salina, & metallica

copio-

copiosa, aëri particulas copiosas salinas transmittere, sicque incolarum corporibus mali hujus pabulum in copia advehere, podagricoque sic charactere notare creditur.

Huic si accedit in Diæta commissus varius error, tantò certius radices figit malum.

Committitur verò utplurimum nocivus error, quando in usum vulgo venit *cibus*, nutrimentum suppeditans viscosum, flatulentum, acidum, & acre. In hoc verò excellere dicuntur carnes salitæ, fumo induratæ, Brassica muria condita, fructus horarii &c. & *Potus* ratione vinum pingue & generosum, in continuo excessivo usu: Levissimis etenim, & subtilioribus particulis mox dissipatis, relinquuntur crassiores, & acriores, causam non contemnendam addentes.

Quomodo *motus* & *quies* excedentes, *excretiones* consuetæ suppressæ, *animique fortiores motus*, hic conferant Symbolum, brevibus traditur titulo de dolore capitis.

Prognosin tandem quod concernit, notabis, quod cum hoc malum absque mortis periculo plures in annos corripere soleat & excruciare homines & rebellis hic morborum Princeps, pertinax admodum sit, exoptatam curam raro, imo vix ulli concedat, sævi instar Tyranni afflictorum lamentationes respuens, remediorum supplicationes vilipendens, Medicorumque molimina flocci faciens, artis irrisor, & Medicorum opprobrium. Ubi

Ubi verò ad statum nunc pervenit dolor, & lympha articularis plurima fuliginosi vaporis acria spicula, in sinu suo recepit, tum detumescere incipiunt membranaceæ, à fuliginoso flatu extensæ partes, atque sic circulantibus aliis sufflaminatis humoribus, libera rursus relinquitur via.

Unicum hoc detrimentum capit lympha nervea, ut reiterato hoc negotio, tandem ab acidis salinis, fuliginosi vaporis, spiculis, in tertium quid, vel enixum transfiguretur, & in tophos concrescere cogatur.

Non raro etiam afflictarum inarticulationũ dislocatio accidere solet, quando copiosâ limphâ diutius stagnante, ligamenta & vincula laxantur & emolliuntur nimium, & ossa ab invicem secedere disponuntur. Et hoc quidem accidens accelerari sæpe solet crebriori balneorum usu.

Qui siccioribus gaudent humoribus, copiosa haud lympha dilutis, illis utplurimum generantur Tophi. Fuliginosus etenim vapor, pro sui imbibitione multum requirit humidi, quod si non offendit, tum illud quod parva adest quantitate, mox coagulat.

Vapor namque hic salinus parvam humoris quantitatem subitò alterat, magnam non item: sed hæc illum proportione minorem jugulat, & viribus orbat.

Bene ergò illis, quibus abundans lympha, vapo-

vaporis fuliginosi acuminata tela, hebetare, & secum rapere, vel in sinu suo absque proprio detrimento recipere, potis est.

Urina in hoc morbo, paroxysmo incipiente quando copiosa, crassa excernitur, doloris quidem sævitiem denuntiat, sed brevi rursus remissuram, quoniam per lympham absorpta acris salina materia subtilis, sic exiens, morbum solvit.

Ischiadicum dolorem ex omnibus arthriticis speciebus gravissimum, in principio facilioris esse curationis, aliis arthritidis speciebus, Practici vulgò observarunt; in progressu tamen æquè rebellem existere, insuper notarunt.

Malo tandem ingravescente, & spiritibus nerveis plurimam partem salinis fuliginosi vaporis particulis obrutis, dolores sæpius recurrunt, qui, si ad jugulum usque se extendere incipiunt, interitum utplurimum imminere denotant, partibus extremis nunc maximam partem obstructis.

Ad *Curam* devoluti plerumque comperimur, eheu! optima ferè Podagræ esse pharmaca, Flere, Pati.

Verum cum arthritis adhuc in Fieri vel consistat, vel modo facta aut recens, aut inveterata nunc sit: atque sic in quibusdam leviores, in aliis altiores nunc egerit radices; hinc pro illa adhuc spem quandam curationis affulgere, neque hanc omninò abjiciendam esse, experimenta quædam blandiuntur.

Interim *difficilis esse curationis malum hoc*, infinitorum hoc afflictorum querelæ sufficienter demonstrant; cum enim nidus & focus in ipsis delitescat spiritibus nerveis, fuliginoso salso vapore inquinatis, hinc non mirum, difficilis eum esse curationis. Medicamenta namq; quæ integris viribus suis, nervos penetrare, & in eis delitescentem hostem jugulare apta nata sunt, ferè hactenus desiderantur.

Apriori vero, in massa videlicet Sang. hostile illud fuliginosum intercipere velle, ne ad nervos migret, hoc integræ massæ ferè alterationem, & ad statum meliorem reductionem requirere videtur: id quod admodum obedientem ægrum, ac scientem exposcit Medicum: Quæ requisita vero ambo adeo necessaria, cùm rarò simul offendantur, hinc raro item curari Podagram ne redeat, ubique comperimur.

Cum vero *execrandi Podagrici doloris causa in genere consistat in fuliginosa, acri, vel flatulenta salsedine*, spiritibus nerveis quam circulantibus humoribus reliquis immixta: & idem fere sit effectus, ac est ab acri fumo, quando is oculos nostros, acrioribus suis salinis & volatilibus, ex acido & alcali combinatis particulis, crudeliter pungit & mordicat: hinc dulcificantibus, & particulas istas acres fuliginosas alterantibus, intendatur scopus.

Pro hoc vero obtinendo plurima adstant, tam in, quam extra paroxysmum in usum continu-

um

um ducenda: Nisi etenim medicamina hæc fiant quasi alimenta, illisque integra circulantiũ humorum massa haud restituatur in melius, in vanum erunt omnia.

Imo & character Podagricus, & in paucis quandoq; tubulis delitescentes particulæ, ætheri peregrino semper expositæ, & alterabiles omninò expellenda erunt, si exoptatum finem consequi & Patiens & Medicus exoptat. Ad finem verò tam anxiè quæsitum obtinendum, modernorum Practicorum plurimi Alcalina commendant: Hæc enim cum acido in primis viis hospitante, in concretum salsum diureticum, & resolvens, abire contendunt.

In specie *Tackenius in suo morborum Principe p.* 107. Podagræ remedium, ait, non esse debere acidum quodlibet, sed prudens, insipidum, sitiens, certum & determinatũ alcali; nil aliud attrahens, quam invisibilẽ Solis microcosmi filium inobedientem; non secus ac magnetis invisibile insitum alcali; quod nil aliud, quam ferri insitum invisibilẽ ignem trahit & amplectitur.

Quoniam vero in secretis sibi servat determinatum illud & specificatum alcali, hinc *lapillos cancrorum* ejus loco substituere videtur: quos admodum laudat. Si etenim post horam ab hoc pulvere exhibito vomitorium lene offerretur, tum dejectiones insequentes, ægrum aliquando planè, vel ad tempus saltem liberasse asserit.

Interim cum acidum non semper, vel rarò

existat separatum , ut causam supeditet; sed acris fuliginosus salsus vapor, dolorem foveat, ex acido & alcali volatilibus, fuliginis ferè constitutivis conflatus: hinc non semper alcalia exoptatum consequuntur effectum, sive sint volatilia, sive fixa; utque adeo specificum Podagræ antidotum, hactenus desideretur.

Famam quidem apud quosdam non minimam consequutæ fuerunt pillulæ Herbipolenses ex

Rad. aristoloch. long. ℥ß.
rotund. ℥ij.
Polipod. quercin. ℥ß.
Cranii human. præparat. ʒij.
Cum gummi tragac. ℥ß. *aq. ros. solut.* & *Syr. rosar. solutivo* in Pillulas formatæ.

& per annum singulo mane ad ʒß. assumtæ. Sed infaustus apud plures eventus, bonam eis famam ademit rursus.

Veteres ceu certum Podagræ remedium, commendarunt Pulverem hunc. v. g.

℞. *Herb. chamædr.*
Chamæpyt.
Cent. min.
Aristoloch.
Salviæ.
Betonic. aa. ʒiß.
Ligni Quajac. opt. ℥viij.

Fiat ex omnibus pulvis subtilissimus, & crebrum

brum ducatur in usum. Alii extollunt alia sua arcana, inter quæ in nostris confiniis jam innotescere incipit vinum aliquod Matronæ cujusdam Nobilis de Rammingen, sapore quodam martiali imprægnatum; sed itidem laudem panaceæ, aut specifici remedii antipodagrici, haud meretur, cum mille aliis hinc inde jactatis similibus arcanis putatitiis.

Solamen ergo *quod hactenus* **Podagrici** *expectarunt, dolorem* terè saltem *lenientibus, & paroxysmum alleviantibus, remansit.*

Inter hæc protervi quidam frigida repellentia, & adstringentia, extollere audent: Sed quanto cum Podagrici detrimento, infausta exhibitio docet, flatulentia etenim acris, per poros alias se extricatura, & hominem desertura, sic remanere cogitur, & in longum tempus dolorem protrahere, sic disponitur.

Longe melius intentioni huic satisfaciunt ea, quæ poros patulos reddunt, & flatum acrem attrahendo eliciunt; inter hæc hactenus *Moxa Japonum* palmam reportat; etsi ob inconsuetum, & nostris adhuc exosum, cum igne curandi medendique genus, hactenus ferè reformidetur, tam ab ægro, quam & Medico ignaro; contra *Hippocratis* expressum monitum, qui ustionem doloribus administrandam, toties inculcat, & in inustionum modis & commodis, locupletissimus est: sicuti legi potest ex ejus *libro de affectibus* §. 30. ubi

expressè pro dolore mitigando, & profligando, inustionem præcipit: Si ergo in unum aliquem locum incubuerit dolor, & constiterit, inquit; & medicamentis non fuerit exactus, urito, quocunque loco fuerit dolor: *& ibidem §. 32. ubi de Podagra ei sermo, ait:* si in digitis itaque dolor relinquatur, venas paululum supra articuli in digito nodum inurito: & quæ sunt plurimæ inustionum commendationes, quæ latius *Cl. Ten Rhyne, in sua docta dissertatione de arthritide, pertractat; quem vide pag. 100. & in seqq.*

Moxa verò aliis ustionum instrumentis antecellit, cum non ut ferrum ignitum vi, sed sensim poros aperiendo, & extrahendo subjectas fuligines, effectum præstet.

Est verò hæc Moxa, dicto Cl. Ten Rhyne teste, qui ipse hoc à Japonibus in Japonia didicit, & vidit, *nil aliud, quam artemisiæ latifoliæ lanugo, quam rudi artificio ita sibi parant Japones: colligunt nimirum artemisiæ latifoliæ folia, sive plantam, hanc collectam siccant in umbra, tumque Moxam appellant; siccatam ambabus fricant manibus, caulicos, foliorum fibrillas, aliasque inutiles reliquias abjiciunt; mollug inem verò servant ad usum, quæ gossypii instar est.* Hunc Moxam conficiendi modum, tam apud Japones, quam Sinas vulgatissimum esse, lippisque

&

& tonſoribus non minus , quam inſignibus quaſi Doctoribus notum , dictus Cl. *Ten Rhyne* aſſerit. Hanc verò artemiſiæ mollugi-nem, pollicis ac prioris digiti apicibus, in parvam ſtupam , minoris piſi magnitudine acutiori priſmate , latiore verò baſi prædi-tam , efformant , eamque dolenti loco, pri-us digito ſaliva parum imbuto madefacto, imponunt, atque ellychnio aut alio ignito ſubjecto incendunt , ſicque extricantur fla-tus & in fugam aguntur ; ſuppletque hæc artemiſialis inuſtio Japonibus vices ſcari-ficationis, cucurbitarum admotionis, imo ipſi-us venæ-ſectionis.

Neque adeo dolorifica eſt inuſtio , quia mollis ſtupa, nec magna, ipſaque conflagratio momentanea , nec ad ipſam cutem flamma penetrat : Ter verò vel quater communi-ter reiteratur inuſtio , in imbecillioribus lo-cis ; in parte tamen ubi dolor eſt acutiſ-ſimus , *in illis verò locis ubi flatus profundius hærent , ut in Iſchiade , ibi quandoque vicies-trigeſies , etiam quinquageſies , & pluries, repetitur inuſtio :* & quidem *Hippocratis ſua-ſu, lib. 5. epidem. ita , ut cruſtæ multæ, & magnæ fiant* , ubi Sinenſes, & Japones, par-vas ac inter ſe propinquas ſaltem, inuri vo-lunt.

Poſt inuſtionem ut levis ſeparetur eſchara,

allium contusum imponendum, quod ejusdem corticis lamellâ, in ore parumper humectatâ, contegatur, ut emplastri loco inserviat, atque inde post diem naturalem auferenda sunt ista tegumenta ex allio, quia tum separatione proxima est crusta, *quæ tum per se decidere sinatur*, nec ullo modo violenter auferatur.

Si verò postquam eschara decidit, pustula remanet, uti, etsi raro accidit, tum incidenda ea est, ut contenta acris materia effluat. Facili etiam ratione escharam tolli *Ten Rhyne* habet, si modò *plantaginis folium, modico carbonum igne tostum, ut lentescat & concidat*, rursus tamen digitis explicatum, & nervoso sui latere calidè simul & humidê applicetur; tum ex eschara ichorem exsudare, fonticuli instar dicit.

Si verò jam consolidationem ulcusculum exigit, tum parte glabra, plantaginis folio applicato, cito & sine notabili cicatrice, vulnusculum coalescere asserit, convenientius quam si emplastra, propter pinguedinem maximè postponenda, imposita fuiissent.

Sed si plantaginis folia desunt, nec hederæ folia, aut brassica adsint; tum, *emplastrum diapalmæ*, vel melius *Sticticum Paracelsi* in usum vocandum esse statuit.

Verum non esse præcipitandam illam eschara abla-

ablationem monet, etiamsi plagulæ levissimè tantum adhæreat.

Naturæ enim remittendum hoc opus, neque sistendum saniei effluxum, suadet, sed potius *diu illa folia fibrilloso latere, super plagam retineri debere, ut sic insanum ichor liberibus effluat*, ne verò decidant, alliganda esse, si verò ligaturas non ferat, conglutinantibus emplastris detinenda, & ad minimum bis viginti quatuor horarum spatio, renovanda esse præcipit.

Plures Japonensibus usitatos inustionem modos, in plurimis corporis infirmitatibus, &. doloribus variis, vide apud jam dictum *Cl. Ten Rhyne* in sua citata dissertatione de arthritide, ubi plurima curiosa extant; *pag.* 117. porrò refert, *hanc pyrotechniam chirurgicam plerosque Japonum, ad morborum præservationem, quotannis saltem semel, utplurimum bis, imo pluries administrare, eodem ritu, quo nostrates ad morborum præservationem, præsertim tempore verno, cum in orgasmo sunt humores, corpus evacuare, & sanguinem fundere, solent:* Ad quam pyrotechniam juxta artis leges absolvendam, sua habent schemata, in quibus loco totius corporis inustioni designata exstant: quæ dissertatione suæ inseruit dictus noster Cl. *Ten Rhyne*: qui tamen potius ipsos sensus consulere præcipit, & venas ipsas pulsantes, sive arterias, in circuitu inurere jubet.

Plurimum enim in locorum discretione situm esse, multiplicem inustionis usum se docuisse confitetur pag. 126. quippe ubi stomachus anorexia vexatur, scapularum quandam regionem tunc inurunt Japones, ut eidem robur redeat, inquit; quod haud facile quis intelligat Europææ anatomes peritus: Os sacrum inurunt & lumbos, in gonorrhæa, & spermaticarum partium debilitate &c. & talia exempla plurima dantur, quibus probatur, *omne momentum & experientiam, in ustorio hoc artificio positam esse in locorum electione*, ita ut simplici locorum prævaricatione, membri alicujus motus depravari, vel etiam visceris cujuspiam vitalis facultas vitiari queat, de qua certitudine si quis dubitat, & tanti non interesse, ubi ubi etiam inustio instituatur, ei *locum indigitat Cl. Ten Rhyne in hypogastrio, unius digiti longitudine infra umbilicum, huic scilicet rectà è diametro, super lineam albam, quo inusto, illico effæminatur, & generationi ineptus evadit homo.*

In nostro tamen præposito morbo, Hippocraticum illud observetur præceptum, videlicet, ubicunque incubuerit dolor urito, urito ubi arteria partis affectæ vehementer pulsat; vel haud procul isthinc, & ubi dolor congregatus fuerit, etiam in ipsis partibus nervosis quoniam efficiens arthritidis causa flatus, circa hæc communiter incarceratus

exi-

existit, ut ſupra circa hujus affectus cauſas, ſatis & clarè dictum fuit.

Sunt qui circa eſcharæ ſeparationem, quam jam *foliis plantaginis*, & *allio* fieri debere diximus difficultates quaſdam objiciunt, ſcilicet, nullam determinari poſſe certam Moxæ doſin, nec turundulas ſive ſtupas ſemper ita æquales poſſe fieri, quin unum alterum quantitate & magnitudine excedat.

Deinde non omnes allii odorem bene ferre poſſe ægros, & tertiò folia plantaginis non ſemper poſſe haberi, nec ubique locorum recentes. Primam difficultatem ſe ſuperare dicunt inſtrumento quodam, quo omnes ſtupas ejusdem magnitudinis efformare ſe poſſe, prædicant, ſed parvi momenti hæc eſt difficultas, quippe Cl. *Ten Rhyne* minutias has à Japonibus obſervatas minimè vidit.

Quod ad alteram difficultatem, odoris ſcilicet intolerantiam, ſanè dolor hunc acerbus vix percipere permittit: & denique ubi folia haberi haud poſſunt, permiſſum eſt alia, ut ſupra dictum, in uſum vocare, pro conſolidatione: pro aperto verò ſervando loco inuſto, & ichoris effluxu promovendo, ſi folia plantaginis deſunt, *Empl. Diapalmæ*: Vel *de Sperm. ranar. cum parva cantharidum* portione commixtum, locum apertum ſervabit pro lubitu, & quamdiu placuerit.

Quip-

Quippe ipsa vesicatoria ex cantharidibus hic multum valere, tam præservativè, quam curativè *Cl. Ettmüller in Praxi* testatur: Nec Fonticulos, præprimis in corporibus serosis, hic de nihilo habendos esse , jubet.

Inustionem modo dictam cum Moxa, nonnulli , spretis aliorum innumeris commendationibus, adhibere vix audent, perterriti sinistro uno aut altero eventu ; ubi inustionem inflammatio cum exulceratione subsequuta aliquando fuit.

Sed si omnia præjudicia, quæ aliquando medicamen , etsi ritè propinatum & exhibitum, subsequi solent, attendere velimus, nullum sanè medicamen tutò in usum vocare deberet Medicus.

Quo tamen metus inflammationis superventuræ præscindatur , *in plethoricis* corporibus *Vena secetur* ; sic vasa paulisper inanita, congressionem facilius sustinebunt , nec stagnatio adeo fortis; dolor verò mitior erit, neque inflammatio tam subitò exorietur, utpote quæ stagnationem M. sanguineæ in his vel illis vasis, & locis, accidentem, insequi solet.

Præter generosam hanc & tot encomiis celebrandam inustionis methodum , pro extrahendo dolore, alia porro dantur externa media, poros patulos reddentia, & vaporem flatulentum acrem extrahentia.

Inter hæc *Cl. Danckvvart de Podagra* admodum

dum extollit *Balſamum* ſuum *ſpirituoſum exter-num, urinoſo odore prȩditum*, ſibi tamen inter arcana reſervatum. Cuius loco non absque inſigni effectu, ego ſubſtituo *Spir.* ✱*ci urinoſum fortem*, qui inſigniter aperit & extrahit, veſiculas quandoque excitando, doloremque brevi intervallo leniendo.

Cl. Wepfer, conſtitutivis ab hoc longè alienum, laudat *Butyrum* ♉*ii ad* ℨj *cum ſpir. vini* ℔. ß. remixtum, hoc etenim incantamenti inſtar podagricos tollere dolores, communicat.

Prӕter externa hӕc cane & angue pejus vitentur ea, quӕ quovis modo poros obſtruere, occludere vel coarctare queunt: His namque artus tandem redduntur planè immobiles, & contractura acceleratur.

Principalioribus nunc externis his luſtratis ad interna acceſſus fiat.

Quod externis primum conceſſerim locum, inde eſt, quod impatientes ſӕpè dentur, qui ad dolorem leniendum, cum *Alexandro M. lenta remedia*, *& ſegnes Medicos non expectant*: ſed vel mori citò, quam dolorem ferre diu malint: hinc ea quӕ citum aliquando levamen addunt, & dolorem mox auferunt, dignari hoc loco placuit: etſi pro fundo mali exhauriendo, plus interna, quam externa, apta nata ſint, qualia nunc attingimus.

Cùm verò, ut ſupra notatum, doloris cauſam primario foveant ſpiritus nervei, ſalſis fuligi-

ligi-

liginosis flatibus vel vaporibus disproportionatis adulterati; ac propterea in ordinario suo libero motu intercepti, hinc eliminandis illis, ne præterfluenti lymphæ se immisceant, & eam ad coagulationem disponant, diaphoreticis non dantur præstantiora.

Quæ verò ita sint comparata, ut antequam ad ambitum corporis hostem propellant, eum salis fuliginosis constitutivis conspicuum figant, subigant & edulcorent; spiritusque nerveos pristinam in libertatem vindicent; sicque flatulentiis illis salsam acredinem, prius transmutent in sal dulce indolens.

Talia verò diaphoretica cum in nonnullorum scriniis inter secreta adhuc quiescant, quemadmodum hinc inde, hunc vel illum quidem legimus arcanum jactare, non tamen communicare: Propterea notis magis & expertis erimus contenti. Tale *Knæffelius M.C. Ann. 76. obs. 4. communicat, v.g.*

℞. *Cinnab. nativ.* ℈ß.
Ocul. ♋. *pulveris.*
Conchar. præparat. aa. gr. xv.
Laud. opiat. gr. iij. mſ. pro dosi.

Hunc pulverem diaphoretico-anodynum, vicibus aliquot propinatum, ægrum maximè alleviaturum testatur.

Hæc & similia, *cum opio maritata, diaphoretica, insignis,* in hoc affectu, *sunt usus & effectus,* omnibusque aliis præferuntur antipodagricis:

Nec

Nec metuenda aliorum falsa præjudicia, quibus sibi & aliis persuadere conantur opiata, naturæ motum impedire, sicque malum exaggerare.

Sed sciant illi opii constitutiva volatilia oleosa, aliud docere, nec motum naturæ, sive circulantium humorum cursum impedire, quin potius coagulatos & acres dissolvere humores, & temperare, sicque cum diaphoreticis maritata, præstantissimum affectus nostri existere antidotum.

Et quoniam in forma liquida nonnulli exhibitum magis laudant, hinc *Tinctura anodyna cum Bezoardica*, optimè maritari potest, largiorique & repetita exhibitione sæpius propinari, ingruente præprimis paroxysmo, uti vult *Cl. Ettmüller in Praxi.*

Rhumelius cum purgante pillularum massa opium combinatum tanti æstimat, ut singulari pillulas nomine, scil. veni amice, surge & ambula, donarit : Recepit verò *M. P. aloephang.* ℥ij. *laud opiat.* ℥ß. ex his formari curavit pillulas quas in quatuor dividit partes æquales, cujus unam partem cum vino assumere præcepit, jejunio 3. vel 4. horis imperato.

Quid *Wildegans panacea* sua, pillulari forma exhibita, *ex opio & cinnabari*, vel ☿io per se præcipitato constante, in Podagra præstiterit, satis notum est.

Sic in Silesia notus est Chymicus, qui unica pil-

pillula sudorem largiter movente, & alvum aliquoties laxante, dolores statim profligat, permanente saltem per aliquot adhuc dies, pedum lassitudine.

Porro insignis efficaciæ hic itidem sunt *diuretica resolventia*, & *acrimoniam* flatulentam *corrigentia*, inter hæc alii volatilia ponunt, sed quoniam hæc fuliginosum flatulentum Gas, tenuitate suâ magis exagitant, & ipsa in vapores abeuntia, flatus incarceratos nimium pellunt, & impetum dolorificum augere possunt, hinc vitentur ea in paroxysmo, sed salina propinentur, *inter* quæ *spiritus salis armoniaci cum spiritu nitri volatili in liquorem salsum saturatus*, optimus est.

Si vegetabilibus quis se concredit, ei *chamædrin, cent. min. betonicam, aristolochiam*, commendare poteris; resolvendi enim, & acrimoniam temperandi insignem vim possident, qua non arthritidi solùm, sed & febribus, & aliis scorbuti symptomatibus medentur.

Platerus & alii *lignorum Decoctum* cum his conficiunt, & pro præservatione & curatione hic maximo cum affectu propinant.

Sic v.g. ℞. *Rasur. ligni guajac.* ℥ij.
Rad. sarsæparill.
chinæ aa. ℥j.
Herb. chamædr.
beton. aa. m. j.
Fl. anthos, m.ß.

Ex

Ex *Guajaco, Sarsæparillæ & China, cum aquæ font. mens.* j. fiat decoctum ad tertias ; *Chamædris* verò, *betonic.* &c. vino infundantur, hæc ambo, tum usus tempore commisceantur, & mane, ac sero, per tempus propinentur; sudorem inde expectando; quibus si opus esse videbitur, extra paroxysmum *spiritus salis armoniaci* instillari poterit, pro majori penetratione.

Mensurentur verò omnia hæc pro Podagrici constitutione, tenerioribus enim & calidis emaciatis magis humectantia, quam humidum educentia, convenire concludes.

Continuandus autem horum medicaminum usus, & reiterandus, præprimis vernali & autumnali tempore, & *si paroxysmum arthriticum imminere persentiscis, tum opiata conjunge*; sic antequam radix podagræ progerminat, vel ebullire incipit, inhibebitur actus ; Et si hoc modo aliquoties ante accessum, vel in ipso paroxysmi initio, flatulentiam acrem podagricam, in motu suo figis & retundis, tum magis magisque decrescere incipiet, & planè tandem eradicari se permittet Podagra, vel Arthritis.

Circa idem tempus, quo paroxysmus aliàs recurrere solitus est, *purgatio instituatur*, *vel vomitorio*, in assuetis, & primis viis mobili saburra repletis, vel laxante infuso, per aliquot dies propinato, mediante sero lactis confecto.

Sic v. g. ℞. *Herb. chamædr.*

beton. aa. m. j.

Flor. anthos.
violar.
borrag. aa.p.ij.
Polypod. q.ʒiij.
*Flav cort. arant.*ʒij.
Fol.ſenn. el. ℥j.
♃.ʒiati ʒij.

Inciſa & contuſa infunde in *ſeri lactis clarificati* ℔.iij. ſtent horis 24. in infuſione, tum colaturæ adde pro lubitu *aqua cinamomi* q. lubet. mſ.& ſingulo mane propina hauſtum.

Hæferi judicium circa purgationis negotium, *Herculis ſui libro* 5.*cap.* 1.hoc eſt, ſcilicet, quod *ſi initio paroxyſmi podagrici, ſtatim purgaveris, videbis*, inquit, *hunc tumorem poſt dolores, non tam grandem futurum, ſicut fit abſque prægreſſa purgatione*, paroxyſmumque mitius afflicturum,citiusque finiturum, parte videlicet materiæ ad alvum derivata.

Etſi enim cauſa flatulentiæ hac methodo vix ſubtrahitur,attamen humorum quantitate adempta ſtagnatio levior fit, ingruente paroxyſmo, & hic mitior evadit.

Quo & collimat *ven.ſectio*, hæc enim etſi ad mali hujus cauſam extirpandam nil contribuat,tamen ut malum mitius affligat,*in plethoricis ea non eſt intermittenda, vere & autumno.*

Vaſa enim non adeò ſanguine turgida, levius compreſſionem abſq; magno cruciatu ſuſtinent, & circulum ſuum minori cum compreſſione abſolvere ſinunt

sinunt sanguinem, quam si partes nervosæ membranaceæ extensæ, vasa comprimunt, & hæc tunc succo turgidæ, remittere haud possunt, *tum vero dolor maximè intenditur, quia cedere nesciunt, nec extensi nervi, nec repleta & tumida sanguine vasa.*

In iis vero *ubi sanguinem & humores non adeò abundare colligimus*, in iis *nec purgantia*, *nec ven. sectio* necessaria erunt, nisi primas vias saburra vitiosa sentias repleta, tum vero vel vomitorio, vel supra dicto aut simili laxante ea depurare prius poteris, antequam ad diaphoretica dulcificantia, sive diuretica anodina supra laudata, accessum facere tibi proposueris.

Non tamen his immediatè sudor exigendus, sed naturæ circulanti opus hoc tum relinquatur, præstat namque sæpius hic udor, quod aliàs non peragit coactus sudor.

Potius hìc lymphæ in sua fluiditate conservandæ, vel coagulatæ resolvendæ, & fuliginosæ acredini edulcorandæ, & concentrandæ intentio respiciatur; quæ si ex voto succedunt, satis est.

Paucis hic attingenda ea ven. sectionis species, quam in pollicibus pedum nonnulli institutam, admodum extollunt; multi verò & non absque ratione vituperant, cum enim causa efficiens proxima, non in venis aut arteriis, sed in nervis hæreat, quid commodi hic afferret venæ sectio, ubi ubi etiam ea instituatur: & si quid san-

guinis in tubulis affectæ partis stagnat, multo melius id resolventibus, circulum suum acquiret liberum, quam ven. sectione, in quo casu admodum excellit *Empl. Podagricum Tackenii*, quod in suo morborum Principe ita parare docet: v.g.

℞. *Olei rosati* ℔.j.

calefacto adde *saponis albi rasi* ℥iiij. liquefacto sapone adde *cerussæ, minii* aa. ℥iiij. coque leni igne, continuò movendo pistillo ligneo, donec emplastro duriorem acquirat consistentiam, si enim eò non coquatur, rursus in aëre mollescit, ob saponarium alcali; tandem ab igne remoto, & nonnihil refrigerato, sub continua agitatione adde *camphoræ* ℥j. *spir. vini* in mortario ad pultis formam *solutæ, castorei pulveris.* ℥ß. mſ. f. Emplastrum.

Hoc tubulos aperiendo, sanguini liberum restituet circulum, sicque inflammationem restinguet, dolores extinguet, & debilitatos articulos obfirmabit rursus; neque solum in declinatione, sed & ab initio applicatum.

Lactis curam in hoc affectu quod concernit, de ea diversas apud Practicos invenimus opiniones, dum alii eam commendant; alii verò, & non absque ratione, contemnunt.

Willis de arthritide ipse & laudat, & vituperat: Novi quosdam inquit, ab hoc victus genere insigne juvamentum accepisse, alios verò à lactis usu, multò deterius habuisse, arthritideque nulla-

late-

latenus curata, viſcerum obſtructiones & cacochymiam contraxiſſe.

Thiermair conſil. l.1. cap.4. Ego ut quid tandem ſentiam, inquit, neminem ab hac cura levatum exactè quidem novi: omnes enim doloribus ingruentibus, denuò ab hac cura deſiſtere coacti ſunt. Profecto, inquit, ut verum fatear, duo ſunt, quæ me ab hac tam ſtricta lactis cura deterrent, inappetentiæ ſcil. periculum, & morbus magnus forte ſuperveniens. Nam quid ages, ſi poſt continuatam aliquot menſibus lacteam curam, febris, vel alius aliquis magnus morbus, cum virium jactura ægrum prehenderit? illicò à lactis uſu deſiſtendum eſſe dices; rectè: quid ſi autem ventriculus tanto tempore lacti aſſuetus, omne aliud ciborum genus reſpuat? &c. ſcio profecto aliquos, qui poſtquam diu ſtrictiori lactis curæ ſe ſubjecerant, atque etiam melius exin habere videbantur, à magno tandem aliquo morbo ex improviſo prehenſi, cito interierunt.

His argumentis, pergit, ego quidem motus, nulli unquam ſuaderem, ut intermiſſo omni ciborum genere, huic lacteæ curæ ſe ſolum ſubjiciat: *Suaderem potius, ut mediam quisq; viam, & ſecuram magis ingrederetur, hoc ordine, ſcil. ut lactis uſum tempore matutino ritè adhibeat, in prandio verò, pullorum, gallinarum, caponum lacte & furfuribus nutritorum, ut & vitulinam carnem &c. ova tremula, oryzam, panem levem in lacte*

 coctum,

coctum, pulmentacea, hordeacea, assumat; in cœna hæc eadem parcius tamen, aut solius lactis usum admittat: In potu ab omni vino (in cujus abstinentia plurimum positum est,) *abstineat, solo lacte, vel aquâ simplici, aut chinæ vel lentisci decocto contentus.*

Et hæc methodus, longè securior mihi videtur, ait, dummodo parca, & ita instituta foret, ne in prandio varietates ciborum corruptelam, & satietas cruditates cumulet: Et in omnibus diligens respectus habeatur ætatis, regionum, temperamenti, consuetudinis, ac præcipuè individualis cujuscunque constitutionis.

Plurima infaustæ hujus lacteæ curæ exempla invenies apud *Bonetum, in Mercurio compitalitio*, de Podagra, & alibi.

Sic item suo tempore Dioscoridem hanc curam improbasse, credibile est, quando lac in plurimis, in ventriculo verti in flatus asserit, paucissimosque esse quibus id non accidat; sicque lac nervorum vitiis laborantibus esse respuendum, quia vaporosum, fluxiones in nervos auget hisce indigitat.

Præferenda ergo curæ lacteæ simplex victus ratio, quoniam enim temulent⁹ Bacchus, & liberalior Ceres, Podagram infelici conjugio soli procrearunt, hinc sobria abstinentia, & abstinens sobrietas sufficient, pro malo hoc rursus vel minuendo, vel plane rursus proscribendo.

V. de Taranta refert Podagricum, quoties imminere

minere paroxyſmum ſentiret, ab omni cibo & potu abſtinentem, ſola inedia ſe liberaſſe.

M. Gattinaria vini abſtinentia â Podagra liberatus, diutiſſimè poſtea ſanus ſupervixit, & ſimilia exempla hinc inde plurima obſervantur.

Potiſſima ergo hujus mali præſervatio, quemadmodum plurimorum aliorum morborum, *ad Diætam ferè redit*, cum enim juxta *Senecam*, multa fercula multos morbos facere ſoleant, hinc demto hoc abuſu, & Diæta imperata tenuiori, neceſſariò melior ſanitatis ſtatus inde emerget.

Non tamen interdicendum gallinarum, caponum &c. carne, laudabile nutrimentum ſuppeditante, ſolus exceſſus vitetur, & uſus omnium tam cibi & potus moderatus eſto: præprimis vini fortioris, ſubtili acrimoniæ flatulentæ pabulum ſat commodum præbens: nervorum enim tremor inde ortum ducit certiſſimum.

Potus ergo Podagricorum, quos ſitis, & conſtitutionis æſtus urgent, juxta Teckenium aqua ſimplex ſit, ſyrupo citri paulum temperata: vel acetoſa acetoſella, aut tormentillæ radice decocta; præterquam enim quod hæc non inſuavi ſapore ſe commendent, continent particulas abſorbentes terreas, acores flatulentos, figentes, & compeſcentes, magno cum ægri levamine.

Alias omnibus potulentis palmam præripit potus Thee, qui in continuum vocetur uſum; hic enim

enim particulis suis innocuis, nil flatulentiæ nervis transmittit, sed potius flatulentas fuligines corrigit, & Podagricis solamen non contemnendum afferret.

Præterquam enim, quod sale suo alcalino volatili, in primis viis delitescentes ruditates acidas corrigit, lympham simul sanguini advehit innocentem, nullis heterogeneis fuliginosis qualibus imbutam, atque lypham nerveam cum spiritibus præstat laudabilem, munus suum absque impedimento peragentem.

Quod si vero senilis ætas, in qua plurimi hoc malo demum corripi solent, repentinam Diætæ mutationem non adeo admittat: in iis sensim assueta deteriora corrigantur, & vinum non omnino proscribatur, & si appetitus fert, *absynthites* in usum veniat: hic bilis conservabit vigorem, & visciditates in prima digestione præcavebit acidas; quæ vero si insuper generari observes, bile, suo volatili sale chylum non sufficienter impprægnante, tum in usum quandoque veniant *extractum centaur. min. zedoar. enulæ*, &c. in tenui cerevisia, vel alio liquore, vel vinum eis imprægnatum primum in prandio & cœna haustum constituat; non omisso interim potu *herbæ Thee*, sale suo volatili itidem hic se commendante plurimum.

In paroxysmo vero, emulsiones frequentes etiam non erunt absque effectu desiderato, ad

vigi-

vigilias, calorem, & dolores mitigandos, *ex amygd. d. ſem. frig. maj. papav. alb. cum ▽. papav. acetoſ. margarit. ocul. cancr. præparat.*&c.

Reſtant paucis attingendæ concertationes circa *Thermarum uſum*, ſunt enim qui has multum hic laudant, ſunt alii qui vituperant; iis qui calida afficiuntur Podagra, interdicunt his, illis quos frigida exercet, commendant.

Sed cùm diſtinctio hæc Podagræ non ſit eſſentialis, ſed accidentalis, ſaltem gradibus ſolum innixa; hinc tam huic quam illi convenire poſſet; ſed cum mali hujus cura non conſiſtat in parte recipiente, neque etiam hac methodo partes exſiccentur & corroborentur, ſed potius laxentur nimium & emolliantur, & receptioni aptentur magis, ut etiam oſſa nonnunquam ab invicem ſecedere diſponantur, hinc ad periculoſum thetmarum uſum non temerè accedendum eſſe ſentio. ſed roboranti, ſupra dicto *Tackenii emplaſtro*, reliquias tumoris diſſipanti, & nervos rurſus obfirmanti, rem expediendam relinquo: aut *fomentationes ex herbis nervinis, origano, thymo, lavendula, chamomilla, &c. vino decoctas* admitto.

Tandem ad Tophos reſolvendos, imponatur *Empl. magnet. arſenicale*, vel *lapidis corroſivi fruſtũ*, impoſito deſuper *emplaſtro attractivo*, ſic

 mate-

materiæ tophaceæ facilis erit extractio, ad incipientem vero coagulationem retundēndam, *Oleum petræ cum camphora* infricetur diligenter & *Empl. de ranis cum Mercurio* contegatur afflicta pars, sic coagulatio præservabitur pro posse.

Asthma, Dyspnœa, Orthopnœa.

SUnt affectus gradibus saltem differentes, veluti à causa utplurimum simili, humida tamen aut sicca, fortiore vel debiliore excitati. Hinc & quandoque in genere sub respiratione difficili tractantur: vel etiam asthmatis vocabulo nonnunquam latius includuntur.

Sunt vero Dyspnœa, asthma, orthopnœa, *respiratio difficilis & læsa, quâ correptus æger ita affligitur, ut vel crebrò admodum, absq; tamen sibilo, vel cum laboriosa anhelatione & sibilo ac sono, aut non nisi cervice erecta denique, respirare cogatur; plerumque cum tussi, imprimis nocturna, absque tamen febre, à materia viscida vel acri, pulmonum & branchiarum ejus cellulas vel vesiculas obstruente, aut acrimonia sua, nerveas pulmonum, & ejus tubulorum, vesicularum, fibras, constrictione*

ne convulsiva afficiente, & sic aeri suscipiendo liberam viam præcludente, exorta.

Distinguimus verò hos affectus, aliis morbis qui difficilem respirationem etiam comitem habere solent.

Dantur enim eorum plures, qui *difficilem respirationem* tanquam symptomatis symptoma, *junctam habent*, & non nisi sublato eo morbo, cessare faciunt, & sunt *Catarrhus suffocativus, Suffocatio hysterica, Angina, Pleuritis, peripneumonia, Pulmonum vomica, Hydrops* &c. Quoniam verò inter hos affectus & nostros jam propositos, tam causarum, quam loci vel partis primariò affectæ , ratione &c. discrimen satis manifestum occurrit, hinc facile ab invicem distingui possunt.

Sic catarrhus suffocativus, à sanguine confestim in pulmonibus stagnante, subitaneum est malum, intra paucas horas aliquando mortem accelerans, ubi è contrario affectus nostri satis lente incedunt, & chronicè affligunt.

Suffocatio vero hysterica, ex infimo ventre, cum motu convulsivo plerumque exsurgit.

Pleuritis vero & Peripneumonia, à sanguinis circulo ob crassitiem partis lymphaticæ, sufflaminato &c. cum febre ardente ingruunt.

Vomica vero laborantes, in hac vel illa parte saltem gravitatem sentiunt.

Hydrops vero abdominis insigni tumore, dia-

diaphragmatis motum ſufflaminante, difficilem reſpirationem inducit,&c.

Subjectum ergo affectuum noſtrorum propoſitorum, eſt in ſpecie neceſſarium noſtræ vitæ ventilabrum pulmo, cum ſuis veſiculis membranaceis, pulmonum parenchyma partim conſtituentibus, ſaltem reſpirationi dicatis, facilique expanſioni & complicationi accommodatis.

Plura enim alia vaſa continet pulmo, quæ potius ad circulum humorum, quam ad reſpirationem promovendam deſtinata, & facta ſunt,& nonniſi ſubjectum ſecundarium, vel ſimul concauſam conſtituunt.

Quo vero conſtet, quomodo affectus noſtri, non tantum inter ſe gradibus diſtent, ſed & ab aliis diſtingui debeant:

Signa in auxilium vocanda : Primus enim *difficilis reſpirationis gradus Dyſpnœa vocatur*, & cognoſcitur, quando anhelatio non adeò urget, ſed modicè adhuc, densè tamen, citraque ſonum affligit, ob inſpirationis vias, minus adhuc oppilatas.

Secundus aſthma audit, & in hoc reſpiratio non tantum denſior, ſed & frequentior, in ſpecie cum ſibilo & ſono, cum tuſſi utplurimum moleſta adeſt.

Tertius verò gradus Orthopnœa eſt, ubi reſpiratio difficilis in tantum increſcit, ut non niſi

erecta

erecta cervice, elevatoque thorace, ac collo extenso, non aliter ac moribundis accidit, respirare æger possit, decumbentes enim, & jacentes suffocationis metum incurrunt, & suffocari videntur planè.

Etsi verò affectus hi, plerumque ab humorum & copia & vitio dependeant, tamen quandoque affligere solent absque humorum præsentia, & propterea *distinguuntur in humorosos, & siccos.*

Humorosum vero asthma, sive difficilis respiratio, à muco in pulmonum vesiculis hærente, esse cognoscitur, quando præter tussim, & sonitum ex profundo quasi stertentem, pituita excernitur; & quo magis illa excernitur, eo magis affectus imminuitur.

Quando vero viscida quædam materia, magis internas pulmonum vesiculas obsedit, tum sonitus non percipitur, & non nisi successivè, neque adeo copiosè, materia illa cum tussi excernitur.

Accidit etiam aliquando ut vitiosa quædam viscida materia ab humoribus circulantibus continuo ad pulmones deferatur, & deponatur, sicque asthma humorosum continuum generetur.

Solent etiam humorosis hisce affectibus correpti, à nimio corporis motu, ut & vespertino ac nocturno tempore se pejus habere, & pro aëris mutationibus, item magis, vel minus affligi.

Etsi

Etsi vero affectus hi, non omnino absque convulsionibus affligere soleant, datur tamen alia species, *siccum videlicet asthma*, uti ante dictum, ubi absque pulmonum manifesta labe vel materiæ viscidæ copia, respirandi difficultas accidit.

Quandoque vero etiam æger vel loquens, vel validius inspirans, tussire cogitur, quod signum est irritari saltem pulmones, & fibras ejus nerveas contrahi, expansionemque earum impediri, unde præter continuum illum tussiendi stimulum, experiuntur inexplicabile quoddam respirationis impedimentum, non enim aëri solum via coarctatur, sed & vasa circulationi sanguinis dicata constringuntur, unde ob impeditum simul liberum sanguinis circulum, insignis advenit anxietas, & suffocationis metus, aliquando cum faciei rubore, vasorum intumescentia in collo, pulsuque admodum celeri &c.

Ex improviso etiam hominem aliquando corripit, aliàs optimè respirantem, sed quia absque singulari materiæ peccantis copia affligit, hinc rursus etiam cessat citra manifestam materiæ excretionem.

Notabilis ideoque ferè varietas in affectibus hisce convulsivis observatur, dum se latius quandoq; extendunt, & in remotis etiam locis aliquando spasmos excitant, vel à talibus excitantur: fit verè hoc partim propter distributionem singularem inter-

intercostalis nervi, & paris vagi, qui non solum partibus colli & thoracis, sed & abdominis præsunt, & pluribus nervorum alibi excurrentium plexibus diversimodè implicantur, & sociantur.

Vel & aliarum partium nerveis plexibus affectis, hi in pectore simul compatiuntur, sicut nephriticis quandoque accidit, quando respiratione difficili insuper corripiuntur, &c.

Partim etiam varietas dicta accidit, ob musculorum varietatem, & tam in anteriori, quàm posteriori thoracis parte, unà cum diaphragmate situatorum, duplici motui dilatationis, & constrictionis, inservientium.

Pro partium ergo harum affectarum situ & motu, sensus tristis quoque variat.

Sic ubi diaphragmatis musculi, aut vicina loca, præ aliis affliguntur, tum in illa regione, ubi diaphragma costis annectitur, zonæ constringentis sensus, ab ægris percipitur.

Sed si thoracem moventes musculi magis sunt affecti, tum ac si thorax universus comprimeretur, & constringeretur, sensus adest. Ubi verò faucium musculi constringuntur magis, tum se laqueo quasi suffocari putant.

Causa immediata nostrorum affectuum, in specie, est pulmonum, & ejus branchiarum, perque omne horum parenchyma disseminatarum vesicularum, expansioni & complicationi facili destinatarum, vel obstructio vel coarctatio, vaporibus tam tum aëre exspiran-

randis, quam aëri ingrediendo viam disputans.

Causæ mediatæ Proximiores plures sunt, quæ, ut immediata foveatur, symbolum addunt, vel cum vel absque materiæ copia.

In humorosa vero respirandi difficultate in genere, *principem locum vindicat pituita viscida, aut acris lympha*, mediante vel sanguine, vel per nervos adducta.

Sicque *consistit vitium originaliter in circulantibus humoribus*, in quibus vel alimentum vitiosum lacteum immediatè, vel mediante tandem lympha, per pulmones circulans, sui copiam relinquit.

Est enim viscus hoc, ob innumeras vesiculas ita fabricatum, ut subtilium trajectioni facillimè viam cedat, crassioribus vero etiam locum non adeo disputet.

Cum vero *exspiratio necessaria circulantium humorum sit sequela, ut sic humiditates, & aliæ particulæ ineptæ, & motu veloci circulante, in vapores resolutæ propellantur, & mediantibus pulmonum innumeris vesiculis separentur, & cum aëre exeunte proscribantur è corpore; hinc accidit quandoq;, ut etiam crassiores particulæ resolvantur vel dissocientur, & sub vaporum forma exire cum aëre intendant; Sed cum inspiratus aër nonnunquam acidus, eas præcipitet, & sic in ipso limine quasi rursus incrasset, ut sic remanere cogantur, aëre liberè pervadente, tum fundamentum Dispnœa*

pnœæ ponitur, & aeris inſpirationi ſic ſenſim viæ coarctantur, aut quædam ſaltem occluduntur.

Si verò particulæ illæ ab acido, vel ſecum tracto, ſibique à primo ortu impreſſo, vel aëre nimium incraſſante, plus viſcidæ ſtagnando fiunt, tum à ſucceſſivè advenientibus ſenſim augentur, & quo plus augentur, ac quo diutius hærent, eo magis redditur difficilis reſpiratio, ubi tum compreſſus, & anguſtas vias pervadens aër, ſibilum & ſonum efficiendo, aſthma conſtituit.

Et ſi eò procedit viſcidæ materiæ copia, ut non tantum bronchiorum veſiculas, ſed & intimius ſitas occupet, & plures obſtruat, tum orthopnœa inde accidit; in quâ non niſi erecta cervice, ut ſic nullibi pulmones impediantur, æger reſpirare poteſt.

Non tamen ſemper ab humorum copia, ſed & multoties abſq; tali, oriri ſolent hi affectus, quando acidum peregrinum lymphæ nerveæ & ſpiritibus immixtum, non tantum externarũ partium, muſculorum videlicet reſpirationi inſervientium, ſed & varias membranaceas, vel nerveas fibras, pro tot veſiculis colligendis, per omne pulmonum parenchyma diſperſas, ad ſpaſmos concitat, & convellit, ac contrahit, coarctatque, & ſic neq; vaporibus, à circulantibus humoribus reſolutis & propulſis, neque aëri adventante vel acceſſuro, viam concedit liberam; Materia verò quæ in hac convulſiva difficili

ficili respiratione aliquando excernitur, est effectus, & non causa mali; in contractione namque pulmonum, lympha subinde exprimitur, ex suis vasis, ad asperam verò arteriam delata in pituitam sive mucum abit, ubi tum cessante paroxysmo rejicitur.

Sunt verò plures aliæ *remotiores causæ*, quæ jam dictis materiam copiosam substernunt: & *ex rebus* quidem *naturalibus* primo loco stat *Temperies* M. Sanguineæ, ex magis viscidis, & acidis succis conflata, & vel hæreditariè, vel ætate senili sensim tandem contracta, ob bilis laudabilis defectum, &c.

Quantum *aër ex non-naturalibus rebus*, cui innatam⁹, huic malo ancilletur, nemini ignotū: Cum enim in inspiratione per canalem satis patulum, corpus nostrum ingrediatur, non mirum, statim in ipso limine, particulas eas, à circulantium humorum motu in vapores resolutas, & cum aëre exspirando amandatas, in pulmonum vesiculis incrassari & coagulari rursus, in liquorem magis minus viscidum, acrem, sed & sanguinem simul, peregrinis particulis inductis impugnari, & ad coagulationes vel obstructiones varias disponi.

Peragit vero hoc non tantum aër frigidi sensum in nobis producens, sanguinem incrassando, vel sub vaporum specie expressas particulas, concentrando, & in vesiculis branchialibus,

bus, vel intimioribus aliis pulmonum, remoram injiciendo, ut subsistant; sed & calida aëris constitutio, particulas alias vitiosè combinatas, cacochymicas, dissociat, ut sic poris factis patulis, subtilioribus avolandi ansa detur, crassiores vero à subtiliori & magis mobili socio derelictæ in pulmonum vesiculis remanere cogantur.

Non vero *semper* aër immutationes tales, in ipsis circulantibus humoribus, & inde enatis vaporibus coagulandis instituit, *nullis sensibilibus particulis stipatus*; *sed potius* hunc *producit effectum variis impregnatus sensibilibus effluviis, quales sunt arsenicales, mercuriales, carbonum, calcis vivæ* &c. quemadmodum hoc cum satis sensibili damno experiuntur metallarii, chymici, & alii, quorùm plures asthmate convulsivo, magis minus corripi aliquando solent.

Effluvia etenim talia subtilia, non tam crassis humoribus, quam subtilioribus succis, qualis lympha nervea est, se immiscere, & vires suas noxias imprimere intentant corrosivas.

Ex cibo & Potu affectibus nostris sufficiens pabulum advehitur, quando plus obtrudimus ventriculo, quam lympha stomachalis ritè dissolvere & subigere potest, unde chylus generatur crassus, viscidus, circulantium motui maximè infestus, & ad obstructiones hinc inde instituendas dispositus.

Vel si quotidiano usui inservit cibus & po-

 tus,

tus, qui qualibus suis præcipuè acrimonia, crassitie, vel visciditate &c. chylum imbuit, tum statim etiam in primis viis sentitur depravatus fermentantium effectus, dum ibi statim aculeos infigendo suos, ad spasmos nerveos plexus concitant, & sic per consensum etiam in pectore, eos irritando, asthma siccum inducunt.

Effectum verò talem sensibiliter inducunt *fructus crudi*, *pyra*, *poma*, *cucumeres*, *melones*, *lactuca*, *lac*, & præprimis *vinum austerum*, peregrinum simul acidum nervis & venis hostile adducens: neque adeo acescentia solum, sed etiam acida, infensissima sunt, & asthmatum convulsivorum principalissimum instrumentum suppeditant.

Experiuntur hunc effectum subitaneum præ aliis scorbutici, & hypochondriaci, qui aliquando post pastum, prædictorum austerorum, statim difficulter respirant, diaphragmate spasmis correpto: circa eam enim regionem respiratio hæret, nec venter cum diaphragmate sequi volunt. *Sanis vero omnia sana esse solent, etsi pessima.*

Quomodo & quando *nonnaturales reliquæ res* lædi hic queant, de dolore capitis, & alibi traditum invenies.

Ex præternaturalibus rebus quam multæ adstant, quæ respirandi difficultatem secum tra-

trahunt: Sic ſunt *pleuritis*, *peripneumonia, catarrhus ſuffocativus*, *ſuffocatio hyſterica, hypochondriaca*, *hydrops*, *diaphragmatis convulſio*, *phthiſis*, *vomica pulmonum &c.* Sed quia in hiſce affectibus aſthma eſt ſecundarius morbus, hinc primario curato, illud per ſe ceſſat: ſicque hic non in conſiderationem venire ſolent.

Illæ verò quæ aſthma, vel difficultatem reſpirandi ut primarium inducunt morbum, ſunt ſupra culpatæ vitioſæ circulantium humorum partes, in vapores reſolutæ, in pulmonum veſiculis vero rurſus concentratæ, & ſtagnantes.

Tales verò particulas ſuppeditant aliquando febres continuæ, ubi illæ reſolutæ in pulmones decubitum intentant, quarum rejectione copioſa, mediante tuſſi, malum mox aufertur.

Sic & ſerum ſuperfluum, non rarò malum fovet, *Rhodius namque Cent.* 2. *obſ.* 27. *refert*, orthopnœam ex ſero ſuppreſſo, per excretionem 36. liberarum urinæ intra 24. horas ſublatam fuiſſe.

Scabies item retropulſa, hoc malum aliquando induxit. Menſium ſuppreſſiones etiam & cachexia, non minimum ſymbolum addunt. Sanguis enim eorum crudus, acidis particulis refertus, lento motu per pulmones circulatur, & dum ita lento gradu movetur, non

 admo-

admodum rarefit, & levià causa in his vel illis canaliculis aliquando planè subsistit, & respirationi difficili ansam addit.

Vel eo ipso, *quando motu quodam vehementiori corporis, rarefit & rapidius circulatur, tum vasa nimium extendit, & anhelationem efficit; velociori enim tali motu, ex dextro cordis ventriculo plus sanguinis in pulmones adigitur, & propellitur, quàm ita subitò sinister cordis ventriculus recipere potest, & quia sic in pulmonibus paulò subsistit, hinc post omnem vehementiorem motum, naturaliter sumus asthmatici.*

Et quando tum sanguis alias est crassus, tum faciliùs stagnat: vel si jam in vesiculis pulmonum materia coagulata hæret, tum motu quodam sanguine paulò fortius in pulmones propulso, statim sentitur malum gravius, unde subitò fiunt anhelosiores illi, qui humorosa difficili laborant respiratione, propterea quies eis plus, quàm motus convenit, donec causa erit remota.

Asthmati verò convulsivo inducendo, præ omnibus aliis magis disposita est scorbutica M. Sang. dispositio, hæc enim lymphæ nerveæ & spiritus, ubique aculeos immiscet, & non in pulmonibus solum, sed & aliis ejus motui dicatis partibus nerveis fibrosis, remoram addit: vel aliunde eas in consensum

sum trahit, sicut id docet suffocatio hysterica, vel hypochondriaca.

In hujus enim vel illius partis nerveis plexibus, verbi gratia in abdominis, si hæret vellicans & constringens lymphæ nerveæ acrimonia, tum exsurgit inde asthma hystericum, sive hypochondriacum, uti supra etiam innuimus.

Ubi verò simul flatus observantur, tum illi non ut causa, sed ut productum sive effectus considerari merentur: dum enim ubique, præcipuè in intestinis pori spasmis occluduntur, tum flatus vel vapores in intestinis, assumptorum, calore resolutorum partes, vel alibi circulantium humorum ope productæ, stagnare coguntur, neque porosum alias corpus pervadere possunt, & sic malum augere aliquando videntur, sed per accidens, non ex sua culpa.

In considerationem aliquando hic etiam venire solent alia continentis vitia, quando vel à rebus præternaturalibus ejus motus inhiberi solet, ut si vel lapides, vel pinguedo nimia, adsint &c. Vel si mala conformatio, pulmonum parenchyma, vel alias pectoris partes vitiosè contextas habeat, ut gibbosis accidit, qui ob sterni & costarum nimiam depressionem sunt asthmatici; sive casu quodam hoc iis acciderit, sive à primo ortu ita malè & vitiosè formatæ exstent eorum partes,

tes, respirationi inservientes. *Pulmonum cohæsionem quod attinet*, anilibus fabulis & vulgi erroribus illa hic annumeranda venit, cum in pluribus post mortem omnino pulmones cum thorace adnati deprehensi fuerint, qui hominibus tamen dum viverent, liberam semper respirationem concedebant. Quemadmodum hoc testatur *Tulpius lib. 2. obs. 17. Helmon. p. 294. Bartholin. C. 2. hist. anat. 35. & alii plures.*

Prognosin tandem quod concernit, notandum, quod cum respiratio & vita pari passu ambulent, affectus asthmatici satis periculosi esse soleant, hæreditario jure contracti præprimis, vel inveterati. In humorosis enim his affectibus, successu temporis, insignem pulmonum, & ejus structuræ convenientis læsionem, inducere valent.

In convulsivis verò inveteratis, indicant, epilepticum fomitem in nervorum quodam plexu radicatum, raro curabilem existere, quin levi diætæ errore aliquando recidivam inducat.

Solent vero convulsiva talia asthmata, non secus ac morbi alii epileptici, vel convulsivi, sæpius hæreditario jure affligere, sunt enim plerumque etiam periodica, certum tempus observantia; vel & per varias occasiones externas, v. g. per iram, venerem, vel & aëris, & tempestatum mutationes, reverti solent. Non raro etiam cachexiam, vel hydropem tandem, incurrere faciunt, vel & phthisin, si humorosum fuerit asthma.

Si

Si vero expectoratio, & exscreatio superveniunt, & cum levamine excernenda excernuntur, tum spes est paroxysmorum ferociam mitigari posse: Dispnœam támen vel similem respirandi difficultatem, diu antea familiarem, non simul cessuram.

Nil ergo in asthmate inveterato agendum restat, quam ut accedentes fortissimi paroxysmi imminuantur, & sic induciæ ptocurentur, ne in deterius vergat malum, & graviora tandem accersat symptomata, & morbos jam ante notatos, ætate præprimis senili concordante, inferat.

Curatio variat pro causarum ratione, *aliter* enim *humorosa, aliter convulsiva respirandi difficultas aggredienda*, & tam in, quam extra paroxysmum.

Si plethora majorem sanguinis stagnationem adjuvare, & paroxysmum aggravare observetur, tum *subito vena secetur*, ut sic circulatio in pulmonibus paulum impedita promoveatur, per accidens, & præcipuè ea non negligatur, si mensium, vel hæmorrhoidum alias consuetarum suppressio ansam dedisse notetur.

Vel *si in primis viis fermentum aliquod depravatum* materiam quotidianam suppeditans delitescere ad minimum hariolemur, *tum vomitorio illud ejiciatur*, tam in, quam extra paroxysmum. *Hisce enim cordatos Practicos, paroxysmos*

mos gravissimos profligasse, Cl. *Ettmüller in praxi testatur*: neque enim suffocationem metuendam esse dicit, cum nunquam tale quid observatum fuerit, exempla vero vomitoriorum feliciter administratorum, petentem, pervolvere jubet *Rulandi thesaurum*, *Plateri Observat. Timæi epistol.*, *Hœfferi Hercul. Hartmann. Riverium & alios*.

Hæc ambo vero præsidia tam asthmati humoroso, quam convulsivo, tam in, quam extra paroxysmum necessaria esse, Practici Clarissimi confirmant.

Purgantia vero alia, in paroxysmis, per essentiam affligentibus præcipuè, abesse volunt.

In humorosa vero respirandi difficultate, si viscida materia pulmonum vesiculis impacta hæret, in usum veniant, prædictis præsidiis vel omissis vel præmissis, *incidentia*, *resolventia*, *expectorantiaque*. Inter hæc vero *pectoralia acidis remixta*, præ aliis commendant Practici; *propterea*q; *oxymellia syrupis præferunt*: imo *acetum rutæ* ipsum, ad cochlearia aliquot sumptū, ad miraculum paroxysmum profligasse in muliere, refert *Schönfelder Histor.* 44.

Sed ℞. *Vini malvat.* ℥iiij.
Aq. Cinamom.
rosar. aa. ℥ij.
Aceti squillit. ℥vj.
Syr. de hyssop. ℔ß.
rosar. solutiv. ℥ij.

Spir.

*Spir.sulf.camp.*ʒß.mſ. pro uſu.

Doſis, manè & veſperi aliquot cochlearia.

Vel ℞. *Aceti ſquillit.*℥ij.

Aq.hyſſop.

cinamomi aa.℥j.

Syr.de alth.

*hyſſop.*aa.℥ß.mſ.detur cochlear.

Vel ℞. ▽. *hyſſop.ſpirituoſ.*

*Veronic.*aa.℥ij,

Spir.aſthmatici D. Mich.ʒj.

Syr.veronic.℥ß.mſ.detur cochleatim.

Fit vero acidulus ille Spiritus *ex æris viridis deſt.*℥iiij.*Gummi ammoniaci* ℥ij. *Sulfuris com.* ℥iß. mixtis, & retortæ inditis, cumque curioſo ignis regimine, ne rumpantur cum impetu vaſa, deſtillatis; ubi tum Spiritus ab oleo ſeparatus, rectificatur per alembicum, cui impoſitus eſt ex croco nodulus. Doſis tum eſt gutt.30. ad 40. cum vehiculo idoneo.

Quando verò his vel ſimilibus acidulatis mixturis, pituita optimè attenuata, per expectorationem obſervatur, & reſpiratio liberior reddita videtur, tum acida omittantur, ne pulmones ipſos aggrediantur, & ex leviori malo, in pejus præcipitent; *ſicut hoc monet Kornthauer.*

Tunc verò in uſum veniat *Sperma ceti* à ʒß. ad ʒj. in vehiculo calido, cereviſia ſcil. vel alio, quod tamen etiam in ipſo paroxyſmo atrociſſimo mirabile præbet auxilium, ſicut hoc teſtatur *Timæus in epiſt. p.*112.116.*&c.*

Vel

Vel & in usum veniat Pulvis hic Pectoralis D. Michels, quo uberior proventus muci impediatur. v.g.

℞. *Rad. aron. crud. pulv.* ℥iiij.
irid. florent. ℥ij.
Sulfuris comm. opt.
Benzoes. pulv. aa. ℥j.
Antihect. Poter. ℥ij.
Sacchari q.s. pro lubitu. mf.

Dosis sit ʒß. vide *Ettmüll. commentar. Ludovic. p.* 200. 201. ubi *radices aronis* inter incidentia pectoralia non ultimo loco ponit, & pulverem jam positum pectoralem, omne id præstare asserit, quod à rotulis & morsellis aliis expectari potest.

Pro præservatione aliàs etiam, tam quam ad paroxysmi profligationem, magni ponderis esse *Gummi ammoniacum in substantia, saltem depuratum à* ℈ij. *ad* ʒj. *cum aceto squill. solutum, & cum* ▽. *hyssop. veron.* aa. ℥j. *cinam.* ʒj. *Syr. veron.* ℥ß. *mixtum* & propinatum, præter infinitos commentatores, expertus fui; resolvit enim optimè pituitam, malo ansam denuò ministrantem. Optimè etiam resolvet tale vinum pectorale & præservabit, v.g.

℞. *Radic. helen.* ℥ij.
Ireos. flor. ℥j.
Zedoar. ʒij

Herb.

Herb. marrub. m. ij.
hyssop.
rosmarin. aa. m. j.
Passular. min. ℥iß.
Sem. anisi.
fœnic. aa. ℨiij.

Incisis affundantur vini mensuræ aliquot, & de eo bibatur aliquoties de die haustus.

Vel fiat *Electuarium tale*, v. g.

℞. *Helen. pulveris.* ℥j.
Ireos fl. pulveris. ℥ß.
Sulf. comm. ℨij.
Syr. veron. q. s. pro electuario.

De quo sumuntur aliquoties de die aliquot cuspides cultelli.

Sacharata verò plura vitentur, in iis præcipuè, qui labe scorbutica infecti, & malo hypochondriaco laborant, resolvitur namque in iis & invertitur dulcedo in acidum, plurium tum malorum instrumentum.

Si serum copiosum adesse, & stagnando malum aggravare videtur, tum *Radix bryoniæ, præter vim laxantem, specialem dissolvendi efficaciam habet in asthmate*, quia acidum coagulans temperat simul, sicut hoc in ea laudat *Cl. Ettmüller in Praxi, & in Schröd. dilucid. pag.* 195. Poterit ejus ℥ß. infundi cum ▽. veronic. & per aliquot dies mane in usum venire, & reiterari.

Maximè

Maximè etiam extollunt Practici Nicotianam, ex ea præprimis *confectum oxymel*, quale ad imitationem Quercetani ita fieri potest:

v.g. ℞. *Fol. nicotian. siccat.* ℥iß. in nodulo.
Rad. helen. ℥j.
Herb. hyssop.
Flor. farfaræ aa. m. ij.
Fol. senn. ℥j.
Sem. anisi ʒiij.
Macis ʒj.
Cinamomi ʒij.

Incisis & contusis affunde *aceti opt.* ℔. ij. stent in infusione per tres dies, tum coquantur, & postea colaturæ adde mellis depurati ℔. iß. & coquantur adhuc parum, ac servetur tum oxymel ad usum. Dosis est cochl. ij. cum *aqua hyssopi, veronic.* &c. resolvit potenter, & evacuat per superiora & inferiora, non verò ab eo timendum in corporibus pituitosis, quorum stomachus pituita tenaci refertus est, sic etiam potissima vis vomitoria mediante aceto satis mitigata est, ut per inferiora potius vires exerat.

Neque etiam hic oblivioni tradendus est *Balsamus* 🜂 *anisatus, & meus antimonialis præprimis*, in commentario ad Agricolam apertè communicatus; hujus enim *gutt. aliquot rotulis manus Christi inspersæ, commodè in usum venire possunt, vel & cum syr. de farfara* assumi.

In

In fine tandem mihi videtur *asthma humorosum non multum distare à tussi*, & ex una ferè esse familia, nisi quod hic materia paulò tenacior existat, (quæ in tussi quandoque magis fluida est, à sero stagnante, magis acri minusque coagulato,) neque per paroxysmos affligat.

Ubi verò in tussi vulgari pituita æquè tenax observatur, tum eadem remedia hic jam selecta, in illa etiam insignem præstabunt opem.

Quando verò Asthma pro causa habet sanguinē crassum, coagulationi proximum, lentè circulantem, ubi sicca tussis cum anxia præcordiorum constrictione urgent, tum in usum veniant potenter resolventia, & circulum sanguinis promoventia, inter quæ laudantur *Tinctura croci, castorei, spir.* ✱*ci, sal. volat.* C.C. *& similia*, coagulationem sanguinis inhibentia.

Potus concedatur largior, sed tenuis, ut sic seri defectus restituatur, & sanguis debitè diluatur.

Si à calculis hariolemur asthma ortum trahere, tum aperientibus, diureticis, cura instituatur, & propinetur *Decoctum veronicæ, hæder. terrestris, cum liquirit.* & similibus.

In asthmate verò ab acidis mineralium vaporibus haustis, dentur alcalina absorbentia, volatilia & fixa, cumque pectoralibus aliis propinentur.

Quibus

Quibus verò propter obesitatem difficilis respiratio contingit, illi Diæta utantur tenui, & laboribus assuefaciant corpus, vel purgantibus aut sudoriferis superfluum eliminent nutrimentum molestum.

Convulsivam vero *quod attinet respirationem difficilem*, hæc paulò alia requirit medicamina, tam in, quam extra paroxysmum.

Est vero vel mere convulsiva, vel mixta; mixta fit successu temporis, quæ ab initio merè convulsiva erat.

Dum enim propter fibrarum nervearum spasmos, & contractiones, pulmonum liber motus sistitur & impeditur, tunc simul sanguis, lympha, & spiritus nervei à suis simul motibus sufflaminantur, & stagnare coguntur paulisper, in qua stagnatione, vel lento saltem circulantium motu, redduntur tenaciores, & pluribus pulmonum vesiculis obstruendis redduntur aptiores; crebrioribus vero recidivis tunc sensim fiunt obstructiones, & viæ quæ ante saltem simplici contractione angustabantur, nunc duplici modo coarctantur, convulsionibus videlicet, & materia viscida.

Merè convulsivum asthma ergo Helmontii effato, *curatur antiepilepticis, & antihystericis,* quicquid enim sanat adultum epilepticum, illud etiam talem curare asthmaticum asserit.

Conve-

Conveniunt vero in specie *Spir. salis armon. cum gumm. ammon. destillatus, Tinctur. castorei. Sal volat. millepedum, lumbricor. cinnab.* ♁. *sal. volat. sang. human. Tinct. anodyna,* & similia absorbentia alcalina. *Charleton de scorbuto nullum præsentius esse remedium in hoc malo contendit, quam laudani opiati pauca grana, in vino Hispanico generoso soluta, & ad Tincturæ extractionem infusa,* tnm cochleatim subinde exhibita, hoc enim modo acrimoniam nervis inimicam supprimi, & per leves sudores â somno erumpentes discuti, & demulceri asserit.

Sic & *Cl. Ettmüller testatur,* in convulsivis hisce malis, aliquid laudani subinde aliis antepilepticis additum, nulli cedere remedio. Poterit itaque talis fieri mixtura. v. g.

℞. ▽. *hyssop.*
menth. aa. ℥ij.
asthmatic: ℥j.
Salis volat. milleped ℈ß.
Spir. ✱*ci cum gumm. ammon. dest.*
Essent. castor. cum spir. ✱*ci* aa. ℈j.
Tinct. anodyn. gutt. xxx.
Syr. de farfara ℥ß mſ. detur subinde cochlear unum aut alterum.

Plura alia, de convulsionibus notata reperies, quæ etiam huc trahi poterunt.

Si vero convulsivum asthma est mixtum, & non tantum vellicans acrimonia, sed & materiæ copia adest; tum mixta etiam convenient

remedia, pectoralia videlicet cum antispasmaticis conjuncta.

Anodyna verò hic, ubi simul adest pulmonum infarctus, cum insigni præcordiorum oppressione, cautè propinare suadet Willis, ne materia figatur in pectore, & respiratio difficilis reddatur gravior.

Jubet vero spiritibus animalibus (quos à succo nerveo distinctos credidit, sed absque ratione:) aliis in locis molestias inferre, ut à spasmis pulmonum avocentur; *Propterea commendat vesicatoria*, quæ scapulis aut brachiis applicari possunt, *frictiones item dolorificas, cucurbitulas &c.* imò *& in ipso medio paroxysmo, vomitoria propterea propinare* jubet.

Methodum hanc non adeò absonam esse duco, non quidem, ut credam, spiritus animales propterea avocari, sed quod in pulmonum plexibus nerveis stagnantes & alibi à sua quantitate detrimentum capientes, valida concussione factâ, sic extricentur, vel copia suâ imminuti, tum remissius agere, & obstructionem paulisper alleviare incipiant.

Remittente vero contractione spasmodica, reliquis circulantibus humoribus libera relinquitur via.

Non vero hic, neque in aliis asthmaticis affectibus omittantur clysteres; *nec venæ sectio negligatur, si anguinis quantitatem adesse suspicemur*, ut sic per accidens malum allevietur.

Si

Si seri copia adsit, dentur *Millepedes pulveris.* ad ℈j. *cum syrupo de farfara*, vel *linteo inclusi millepedes in vino infundantur*, quod tum expressum, & filtratum propinetur : vel cum aqua quadam pectorali fiat infusio, & tunc

℞. *Infus. milleped.* ℥v.
Aq. hyssop. ℥ij
cinamomi ℥ß.
Spir. ✱ci cum gummi ammon. d. ʒj.
Syr. de hyssopo.
marrub. aa. ℥ß. ms. pro aliquot dosibus.

Lindanus in M. S. super Hartmannum in animalculo hoc solo perfectam curam asthmatis esse asserit: Posset fieri talis pulvis. v.g.

℞. *Milleped. præparat.* ʒj
Rad. helen. pulveris. ℥ß.
Benzoes pulveris. ʒij.
Sulf. comm. ʒiij.
Croci ℈j.
Castor. ℈ß. ms. fiat pulvis. Dosis ʒß.

Tam asthmati humido simplici, quam convulsivo mixto simul, hæc & similia admodum conducunt, & tot possunt fieri formulæ aliæ pro asthmatis genio.

Extra paroxysmum constituti asthmatici, ut scorbutici , vel hypochondriaci tractari possunt, convenientibus, dulcificantibus, resolventibus, purgantibus & similibus, acrimo-

niam & viſciditatem humorum circulantium corrigentibus.

Atrophia.

VEl univerſalis eſt vel particularis, totius videlicet corporis, vel cujusdam ſaltem hujus, vel illius partis, extenuatio, neceſſarii nutrimenti defectum inſequens.

Externam verò corporis peripheriam extenuatio hæc concernit, & opponitur corpulentiæ nimiæ; ſicque hic tam pinguioris, quam carnoſi habitus extenuatio, atrophiam conſtituit, ſive Tabem.

Quando vero pinguedo ſolum deficit, tum macies vocatur, & ei pinguitudo opponitur. Particularis vero atrophia eſt, quando pars quædam exareſcit.

Subjectum cum ſignis, ex præmiſſis patefiunt.

Cauſa proxima eſt nutrimenti neceſſarii defectus, & hic fruſtrata nutritio.

Eſt vero nutrimentum neceſſarium lactea chyli pars, ab alimentis in ſtomacho & inteſtinis elaborata, perque venas lacteas ſeparata, hinc mediantibus iisdem, ſanguini & cordi advecta, ex hoc vero in inſtanti mediante circulatione, per arterias ad omnes corporis partes diſtributa,

ta, qua corporis nostri machina, non augetur solùm, sed in statu pleno & sano conservatur etiam.

Ad tubulos namque partium solidarum ingressis chyli particulis, quædam ob superficierum similitudinem adhærent, sicque nutriunt, & augent; quædam vero volatiles magis, aut celerius agitatæ, per insensibilem transpirationem abeunt; crassiores vero reliquæ, tam nutritioni, quam transpirationi ineptæ, & lympha dilutæ, mediantibus venis, cordi rursus advehuntur, novo rursus chylo vel lacte restaurandæ, & sic nutritioni continuò peragendæ disponendæ denuò.

Ex hac causa partus quasvis solidas, ossa videlicet, membranas, ligamenta, nervos, venas, carnem ipsam &c. sanguine separato, alba vel albicantia conspicimus, pro signo, non sanguinem, sive rubrum id, circulantem massam tingens, & circulantium humorum restitantium consequens, sed chylum, sive lac, vel lympham immediatum eorum esse nutrimentum.

Non enim opus habebat natura circulans tantis ambagibus, scilicet ut lac, sive chylum, primo verteret in sanguinem, hunc vero rursus retrogrado motu, pro nutritione peragenda, in humorem album, qualis ab initio erat, cum sola & simplici lactis adductione, & convenientium particularum appositione, hoc opus perfici poterat.

Omnes enim hæ actiones in statu alias sano momentaneæ sunt, quia rapidè circulantur pressi humores; unde calidissimi etiam hi sunt, & tenues, ut vasa minima & poros permeare queant.

Sed quoniam omnis chyli portio, uno appulsu nec adponitur, nec transpiratione omnis abit, hinc per venas reliqua pars reduci & circulari cogitur, ubi tum in recursu id, quod vel adpositum, vel transpiratione deperditum fuit, novo adveniente chylo resarcitur, & vasa replentur rursus, pro circulo continuando, & nutritione conservanda.

Proximior ergò omnis atrophiæ causa, in chylo hæret, vel quanto, aut qualibus peccante, vel in vasis, circulum humorum non ritè admittentibus, aut administrantibus.

Quantitatis ratione peccat chylus, quando eâ, qua par est copia, vel non generatur, vel generatus non dispensatur, pro partibus omnibus corporis nutriendis, & in pleno statu conservandis.

Non verò generatur chylus, eâ qua par est quantitate, quando alimentum nimis crudum, vel aliàs chylo ineptum, vel hoc parcius continuò est in usu: vel quando ventriculus ipse malè est conformatus; aut vasa lactea cum suis glandulis obstructione sunt affecta, in quod in infantibus potissima atrophiæ causa plerumque esse solet.

Non

Non dispensatur, vel dispensatus non adponitur chylus, quando vel vomitus continuò repetens, vel alvi fluxus, diarrhæa videlicet vel lienteria, fluor item albus, vel vermes in intestinis, aut crinones in poris cutis, illum absumunt: vel quando vasa & pori, aut naturâ, aut motu nimio patentes, nutrimentum adponendum leviter exhalare, & sudore mediante evaporare permittunt, quemadmodum labore assiduo occupatis, rusticis, vel Venerem nimium exercentibus accidere solet.

Vitiosus verò generatur chylus, instrumentis chylificationis, lympha stomachali, bile, & succo pancreatico vitiosis: Unico saltem horum, vel quanto vel quali peccante, chylus vitium capit.

In stomacho enim, à lympha hujus & spiritibus haud ritè impraegnatus, & minus dissolutus, tum bili traditur ulterius dissolvendus; Hæc enim chyli transmissi intima pervadit, & magis magisque suo nexu, & coadhærentes particulas dissolvit, & quod inibi invenit acidum, lixivioso suo sale immutat, sicque dissolutas & suo nexu solutas chyli partes, succo pancreatico, & reliquæ in intestinorum aliis glandulis contentæ lymphæ, diluendas, & per subtilissima chyli vasa ad receptaculum commune transvehendas, transmittit.

Sed si primum chylificationis instrumentum officio suo haud ritè functum, chylum minus

 disso-

dissolutum è stomacho elabi permisit, tum quidem bilis, & succus pancreaticus, pro suis viribus suum munus obeunt, sed primi officium supplere haut possunt, & sic chylus remanet imperfectus ratione primarii instrumenti: *& hoc primum est vitium, quod in ipso ventriculo, chylo inuritur, quando lympha ejus, & spiritibus vitiosè constitutis, chylus manat rudis, crudus, crassus, acidus, & minus dissolutus.*

Secundarii instrumenti verò vitio, Bilis videlicet, vitiosus manet chylus, & nutritioni ineptus, quando hæc minus est volatilis, sed crassa &c. tum etsi chylus in ventriculo laudabiliter sit dissolutus, tamen bili accedens manet in priori statu, nec enim ut debet ulterius dissolvitur, neque contentæ particulæ acidæ, ob bilis alcalinas particulas debiles, alterantur ut debent, proptereaq; chylus manet crassus, & acidus; hic verò à pancreatis lympha non ita dilui potest, quia plures particulæ haud intimè sunt dissolutæ, propterea venas lacteas non adeo penetrat, sed facilè in canaliculis subtilioribus stagnat, & obstructionibus ansam addit.

Et tandem etsi chylus, tam lymphæ stomachalis, quam bilis ratione, pro viribus esset elaboratus, & tum *succus pancreaticus* accederet *vel nimis crassus, vel acidus, vel parva nimis copia,* &c. *tum iterum redderetur hic ultimo instrumento vitiosus, & vel acidus, vel minus attenuatus &c.* Tot ergo adsunt impedimenta, quæ chylum possunt

ſunt reddere imperfectum & nutritioni minus aptum ; Hæc verò ſuppeditant plurimæ res,& ex illis quidem *nonnaturales dictæ* potiſſimum hic contribuunt.

Aër etenim peregrinis refertus corpuſculis, diverſimodas nutrimenti alterationes inducere valet. Æſtivo etenim tempore igneis particulis copioſius agitatus aër,humores copioſiori ſubtili inducto æthere nimium exagitando,ſubtiliorum diſſipationi anſam addit,& ſic appetitum proſternit, atque ciborum in ventriculo coctioni ac laudabili ſolutioni obicem ponit. Aliter verò vitioſum reddit chylum,quando autumno vel hyeme ſalinas, corroſivas, acidas particulas inducendo,circulantes humores exaſperat,& plurimis talibus peregrinis particulis inductis, chylificationis inſtrumenta vitioſa reddit, craſſa videlicet & acida.

Quibus ſi accedit *cibus & potus*, prima ſucci nutritii vel chyli materia, & quanto & quali peccans, tanto citius fundamentum mali ponitur,& his ſi adjungunt ſe reliquæ nonnaturales res, *ſomnus & vigiliæ*, *motus & quies* excedentes,ut & *animi affectus*, *mœror præcipuè*, & triſtis Spiritus ipſa exſiccans oſſa, & ſucci nervei elaborationi admodum infeſtus, tanto certiùs radices ſumit atrophia.

Ex præter naturalibus rebus organa adſtant indiſpoſita,tubuli videlicet coarctati,obſtructi,

ſtructi, ac collabentes, *quando duriores fiunt fibræ,* ut ſe non amplius ita dilatare, & extendere poſſint, ut lactea ſanguinis pars penetret, & ſui particulas adponat.

Non etiam hic excludimus incanrationes, faſcinationes, philtra, ut & morbos alios, Diabeten, gonorrhæam, venerem nimiam, menſes nimium fluentes, &c.

Prognoſis hic docet atrophiam incipientem facilioris adhuc eſſe curationis quam irradicatam. In genere vero minùs eſſe periculoſam, *Hecticâ*, *Phthiſi* aut *Maraſmo*; quoque leviores habeat cauſas, tanto citiùs curabilem adhuc exiſtere.

Ex alimentorum enim defectu proveniens, niſi ventriculus & chylificationis inſtrumenta reddita fuerint vitioſa, & indiſpoſita, facile tollitur bene nutrientium uſu.

Si verò à morbo quodam bene comedenti corpus tameu non proficiat, *Hipporatis effato Sect.* 2. *aph.* 31. malum denunciat exitum.

Quæ augmentationis tempore juvenibus accidit, raró quid periculi habere ſolet, peracto enim hoc naturæ opere, membra tum debitè extenſa, nutrimentum facilè recipiunt.

Sic non ſemel experientia docuit, pueros vel juvenes, admodum tenues, in viros evaſiſſe corpulentos, ac plethoricos.

Neque quid periculi habet ea atrophiæ ſpecies, quæ lactentibus aliquando accidit, ceſſante

te namque hôc onere, vires incrementum capiunt.

Diarrhæa vero, vel ipſa dyſenteria, corporis extenuationi accedens, malum omen præbet.

Et quæ geſtantes uterum, ſine evidenti cauſa extenuantur, eas difficulter & cum periculo parituras, aut abortientes periclitari, *Hippocrates Sect* 5. *aphor*. 55. teſtatur.

In cura cauſarum dictarum reſpectus habeatur, & cum chylus potiſſimam nutritionis materiam, & cauſam contineat, hinc Diæta præcipuum hic præſtabit ſubſidium, alimenta ſuppeditando, copioſum laudabilem chylum reddentia.

Et inter hæc Practici aliis anteponunt *lac, tam humanum*, quam & *aſininum*, *caprillum*, vel tandem vaccinum, modo febris non adſit, & primæ viæ acido non refertæ.

Ne vero tam facilè ab occurrente quovis acido coagulum ſuſcipiat, optimè hic addatur ſoccolada, & animalia ipſa convenientibus herbis prius fuerint nutrita.

Huic Diætæ lacteæ jungantur *emulſiones, ex amygd. d. rec. nucleis pini, piſtach. recent. Sem. cucurb. cucumer.* ▽ *. roſar. &c.*

Et conſummata gallinarum, caponum, vel carnis vitulinæ, cancrorum &c. juſcula, *cum herb. chamædr. fl. centaur. min. radicibus, gramin. paſtinacæ ſativæ, foliis portulac. flor. borrag.*

rag.&c. pro lubitu & rei exigentia, decocta, hic non minimam reportabunt laudem.

Nec *Gelatinæ ex pedibus*, *& ossibus dictorum animalium*, *additis pineis pistachiisque*, nec *pulmenta ex amygdalis* &c. hic omittantur.

Sic & *Balnea ex lacte dulci, decocto pedum vervecis*, vel variorum animalium intestinis, *cum semine lini, melonum, rad. alth. Fol. violar. lactucæ* &c. decocta, hic admodum convenient.

Quæ omnia si non sufficiant, in usum simul vocari possunt, ▽ *caponum destillata*, vel similis contra atrophiam usitata, aut pulvis quidam refectivus, qualis est ille Mynsichti, vel Pasta regia, pineolata, morsuli refectivi ex soccolada &c.

Et si à venere contracta sit atrophia, quæ tabes dorsalis audit, tum *ova sorbilia cum ambra, & vino Hispanico, robur rursus addent*, & dorsum *unguento resumptivo* inunctum diligenter, spiritibus nerveis recolligendis opitulabitur.

Si vero pororum nimia laxitas, particulas nutritii succi largius exhalare permittit, tum *Oleo amygd. dulc. ung. resumtiv.* &c. vel pro majori si opus adstrictione, *ung. Comitissæ remixt.* corpus perungatur.

Sic & ventriculi ratio habeatur, & si quæ in hoc occurrunt vitia, corrigantur, & pro hoc confortando *Empl. Stomachale* continuo gestetur.

Vel si qualibus peccans chylus, circulantes humo-

humores, vel ipsum succum nerveum nunc vitiosum reddiderit, tum convenientibus mediis tollatur labes, præprimis supra dictis gallinarum & caponum jusculis, *herb. chamædr.* & *fl. cent. min.* decoctis & destillatis.

Et si obstructiones venarum lactearum in pueris in causa fuerint, tum ea quæ *Barbettus in praxi* habet, veniant in usum. Vermes verò & crinones, suo itidem modo, enecentur & expellantur.

Ab incantationibus verò contracta atrophia, curetur *Balsamo ex visco corylino* confecto, vel contra incantamenta aliàs noto *Goleriano:* vel fumo ex ejusdem ingredientibus quibusdam parato &c.

Particularis Atrophia, Aridura dicitur.

ET in hac vel illa corporis parte, rariùs à causa interna ortum trahit, nisi post paralysin quandoque: sed præcedentem ferè semper occasionem externam insequitur, veluti luxationem, contusionem, grande vulnus &c. unde vasa rumpuntur, vel contorquentur, & tubuli partium carnosarum invertuntur, coalescunt, vel cicatricibus coarctantur, & à figura sua ordinaria recedere coguntur, unde tum alimentum, etsi laudabile, non recipitur, neque ideo pars nutritur, sed exarescere disponitur.

Hæ

Hæ verò ariduræ curatu ſat ſunt difficiles: Interim pro tubulis quoquo modo obſtructis rurſus reſerandis, & ampliandis, & in ſtatum naturalem revocandis, inſtituantur *frictiones cum panno aſpero; vel ſuaſu Cl. Muys in praxi ſua chirurgica, ſingulis ſeptimanis bis vel ter apponantur ſeptem aut octo cucurbitulæ*, pro magnitudine partis, *cum flamma, abſq; tamen ſcarificatione*, illæque relinquantur, donec rubeſcat cutis, tum affecta pars ad ignem lavetur ſequenti Spiritu. v.g.

℞. *Sem. urticæ minor.* ʒij.
Rad. aronis ℥j.
Piperis long. ʒiij.

Affunde his *Spir. vini opt.* ℔. j. hunc tinctum decanta, & adde
Spir. formicar.
Lumbricor. terr. aa. ℥ij.
Spir. ✱ci. volat. urinoſ. ℥ß. mſ.

Vel ℞. *Piperis longi* ʒij.
Rad. pyrethri.
Sem. Sinapi aa. ʒiij.
Caſtor. ʒj.
Baccar. juniperi ℥j.

Contuſis affunde *Spir. vini opt.* Tincto huic adde *Spir. therebint.* ℥ij. & hoc tum optimè fricetur brachium, cucurbitulis rubificatum, & ſuperimponatur *Emplaſtrum Barbette hoc*, quod non attrahit ſolum, ſed & ne rurſus tranſſpiret præcavet, quia ſimul emplaſticum. v.g.

℞. *Pulv.*

℞. *Pulv. amianth.* ℥iij.
Rad. Pyrethri ℥iß.
Castor.
Euphorb.
Ol. terræ aa. ℥ij.
Gumm. ammoniac. ℥iß.
Ladani & ceræ q.s. ut fiat Emplastrum.

Si verò post grande aliquod vulnus aridura accidat, tum fiat fotus partis, *cum emollienti decocto, ex pedibus, pulmone, capite, ovis vel agni simul confecto,* vel *canis ventri aperto ita calidè immittatur brachium aut manus* &c. & tum inungatur pars fomentata, *pinguedine hominis, taxi, vulpis,* &c. Etsi verò post paralysin aridura sequatur, tum eadem paulò ante commendata methodus, quæ post luxationes & contusiones supervenienti ariduræ competere dicta fuit, itidem hic in usum veniat. Vide huc ea quæ *Med. Præsent. Secul. accommod. part.* 2. *p.* 710. commendata reperies. *Tulpius lib.* 3. *obs.* 49. *Maciei* sive ariduræ nil salutarius esse prædicat, quam ut *mediante cucurbitula* cornea, & per has *instituto suctu,* juxta arteriarum cursum, nutrimentum attrahatur rursus.

Attrahunt enim hæ cucurbitulæ potenter, & abducta aptissimè cute, elevant venas & arterias, præ macie in se collapsas: quibus tum adapertis, itus & reditus convenientis nutrientis sanguinis, promovetur rursus.

Applicata verò cornea tali cucurbitula, spiritus

ritus sive halitus per exile foramen ore educendus, mox festinanter digido occluso, ita sugere permittitur cornea. Sic experimentum feci in juvenis brachio exarefacto inquit; Illius nimirum corneæ suctu tantum caloris, ac sanguinis, ad cutis extrema attractum vidimus, ut brachium exsuccum alteretur iterum, & adipisceretur denuò pristinum vigorem.

Omnibus verò irritis, & nihil proficientibus, metus est ne tandem gangræna, vel totalis corruptio vel sphacelus insequatur, ubi in tempore emortua pars auferenda, ne vicinis partibus labem communicet, & sic mortem adsciscat.

Aurium Affectus.

INter hos ceu præcipuum symptoma prima loco Auditus gravitas ponitur: Hac verò laborantes, exiguum sonum planê non, sed fortem ægrè percipiunt; differunt ergò à surdis, ratione magis vel minus.

Est verò affectus hic imminuta auditus functio, vel à nervo auditorio, obstructo spiritibus nerveis, indispositis, causata.

Subjectum sive principalis sedes, ut dictum jam, nervus auditorius est.

Signa æger, ratione constans, & adultus ipse dabit, si verò infantem occupârit, noscitur

ex

eo quando immobilis statuæ instar se gerit, nec ad matris cantus, vel alios strepitus aut allocutiones, caput, vel oculos commovet.

Causa immediata est nutritiæ lymphæ nerveæ, vel crassities, vel spirituum animalium denegatus affluxus.

Proximiores, *immediatam constituentes*, *Causæ*, variæ sunt, humorum circulantium depravatis qualibus innixæ, catarrhos plerumque simul junctos habentes, unde liquor nerveus vel insufficiens, vel indispositus, viscidus, flatulentus, languidus, aquosus &c. generatur.

Hic verò causam agunt *ex naturalibus rebus* præ aliis *Temperamentum* pituitosum, ex acido visciditatibus notatum: & quemadmodum hoc senibus plerumque familiare, sic juniores, organi debilitas, vel vitiosa conformatio, ab ipsa statim infantia, vel surdastros, aut planè surdos facit: qui tamen non semper simul muti deprehenduntur, ob organa tàm auditûs, quàm vocis distincta.

Post has *non-naturales res* symbolum non contemnendum addunt, inter quas *Aër* non tantum æthere peregrino repletus, sed cibus & potus, viscidus, fuliginosus &c. cum reliquis, principem vindicant locum nonnunquam.

Ex præternaturalibus, quandoque febres

bres acutæ, ad statum properantes, & humorum stagnationem ubiq; fere instituentes, causam addunt.

Sic meatus auditorii vitium, vel cerumine is obstructus; aut tympani membranæ disruptæ; vel causa ab alto, vel sonitu bombardarum gravi, quandoque in causa esse possunt.

Prognosis, malum hoc grave pronunciat, minimè contemnendum, utpote quod temporis progressu in ipsam degenerare solet surditatem.

Sic nativa auditus difficultas, vel surditas, rarò curatur. Ea verò quæ per se morbum constituit chronicum, curatu admodum est difficilis.

In acutis verò accidens surditas, si malum in declinatione est, & hinc concoctionis signa, ut vacari solent, in urina apparent, bonum portendunt, & malum remissurum promittunt. Sed si malo ingravescente, & obstructiones ab initio nimium instituente accidit, id quod urina cruda indicare videtur, tum delirium portendere Practici notarunt: tanta enim tum est cruditatum & heterogeneitatum copia, quæ jugulare & subigere circulatio insufficiens est, unde succumbere cogitur.

Cura jam pro causarum varietate, variè instituatur. Et si primæ viæ vitium transmittere noten-

notentur, vel circulantes humores jam inde perversæ suspicientur, tum vel purgando, vel alterando, purificationes instituantur.

Postea verò & tympani, & auditorii nervi, ratio habeatur, horumque tonus nervinis aromaticis restituatur, vel confortetur.

Inter hæc excellunt *ambra & moschus*, internè propinata, sub Essent. vel specierum diambræ, diamoschiq; forma &c. vel & externè gossipio, excepta, & auribus immissa.

Sic multum valent *Oleum succini*, & *Oleum amygd. amar.* vel *nucl. persicor.* vel *viperarum pinguedo, cum tantillo olei succini remixto*, & mediante gossipio, (ex quo turunda fit:) ad apicem saltem imbuto, indita, & auribus infixa: id quod *Hildanus monet*, qui *ne levissimum quidem medicamentum auribus instillandum esse* vult: defluit enim facilè liquor, inquit, ad membranam tympani, sed ob anfractuosos ductus auri denuò effluere nequit, & quando tum medicamentum est acre, dolorem & alias incommoditates causare potest, quia partes internæ sunt valdè sensibiles.

Præter jam laudata multum etiam valet *spiritus acovisticus Mynsichti*, *Essentia succini*, *castor caryophylorum, formicarum, magnanimitatis*, & similia, *Med. præs. seculo accommod p.* 563. commendata. Quæ omnia si majorem effectum præstare debere desideres, *primo per infundibu-*

lum, capite linteo calidissimo munito, suffitum ex succino & mastiche &c. excipiat, interea verò æger masticet aliquid cinamomi, ita enim masticando meatus auditorius magis hiat, & tum eo celerius suffitus penetrat ad intima; finito hoc tum instilletur liquor auribus tepidè ad gutt. ij. *vel* iiij. & obduretur auris gossipio, ambræ vel moschi odore, imbuto.

Ad guttas aliquot instillatus quidem liquor, contra *Hildani* monitum non nocet, quia paucæ gutulæ ad tympanum vix perveniunt, sed in auris anfractibus saltem hærent, & ibi viris suas exerunt.

In hunc finem, optimè item mediante angusti colli vitro, in aurem sublimatur salis armoniaci spiritus: *immittuntur nimirum salis armoniaci & salis tatari partes æquales* vitro, & affunditur his ad humectationem saltem ▽. *Serpilli* vel alia, & subitò tum vitrũ auri applicatur, sic subtilis spiritus in aurem sublimatus, effectu non contemnendo: idquod *Cl. Ettmüll. commentar. Ludovician. p.* 108. itidem valde cōmendat.

Si malum est ex casu, vel percussione, *Emplastrum de Bethonica*, capiti simul imponatur.

Alias *masticatoria, ex radic. pyrethri, mastyche* &c. in catarrhis avertendis, ut *& eucuphæ, non absq; effectu* erunt, quemadmodum *nec vesicatoria pone aures posita*, & similia, quæ quovis modo tubulos circa aurem & auditorium nervum obstructos reserare, superfluum serum demere,

vapo-

vapores discutere, & spiritus nerveos invigorare apt. sunt.

Tinnitus Aurium.

AUditum similiter sat depravare potest. In causa verò sunt vapores, spiritibus nerveis implicati, tympanum vellicantes, sicque sibilum vel sonum excitantes.

Nonnunquam etiam externæ causæ, veluti casus ab alto, percussio &c. malum excitarunt: sic & morbi, febres acutæ potissimùm, quamdoque causam fovent.

Prognosis tamen, febribus acutis excitatum tinnitum, spontè curari notat. Sed ubi morbum per se constituit chronicum, raro curari, sed ad surditatem tandem ducere indicat.

In cura eadem, quæ in auditus difficultate laudata sunt, conveniunt. Quidam naturæ melancholicæ 50. annorum, per septimanas aliquot perquam molesto aurium tinnitu exagitatus, paucorum dierum spatio liberatus, aliquot guttis *Spir. cephal. Anhaltin: cum bombace insertis*; deprehendi illius effectum multò præstantiorem in vaporosa materia disolvenda, quam oleorum still. quæ nimio calore magis officiunt. *Tulpius lib.* 2. *obs. ult.* Optimè ergo hic convenit supra laudatus etiam Spir. Mynsichti acovisticus, *Essent.* Succini &c. nec *Bals. apoplecticus*, vel albus vertici inungendus vel auribus bombace simul immittendus, hic omittatur.

Pro roborādis spiritibus nerveis, & eis corrigendis, sequentes rotulæ in usu sint diligenti v. g.

℞. *Cubebar.*
Cardamomi.
Cinamomi.
Macis.
Ambræ gris.
Caryophyll. aa. ℈j.

Grossè concisa cum sacchari q. s. in morsellos compingantur, & *oleo succini* modicè irrorentur &c. vel *species diambræ & diamoschi d.* in usum veniant.

Dolor Aurium.

CAusam in genere ducit ab humoribus acrioribus, tubulos partium auri comprimentibus, vel extendentibus, rodentibus, vellicantibus &c. & vel ab intra, veluti à catarrhis, vel ab extra, ut cerumine acri, vel vermibus &c. excitatus: unde tandem inflammatio, & hac ingravescente delirium quandoque supervenire, spiritibus nerveis in consensum simul tractis, & acrioribus redditis, exempla testantur.

Prognosis dolorem auri grave malum esse indicat, præprimis senili accidens ætati: Ubi è contra infantibus frequens hoc malum superveniente materiæ purulentæ excretione, solvi facilè solet.

In cura, nulla adhuc inflammatione junctâ, doloris videlicet initio, præsertim malo ab externa

terna causa existente, optimè conducunt *Fomenta ex meliloto, chamom. rad. alth. sem. fœnugr. &c.*

Nec contemnendi effectus est *Nicotianæ fumus, auri immissus* inversâ fistulâ.

Vel ℞. *Sem. Carv.* ℨj.
Baccar. laur. no. ij.
Fl. Chamom.
Fol. Rorismar. aa. mj.

Coque in s.q. vini, & vapor auribus excipiatur.

Sic & *Oleum Scorp. cum oleo amygd. d.* vel pro majori detersione *amarar.* combinatum, & blandè calidum auri instillatum, vel cum bombace profundius immissum, multum convenit: nec *scarabæorum oleum, oleo rosaceo mediante factum*, absque effectu erit. Et si à causa magis frigida dolor ortum habere videatur, optimo cum effectu supra laudatus Mynsichti Spir. acovisticus, & similes; vel *oleum chamomillæ cæruleum*, vel *balsamus albus* instillentur, aure bombace moschato obdurato, & vertice *Ess. succini* vel ▽ *Anhaltina irrigato, & inuncto.*

Si à vermibus ortum trahat dolor, id quod reptionis sensus, vel progressus vermium in interiori auris meatu indicant, tum lactis infusionem Panarolus commendat, si verò allici se haud patiantur, *suffitu ex myrrha, vel sem. hyoscìami, & essentiâ myrrhæ instillatâ*, enecentur: id quod *Bals. sulf. therebint.* itidem præstat.

Si pulex in aurem se insinuaverit, pilos conglobatos immitte, sic his se insinuet, & levi opera extrahitur.

Inflammatio aurium.

UT aliarum partium inflammationes, ab humoribus à tergo fortius pressis, quam per vasa capillaria progressus est, exoriri solet, unde membranosæ partes extenduntur, roduntur, lacerantur &c.

Præsente verò hac inflammatione, insignis adest ardor in aure, dolor continũs, pulsatilis & vehemens, sicq; ab alio auris dolore distinguitur.

Nonnunquam etiam externæ auris partes, rubore notatæ conspiciuntur, præprimis si ad exteriora magis inflammatio vergit, quæ si gravior est, ad mala & tempora se extendit. Ubi verò interiores magis affliguntur partes, dolor pulsatorius gravior esse solet, nec raro huic delirium, febris, & convulsivi motus se jungunt.

Prognosis ergo, malum periculosum pronunciat, & præprimis quando non discutitur, sed in abscessum abit, & ulcus aurium post se relinquit: dum verò suppuratur periculo non caret, quia non raro cerebrum cum suis membranis afficitur, & sic delirium inducitur.

In cura omnia ea, quæ alias in erysipelate, conducunt: & diaphoretica anodynis remixta hic palmam aliis præripiunt. *Zacutus Pr. M. Hist.* hirudines retro aurem positas valde laudat, venæ-sectionis loco; experimento in juvene quodam facto.

Inter externa, actu frigida & repellentia viten-

tentur, ſed in uſum veniant reſolventia, tubulos deobſtruentia, & ſic liberũ humoribus circulum reſtituentia; ex his inter alia excellit *Elixir balſamicum*, quod dolentibus & inflammatis partibus applicetur calidè. Plura alia vide de eryſipelate, ex lithargyr. ▽. calc. viv. camph. &c.

Quod ſi vero ad ſuppurationem tendere videtur inflammatio, tum ℞. *medullæ panis* ℔j. *coquatur cum lacte caprillo* ad pultis conſiſtentiam, tum adde *Vitell. ovor.* no.ij. ℴℴ *roſac.* ℥ij. *Croci* ℈j. mſ. fiat cataplasma.

Sed ſi fortius deſideres, ut eo citius rumpatur abſceſſus, ℞. *Cæpæ ſub cineribus excoctæ* no.j.
Butyr. recent. ℥ij.
Olei chamom.
roſar. aa. ℥j.
Croci ℈j. mſ. & tepidè applica.

Et ſic tandem aurium inflammationem ſequitur aliquando.

Ulcus aurium.

HOc tamen vel verum eſt, vel apparens.

Verum eſt, quando, ut modo dictum, poſt inflammationem abſceſſus ſequitur. Vel quando ab acri humore, in tubulis nonnullis aurium ſtagnante, meatus interius exulceratur.

Apparens ulcus eſt, quando pus ex auribus effluit multiforme, nunc cum, nunc abſque earundem præcedente dolore, & talis effluxus quandoque diu durat; quo verò ceſſante varia

 capitis

capitis superveniunt symptomata, quæ rursus continuante fluxu levia sunt, & tandem cum fluore cessant.

Sic infantes nonnunquam, per tales aurium fluxus, magis, minus, sordidos, à pluribus malis, tam externis, quam internis alleviari Ettmüller in Praxi habet, & quotidiana experientia docet.

Prognoseos ratione sciendum, vera aurium ulcera inveterata facilè in fistulam degenerare: Pus tamen album æquale, mediocris substantiæ in genere melius esse quam saniosum, foetens & inæquale notetur.

In curatione mali hujus notandum, apparentia aurium ulcera non nimis citò sanari debere, in iis præprimis subjectis, qui humidioris sunt temperaturæ, quique capitis cutaneis vitiis, vel aliis internis capitis vel cerebri affectibus obnoxii sunt, ut plerumque infantes esse solent: Sufficit hic, si modo meatus auditorius mundus servetur, quod *urina* saltem *humana* instillata, præstat.

Sed si ulcere vero auris affecta est, prius diaphoreticis circulantes humores corrigantur, acidumque infringatur, & tum ad ulcus mundificandum, postea verò consolidandum, accessus fiat.

Pro ulcere verò mundificando, *phlegma urinæ veniat in usum melle rosato*, vel *syrupo nicotianæ commixtum*, & tepidè instillatum.

Sed si sordidum ulcus sit, *unguentum Ægyptiacum* modicè addatur.

Ul-

Ulcere verò tandem ſatis mundificato, (id quod minor puris effluxus denotat,) pro conſolidatione unguentum diapompholigos, cum tutia accerſantur. *Rulandus ſolo Balſ.* 🜂. vel *oleo amygd. amar.* ad gutt. iij. mane vel veſperi inſtillato tepidè, dolorem & ulcus aurium curavit.

Pro majori quorundam dilucidatione notentur ſequentes caſus, ab *Andrea Cnöffelio miſc. cur. ann.* 76. *obſ.* 83. *annotati.* Quidam inexplicabili dextræ auris dolore affligebatur, inſomnis, ac vix delirium effugit: humor quidem primo fluebat ex aure, ſed poſtquam Chirurgus emplaſtrum applicuiſſet, & linteaminibus aurē muniiſſet, deſiit fluxus, non tamen remittentibus doloribus: Medicus accerſitus opii uſum ſuadet, unde ſomnus duarum horarum cum inſomniis, redeunte mox dolore; tandem meo conſilio ſumſit pillulas *ex M. P. Ruffi & extracto rhei*, continuis quatuor diebus, mane & veſperi, cum euphoria; remotis emplaſtris & linteaminibus, pus incipiebat fluere copioſè. Succeſſit levis purgatio ex *pulveriſ. rad. Jalapp. cum ejus reſin.* gr. v. acuato, & ſic poſt tres ſeptimanas reſtitutus æger.

Alius gravi tali dolore aurium infeſtabatur, unicâ nocte, cum horrendiſſimo dolore capitis, noctem totam inſomnem ducebat, quid ageret neſciens: Hic ſepoſitis omnibus externis (exemplo erat alter) ſtatim conſilio meo

con

confugit ad has pillulas. ℞. *Extr. helleb. nigr. cum spir. vini. fact.* ℈j. *M.P. Ruffi* ʒß. *resin. jalapp.* gr. vj. mſ. f. pillulæ pro 2. doſibus. A prima doſi ſedibus quatuor motis, cum alleviatione doloris, altera die ſecundam aſſumſit, unde ſex ſedes: à meridie incipiebat fluere ex aure, fluxus autem cum euphoria 14. diebus continuavit, & æger reſtitutus eſt.

Alius dolorem auris dextræ ſentit graviſſimum per 5. vel 6. dies, ut ſibi mortem vellet conſciſcere: applicantur multa topica abſque fructu, dantur laud. opiat. gr. iij. omni veſpere, unde dormit cum allevatione patiens; denuò ut prius urgente dolore, effectu opii expirante: Poſt aliquot dies tumor pene aurem exſurgit, qui ſcarificatus naturalem locum dolor mutavit, ab aure enim divertit ad lumbos, hinc tendit ad regionem renum, deinde in ſiniſtro genu ſe figit: ſudoriferis attenuatus ad carneam auris ſubſtantiam repit, ab aure iterum ad gulam tranſit; interea fluit pus ex aure, tum ſequuntur lipothymiæ, & mors.

Ex his itaque recenſitis caſibus (pergit) quilibet colliget externa applicata, circa hunc affectum, potius damnum inferre, quàm prodeſſe, & tutiùs eſſe ſequi ductum naturæ, & quo vergit ducere, quàm topicis figere, quod ad volatilitatem videtur eſſe progenitum.

Experientia etiam teſtatur, plus poſſe unicâ die in talibus caſibus Medicum proficere internis

nis specificis, materiam discutientibus, quàm topicis repellentibus, quæ plus ab extra impediunt, quo minus materia peccans ad effluxum disposita, suo fine potiri queat: hæc ille.

Cachexia.

PLurimos includit affectus, & sæpius indifferenter utriusque sexus, malum denotat corporis habitum Practicis; ita ut modò pro virginum cachexia, sive febre alba, modò mala illa constitutione in ictero utroque sumatur.

Specialiter vero hic à nobis sumitur pro illa tantum depravata corporis constitutione, ubi absque aliis junctis externis cutis vitiis (quale exulceratio, scabies, lepra &c. est,) totum corpus malè, & depravatè nutritur; ita ut externa hominis facies, à naturali suo statu, in pallidum, lividum, subtumidumque declinare conspiciatur: quemadmodum ex signis latius patebit: unde etiam hydropis plerumque Prodromus esse solet Cachexia, sola ferè minus tumidiore corporis mole ab illa differens.

Est ergo Cachexia corporis universi depravata nutritio, & dispositio, à circulantium humorum contentis depravatis, oleosis videlicet, volatilibus chyli particulis suppressis; serosis verò, & pituitosis dominium obtinentibus, dependens.

Sub-

Subjectum sive partem effectam integer homo ministrat, tam quoad solidas quam fluidas partes. Externus namque integer corporis habitus, ut internus, depravatè nutritur; & integra circulans massa, depravatum suppeditat nutrimenrum, & à debita sua & convenienti textura deviat.

Signa præsentiam hujus affectus denuntiantia, plurima sunt: ex inseparabilibus, sive pathognomonicum signum hic est nativus faciei color, in pallidum, lividumque mutatus, sub tumida simul existente facie reliquo interea corpore ad maciem nonnunquam properante.

Externæ propterea corporis partes frigent, capitis dolor & gravitas molestant, aures tinniunt : & ob spiritus animales simul rudes, & circulantium humorum motum lentum, & tardum, lassitudo adest spontanea, memoriæ stupiditas, sensuum externorum debilitas, appetitus dejectus, unde vomitus frequens, ructus acidi, cordis palpitatio, animi deliquia, difficilis respiratio, frequens pulsus, & circa præcordia anxietas, frequentia cachexiæ sunt phænomena.

Tandem melancholiam, vertiginem, lethargum, & non rarò ipsam incurrunt apoplexiam, pro signo admodum viscidæ, & ferè stagnantis lymphæ, obstructiones varias causantis, à quibus

quibus in salivalibus glandulis, saliva cachecticorum crassa, tenax, viscida: urina vero cruda, mox alba, mox tenuis existit: & alvus vel nimis, vel planè non fluit; mensium item obstructio, vel fluxus vitiosus durarunt aliquandiu; & quæ sunt similia hujus farinæ symptomata, vel phænomena.

Causa immediata est depravata corporis nutritio.

Mediata proximior est *circulantium humorum ordo & textura* inversa, minimè cohærens, sed *nexu suo plurimum soluta*, unde canaliculorum suorum subtilissimis poris haud respondet, neque eos liberè amplius transit, sicque tardum & *lentum sanguinis, ex arteriis per vasa & viscera alia transitum, excitat*, unde tot & tanta phænomena suum ducunt exordium.

Suppeditat verò morbo hoc producendo materiam aptam & idoneam chylus, *nec* in ventriculo, *lympha sufficienter imprægnatus*, & dissolutus; *nec* in intestinis *à* deficiente *bile, ulterius dilutus*, & quoad contentas particulas acidas satis edulcoratus; *neq; à succo pancreatico* laudabili dulci lymphâ *sufficienter attenuatus*.

Alimentum ergo, quo non circulantes humores solum sustentantur, sed & solidæ partes aliàs nutriuntur, omninò depravatum advehitur; utque ideo etiam viscera tum non meliores

liores ſecernere queant particulas, quam ex primis viis fuêre adductæ.

Hepar etenim, ob minus diſſolutas exaltatas oleoſas particulas, non niſi crudam ſegregat & conficit bilem.

Nervi ob particularum craſſitiem, mediante chylo adductam, & circulante ſanguine mediante in cerebrum advectam, pauciſſimas, ob reluctantem craſſitiem, transmittunt particulas ſubtiles, vel ſpiritus.

Lymphatica vaſa lympha ſeroſa & copioſa replentur. Nullum hinc viſcus ſeparat id quod debet, & hinc tum rurſus menſtrua deficiunt: *nil enim ſunt bilis, lympha ſtomachalis ſuccus pancreaticus, quam menſtrua ferè, primariò chylificationi dicata*, quæ ſi depravatè elaborantur, & vitioſa chylificationis negotio præſident, quid boni inde ſperandum?

Bilis ſanè, oleoſâ ſuâ alcalicâ & volatili energia privata, chyli intimam ſolutionem, & contentarum acidarum ruditatum in eo transmutationem negligit, nec ejus ſtupiditatem promovere poteſt, ut alias bene conſtituta ſolet; ſicuti videmus in pigmentis nonnullis, quibus magis fluidis reddendis pictores bilem immiſcere ſolent.

Propterea in ejus laudabilis bilis defectu, chylus manet rudis, crudus, craſſus, circulationi ineptus, & nutritioni inidoneus: & hic tum rurſus ſimilem generari facit bilem, *tandemque enaſcitur pravus circulus*.

Neque

Neque vero bilis ſolum ſic generatur depravata; *ſed & tota maſſa lymphatica vitioſa redditur*; unde non mirum ſtatim in ipſo limine, ſalivam depravatam, cibis deglutiendis ſe immiſcentem, chyli primam maſſam inficere, & tum reliquis ſemicrudam advehere.

Prioris namque vitium, vix ſecundum, multo minus tertium, chylificationis inſtrumentum, ſive menſtruum corrigit.

Et quid tum, ſi omnia hæc ſunt depravata ut hic, quid inde? ſanè non melior ſtatus emergit: ut non immeritò *Barbette* malam de hoc affectu prognoſin pronunciarit: *rariſſimè ſcil. Cachecticos ſanitatem adipiſcir urſus.*

Ex remotioribus cauſis habebimus plures malo propoſito fores pandentes: & *ex naturalibus* quidem primo loco ſe ſiſtit *Temperies circulantium humorum*, à nativitate minus mobilibus, & volatilibus, oleoſisq; particulis, conſtans: ut & puerilis ætas, ob ingluviem & voracitatem, cui dedita eſt, multis ruditatibus ſenſim maſſam circulantem obruens, & menſtruis vitioſis fundamentum ponens.

Sic ætas ſenilis langueſcente ſenſim preſſione & calore, ac deficientibus plurimis volatilibus oleoſis particulis, malo miniſtrat anſam.

Ex nonnaturalibus plures affectui noſtro materiam ſuppeditant, vulgatiſſimam tamen præbent repletio nimia, crudis, acidisque inſti-

tuta, quo plus namque nutriveris impurum tale corpus, & quidem crudis, eo plus læseris, & malo ansam addes.

Inter præternaturales res Practici vulgò causam huic malo addere dicunt, sanguinis profusionem nimiam, hæmorrhagiam, item mensium suppressionem, alvi fluores diuturnos &c. Sed cum hæc ipsa potius sint cachexiæ producta, præsentiam ejus indicantia, hinc non causæ, sed symptomatum rationem habere, notabis in hoc morbo.

Jam cum plures dentur morbi, cum hoc nostro convenientes, hinc quomodo inter se differant, paulò notandum.

Supra audivimus, nostrum hunc affectum, nullo alio externo vitio comitatum esse, quam coloris floridi, in lividum cineritium, & subplumbeum mutatione, cum levi quâdam subtumiditate.

Hinc ergo differt ab ictero, oculorum colore illibato existente, utpote qui in ictero flavedine tingitur.

Sic differt ab anasarca, sive leucophlegmatia, quia non tanto tumore notatum existit corpus, præprimis circa inferiores partes, neque hæ pressæ digitorum post se relinquunt vestigia, ac fit in illa: In cachexia namque levis tantùm partium quarundam notatur intumescentia, quæ si major fit in pedibus, scroto &c.

tum

tum anasarcam, vel ascitem instare, demum comperies: antequam vero hoc accidit, cachexiam saltem vocabis malum.

Prognosin malam Barbettianam paulò ante audivimus, *raro videlicet cachecticos restitui*, nec ratione caret: Integram enim massam sanguineam non tantum, sed & omnes necessarios succos pristino vigori, & illibato restituere, sanè est opus ingentis laboris & patientiæ.

Et cum malum hoc lento gressu ab initio procedat, neque tantum credatur, donec nunc confirmatum restat, propterea in tempore medelam exposcit: si enim anorexia, vel pica nunc se jungunt, res facta est.

Et si tandem rudiores particulæ poros viscerum repleverunt, & stagnando scirrhum inducunt, tum desperatum est malum. quippe hydropem tum raro declinant, pertinaces illi cachectici.

Et si tum circulantium humorum confusio, & crassities, ac in minimis stagnatio, eò processit, ut versus præcordia fiat stagnatio, sicque palpitatio cordis, respiratio difficilis, capitis dolores continui &c. angustant, tum in summo periculo versatur æger.

Non ergo negligendum hoc malum, sed in incunabulis succurrendum, atque in tempore accedendum ad

Curationem, in qua ante omnia prima emendetur digestio, tum sanguini transmissa ruditates aggrediendæ, pituitosæ rudes eliminentur, oleosæ verò volatiles exaltentur.

Pro emendanda digestione prima, *Practici vulgo* ruditatū acidarum, quippe quæ hic prævalent, *evacuationem commendant*; idq; *tam per vomitum quam secessum.* Sed cum hac methodo bilis in hoc affectu suppressa, majus adhuc detrimentum capere, & particularum confusio, mediantibus purgantium particulis, veluti peregrino æthere inducto, magis adhuc promoveri soleat; hinc *Purgantia Cachecticis nullo modo danda esse, Frid. Hoffmannus injungit. Hunc errorem nostros errare sæpius deprehendo,* inquit, *ut à vehementissimis quoque purgantibus non abstineant, in Cachecticis, adeoque præmaturo committunt funeri corpora longiore vita digna. Volunt nonnulli ægroti ob levem illam quam sentiunt alleviationem indies fermè purgari, sed hoc pessimum illis est, pergit, & cito moriuntur, cum inde lædi viscera certissimum sit.*

Linoenius item confirmat, quod quò lenius tractentur cachectici, tantò citius curentur; in specie vero conveniens regimen diætæ observandum, & motum imperandum esse injungit.

Cautè ergo purgantia hic in usum vocentur, vel lenientia saltem sint, quale *Rhabarbarum* est.

eſt: hoc enim non tam propter vim laxandi, quam alterandi, & acidum corrigendi, bilem item in naturali ſtatu conſervandi, vel reſtituendi, urinam movendi, & hepatis atomiam corrigendi, adhiberi, indeque *animam hepatis* à quibusdam *vocari Cl. Ettmüller in Praxi* aſſerit, unde & admodum commendat *Electuarium cum rhabarbaro* pulveriſato, & rob juniperi confectum, v.g.

℞. *Rob juniperi* ℥iij.
Rhabarb. pulveriſ. ʒiij.
Cinamomi acuti ʒj. mſ.

& de hoc omni mane æger capiat bonam doſin.

Sanè, inquit, præmiſſis præmittendis, in virginibus in ſpecie cachecticis, egregium uſum obſervavi, tam ab hoc electuario, quam à rob juniperi ſolo.

Valde etiam commendat *paſſulas* in cachexiis quibusvis, easque hic ſanguinem temperare, & bilem reſtituere inquit, hinc talem continuat formulam, v.g.

℞. *Pulp. paſſular.* ℥vj.
Extr. ♂ *cum ſucco pomor.* ʒvj.
Rhabarb. elect. ʒij.
Cinamomi acuti ʒj. mſ. fiat Electuarium.

Sanè quando in cachexiis bilis eſt acuenda, & ſanguinis motus reſtaurandus, rob hi aromatici

matici, & aromatica amara resinosa, optimè conducunt, pergit. Sic v.g.

℞. *Herb. absynth.*
Fl. cent. min.
genist. aa. m. j.
Rhabarb. elect. ℥iß.
Cinamomi.
Galangæ aa. ʒiß.
♂ *cum* 🜍 *e præparat.* ℥iß.

Mixta includantur nodulo, & *vino infundantur*, quod pro scopo alterativo in usum veniat continuum. Infusione vero prius per dies 10. 12. facta decantetur quod clarum est, & novum affundatur vinum, donec prius consumtum: de effuso vel decantato vino singulo mane bibat æger ℥iiij. vel v. hinc motus subsequatur per aliqnot horas, interea nil edendo nec bibendo.

Sic & pulveres cachectici hic multum valent. v.g.

℞. *Croci* ♂ *absynth.* ℥j.
Rhabarb. el. pulveris. ℥ß.
Salis genistæ ʒij.
Corall præparat. ʒiß.
Margarit. præparat. ʒj.
Cinamom. acut. ℈iiij.
Sacchari ʒiij. mſ. fiat Pulvis.

cujus dosis ʒj.

Quo

Quo vero & oleoſa bilis volatilitas eo magis exaltetur, & acidæ, frigidi ſenſum (lentè circulando, & ſuptiliſſimos canaliculos tardè nimis penetrando,) inducentes, eò penetrantius corrigantur, ſæpius de die calido in vehiculo, aut alio convenienti, propinetur hoc vel ſimile aromaticum amaricans, quod ruditates acidas ſubtiliando, & pro magis convenienti textura aptando, inſignem præſtabit opem, v.g.

℞. *Elixir. prop. ſine acido.*
Eſſent. abſynth.
chamædr.
centaur. minor. aa. ℥ij.
Spir. *✱ci* *♂iati* ℥j. mſ.

Doſis gutt. 40. vel 50. cum aqua centaur. minos.

Circa ven. ſectionem hic notetur, quod quidam, inter quos *Botallus* eſt, & *Platerus*, eam admodum commendent in hoc malo, ſed cum (ut hi alias ſentiunt & putant:) humores lentè circulantes, & aliquo modo ſtagnantes, neque ſic celerius moveantur, ſed potius plus in ſuo motu retardentur, neque ut inſuper putant, impurus ſanguis hâc methodo eliminetur, hinc malè eam commendari in hoc morbo certum eſt, & experientia ſerò nimis docebit, eum, qui temerè celebrârit venæ - ſectionem, vitam ſimul abbreviare poſſe.

In *Diæta* omnis vitetur repletio, abstinentia etenim multi fuêre curati ,cibus facilis sit concoctionis, vel dissolutionis , & carnes potius assatæ quam elixæ. Vinum,quod in usum cedit continuum, herbis amaricantibus sit aromatisatum.

Præterea moderatè moveatur corpus , & quotidie quidem, ut incalescat sensim, ut pori aperiantur,transpiratioque promoveatur.

Alvus servetur aperta , & animi fortiores motus,ira, terror, melancholia,&c. vitentur quoad posse.

Capitis Dolor.

Est tristis & dolorifica sensatio mentis, à variorum tubulorum capitis obstructione , liberum huic vel illi humori, circulum & progressum ordinarium magis minus sufflaminante, hincq; dependente rosione,compressione, extensione p.n. &c. varium dolorem causante,excitata.

Subjectum doloris hujus constituunt capitis omnes partes , ex innumeris arteriarum, venarum , nervorumque tubulis, & fibrillis contextæ.

Signa

Signa doloris capitis vix necessaria videri deberent alicui, cum digito, ipse æger, sensu præditus, eum commonstrare queat.

Sed quoniam adjuncta differentia, calor videlicet, frigus &c. & differens sæpe locus, & in specie affecta pars, hincque diversus dolor, modò punctorius, modò gravans, mox pulsans, mox lancinans, terebrans, distendens, magis minus fortis: causam item differentem indigitare aliquando solet: hinc pro causa determinanda doloris saltem differens affligendi modus, & locus distinguantur probè.

Pro diverso namq; afficiendi modo, diversa sortitur nomina dolor.

Sic *Cephalalgia* audit capitis iste dolor, quando vel ex crapula, æstuante æthere; motu aliquo fortiori &c. totum caput occupavit, sed facile rursus cedit, neque diu moras nectit.

Cephalæa verò nomen adipiscitur, quando dolor ille contumaciter & diu excruciat, vel totum caput, vel certum ejus aliquem locum.

Hemicrania verò, quando una saltem, sed tota dimidia capitis pars diuturno affligitur dolore.

Clavi autem nomen ei à *Sydenhammo* imponitur, si in parvo quodam loco, ac si clavus ibi esset infixus, hæret.

Pro diversa verò parte in genere affecta, diversimode etiam dolor se gerere solet.

Sic si in vasis extra cranium sitis dolor hæret, tum digitorum compressione augeri solet: & quoniam vasa sunt minora, atque adeò uberi sanguinis, & circulantium aliorum succorum affluxu, haud irrigantur, ac intra cranium sitæ, hinc ob minorem compressionem, dolor etiam mitior adest.

Si verò pericranium magis est affectum, & compressum, tum præter id quod tactu exacerbetur dolor, magis acutus excruciat, & dilacerationis quasi sensum menti offert.

Sed si æqualiter semper, vel contumaciter perstet dolor, neque tactu exasperetur, partes intra cranium sitas magis affectas esse, sic denotatur.

Pro diversis verò in specie partibus affectis, diversimode etiam affligere solet dolor.

Sic ubi membranosarum partium tubuli, menningum videlicet, sunt compressi, & affecti, pungendo affligere solet.

Si verò arteriæ magis comprimuntur, progressusque tardior est, tum pulsatorius esse consuevit.

Sed si tubuli lymphatici potius, obstructione, compressione &c. mactantur, dolor gravans magis sentitur.

Ipsi verò Nervi affecti, convulsorium, vel stupori, aut torpori similem, non raro cum frigore

re junctum dolorem offerre solent, atque tali mulieres sæpius in occipite affliguntur.

Post hæc, varia & diversa phænomena adjuncta, ad causæ cognitionem specialius vehere possunt.

Sic ubi nausea, ructus, singultus, vomitus, appetitus dejectus, sitis p. n. &c. simul concurrunt, vitium in prima digestione, & chylificatione quærendnm venit.

Et si insuper dolor cum mordaci affligit calore, junctum habens colorem facici magis citrinum, oris amaritiem, iracundiam, vigilias, sitim nimiam, urinam magis tinctam, delirium &c. tum particulas volatiles oleosas, acido adulteratas, & vitiosas, causam sustinere denotatur.

Sed si pallida magis apparet facies, ac dolor gravativus cum sensuum hebetudine, segnitie, somno multo, gravedine, crassioris muci, & aqueæ materiæ evacuatione, affligit, tum circulantium humorum segnitiem & crassitiem in genere, causam fovere, indigitatur: ubi dolor lancinans, acidum magis acre dominium obtinere, indicat.

Et si dolor simul acerbus & contumax, mox cum frigoris sensu, mox cum phlogosibus, crebrius recidivat, tum lympham crassam, acrem, in suo motu sufflaminatam existere, credunt Practici.

Sed si dolor magis sentitur tensivus, mobilis tamen, cum aurium sibilo, aut vertigine,

pro-

probabile est, flatus & vapores magis extendere tubulos.

At, ubi dolor fixus semper est, & terebrans pòtius quàm acutus, nullis remediis cedens, gravitasque cum sopore caput occupat, absque tamen febre, tum à calculo, aut alio aliquo insolito comprimente, eum ortum trahere, suspicamur.

Si verò simul vertigo, oris fœtor, reique viventis & perforantis sensus percipitur, tum vermes doloris causam fovere, experimenta docuerunt.

Sed si æqualiter semper per vitam excruciat dolor, neque ulla ex prædictis causa, eum sustinere expiscari possit, probabile est, vitium aliquod conformationis latere, in ipsis variis capitis solidis partibus, sive tubulis.

Ex diversis verò jam dictis afficiendi modis, locis & causis, plures *doloris differentes species* ponunt Practici.

Sic quando in ipso capite causa immobilis hæret, utpote calculi, vermes, conformationis vitium à contusione, casu, ictu, &c. tum *per Essentiam* dolorem affligere dicunt.

Sed si stomachus, vel reliqua viscera, succos minus convenientes suppeditant, & sic circulantes humores crassos, acres, variis obstructionibus, & compressionibus aptos reddunt, tum *per Consensum* hunc dolorem oriri volunt.

Quan-

Quando verò insuper certis intervallis cedit & redit, *Periodicum* eum vocarunt capitis dolorem.

Causa immediata nostri doloris, est tubulorum, variarum partium, obstructio, rosio, compressio &c. varios succos circulantes in motu suo sufflaminans, itaque varia phænomena juncta habens.

Hactenus *doloris cujusvis causa immediata vulgo solutioni continui adscripta fuit, sed* quam *erroneè*, saltem vulnera & ulcera docent, ubi tantus dolor, qui pro magnitudine solutionis continui, aliàs adesse deberet, haud observatur.

Multo magis continui solutio in nostro hoc affectu, in parte sive loco dolente instituta, dolorem cedere facit: id quod ulcuscula mediantibus vesicatoriis instituta, in curatione admodum commendata, apertè demonstrant: Stagnantibus namque, & stagnando, acrioribus factis succis, sic liber redditur exitus, & compressio cessat, &c.

Mediatam proximiorem causam etsi vulgo circulantes suppeditare soleant humores, variis disproportionatis particulis referti, tamen & præternaturalium rerum censui adnumerandæ res, aliquando proximiorem constituunt causam. v. g. Præter. natur. conformatio hæreditaria.

Quomodo interim circulantes humores red-

reddi queant dispositi, ut dolori capitis vario ansam addant, alibi sufficienter traditum extat: Et partim demonstrabunt.

Remotiores plures causæ: Inter quas quidem ex *Naturalibus* rebus, plus *Hæreditaria partium capitis confirmatio*, quam alia ex hoc censu locum tenet: Nullum enim Temperamentum immune est ab hoc malo: quin aliquando à particulis disproportionatis, circulantibus humoribus additis, excitari valeat.

Ex Nonnaturalibus verò, ferè primum sibi vindicat locum *Aër*: quando enim calore hic exæstuat, ex æthere subtili validius motus, & secundum omnes dimensiones exagitatus, nostrum subit corpus; tum sanguinis particulas conjunctas dissociat; dissociatas poris patulis factis magnam partem avolare facit, ut sic crassiores saltem remaneant, sanguisque crassescat, & obstructionibus ansam suppeditet.

Sed si aër ad lineam rectam commotus, quovis modo frigoris sensum in nobis producit, tum non insensibilis tantum sufflaminatur, particularum exhalantium transpiratio, sed & ipsius massæ sang. particulæ volatiles castrantur ex æthere peregrino acido inducto: unde circulantes humores in vasis minimis coagulantur; coagulatæ verò tubulos obstruunt, sicque dolores varios excitant.

Post aërem, *Cibus & Potus* vulgaris sunt causa, quæ pabulum suppeditant: Quantum verò ex

illis

illis & quanto & qualibus peccantibus lædamur, nemini non notum existit.

Tam verò cibus crassus, difficilioris dissolutionis, quam cum potu, subtili, acri, plures particulas levi negotio dissipabiles continens, id nocivum ministrat pabulum.

Quemadmodum enim cibus crassior in primâ digestione, negotio solutorio multum resistit, nec hinc laudabilem de se fundit succum; neq; sic sanguinem, veluti universalem promum condum, satis proportionatum & purum suppeditat, sed obstructionibus variis generandis illum aptum convehit: *Sic è contrario Potus spirituosior*, quantitate nimia haustus, circulantium humorum motui ab initio quidem haud resistit: sed potius eundem nimium auget, & humores ad celeriorem motum concitat, subtilioris ætheris particulis plurimis inductis: Hinc ipso hoc actu transpirationem urget, quâ subtiliores circulantium humorum partes, cum liquoris & potus spirituosi subtilioribus particulis, exhalare facit, sicque sanguinem particulis plurimis volatilioribus orbat, crassiores verò acidas relinquit, unde circulatio torpidior, obtusio & dolor capitis, totius corporis debilitas, vomitus saburræ acidæ &c. sunt productum satis familiare & tædiosum; quemadmodum ex liquoribus talibus inducta crapula, inassuetos vel indispositos docere potest pro lubitu.

Nec

Nec somnum & vigilias excedentes hic excludimus.

Cum enim sanitas in legitimo consistat circulantium humorum motu: *Somnus* verò *multus* eum vel jam debilem significet, vel debilem reddere soleat, debilis vero motus, sanguinis propulsioni in vasis minimis vix sufficiat, sed levi modo stagnationi ibi ansam addat, hinc non mirum lassitudinem membrorum, capitis dolorem, omniumque sensuum torporem inde enasci.

Vigiliæ vero *nimiæ*, cùm particulis subtilioribus etiam massam sanguineam depauperent, ruditatibus cumulandis non minus ansam addent.

Motus & Quietis eadem est ac somni & vigiliarum ratio. Quemadmodum enim *motus nimius* poros reddit patulos, circulantes humores fortius commovendo & dilatando, atque sic subtiliores fortiter agitatas particulas expellendo: Sic è contra *motus abolitus*, vel nimia quies circulationem humorum debilem reddit, insensibilem transpirationem sufflaminat, atque obstructionibus adptat.

Excreta item, & *Retenta* pr. n. constituta, non minimum capitis dolori addunt pondus. dum *illa excedentia* succum nutritium nimium auferunt: *Hæc vero* plures particulas crassas, acres, disproportionatas, circulantibus humoribus immixtas retinendo, hos exasperant, & mor-

morbis vel obſtructionibus variis idoneas reddunt.

Nec *Animi Pathemata* hic minus valent, præcipuè triſtitia, terror, & ira.

Triſtitia namque & *Terror*, ſubtiles M. Sang. partes, nimium quantum debilitare, ſicque ſanguinis motum ſufflaminare ſolet. Id quod gravitas pectoris circa cor, aſthma, Pulſus minor, corporis frigus, faciei pallor, vivacitatisque interitus; inde exortus ſatis docet.

Quantum *ira* dolori addat ſatis conſtat: Solent namq; in hac ſubtiliores circulantium humorum partes violenter commoveri, & totam maſſam quaſi extendere & dilatare, unde tum vaſa jam magis extenſa ex una parte, ex altera magis compreſſa, magis vel extenduntur & comprimuntur, ſicque dolorem antea mitiorē, nunc exacerbant magis, & fortiorem reddunt.

Ex præternaturalibus rebus plures cauſam miniſtrant; Sic febres plurimæ in ſpecie Hungaricæ, item Phrenitis, ſcorbutus, lues venerea &c. circulantes humores ita contextos advehunt, qui doloribus his copioſum addunt pabulum. Neq; verò excluduntur primarum viarum aliæ ruditates. Sic nec contuſiones, vulnera, præternaturalia varia contenta, ut ſupra auditum, ſunt extra culpam. &c.

Prognoſis pro cauſarum diverſitate variat: ſic ſi à crapula, ſolis æſtu, motu nimio, ſanos aliàs corripit, periculoſa rarò exiſtit, ſed faciliM

 cili

cili methodo rursus cedit : modo vasa legitimè cum circulantibus humoribus antea fuerint disposita.

Sed si sanguis cum variis suis particulis, nunc existit magis crassus, acidus vel acris, circulationi ineptus, stagnationi verò aptus : jamque capitis dolor radices agere incipiat altas, ita ut vel continuò, vel periodicè ordinatè aut inordinatè nunc excruciet, ut in Cephalæa, Hemicrania, Clavo, cum Vertigine ; tubulorumque variorum totali ruptione, & dilaceratione, post contusiones, ictus, fracturas, &c. tum vel Apoplexiam, vel Epilepsiam, aut ad minimum visus debilitatem, cœcitatem, vel surditatem post se trahere consuevit : Vel ipsum tandem ad interitum deducit.

Difficilioris ergo curationis existit capitis dolor phreneticus, febribus Hungaricis familiaris &c. à nervosarum partium subtilissimis simul tubulis variis capitis obstructis dependens &c.

Nec melioris conditionis est capitis dolor, à Lue venerea, circulantibus humoribus admodum acribus existentibus, originem trahens.

Desperatum verò existit malum, quando conformationis aliquod vitium, vel præternaturalia contenta, utpote lapillos, ossicula, vasa putrefacta, vermes &c. causam agnoscit.

Ali-

Aliquando verò pus, vel aqua, vel ſanguis per nares vel aures effluens dolorem ſolvit, *Hippocrate hoc aphor.* 10. *Sect.* 6. teſtante. Aufertur enim ſic cauſa, obſtruendo antea excrucians.

Malo verò omine, ſani aliàs capitis repentinis doloribus corripi ſolent: Si enim protinus muti fiunt & ſtertunt, intra ſeptem dies interire *Hippocrates aphor.* 51. *Sect.* 6. habet, niſi febris eos prehendat. Incipiens enim ſtagnatio ſpirituum nerveorum, &c. ad Apoplexiam tendens niſi ſolvatur intra dictos dies mortem minatur. Si verò ſolvi rurſus incipiat, dicta ſpirituum ſtagnatio, tum bono omme, ob irregularem influxum ad huc febrilia phœnomena ſe jungunt, quæ tum motu rurſus libero reddito ſenſim cedunt.

Tandem ſi capitis dolor ex vulnere, ictu, contuſione &c. cum repentina inſenſibilitate, motibusque convulſivis exoritur, tum de vita periclitari ægrum, plura docuerunt experimenta. Præmiſſis verò his ad *Curam* devolvimur.

Quæ verò pro cauſarum diverſitate, diverſimodè etiam inſtituenda erit.

Si enim dolor caloris ſenſum junctum habet, ex particulis volatilibus oleoſis, acrioribus, acidis depravatis, & dispropottionatis, vulgò Bilioſis vitioſis; hæ verò ex oris amaritie, nauſea &c. in primis viis ſubſiſtentem

ſaburram fomitem agnoſcunt, tum nullum magis præſentaneum effectum habebimus, ac ex *Vomitorio* legitimè in uſum vocato.

Ubi vero ante omnia ea excellunt ex ♁io parata, & inter ea quidem præ aliis 🜂. ♁. *Medico meo præſ. Sec. accomm. de* ♁ *deſcriptum*, quem effectum ſemper ſecuriſſimum edere ſæpius experior.

Si vero quid ſit, quod vomitum prohibere poſſit: vel æger ipſe à vomitu abhorreat, nec ſalutaris, & ſanè excellentis hujus in tali caſu remedii uſum experiri, ſibi perſuaderi patitur, propinetur tale purgans, v.g.

℞. *Crem.* ♀i. ℈j.
Reſ. jalapp gr. iiij.
🜂. ♁ *gr.* iij.
mſ. fiat pulvis pro doſi.

Sed ſi vel Phtiſis, vel Hæmoptiſis cachectica aut tabida diatheſis, graviditas, hernia, obeſitas, plethora, convulſionum metus &c. tam fortius purgans quàm vomitum prohibens: ex ſpeciali tamen quodam indicante, viæ primæ depuratæ deſiderantur, fiat infuſum aliquod lene hoc, vel ſimile ſ v.g.

℞. *Fol. Senn. el.* ℥vj.
Fl. violar.
roſar. aa. miſce.
Superfunde his aquæ ferventis ℔. iß. cui incocta fuerint

Paſſular.

Passular.min. ℥j.
Crem.♀.ʒij.

Infusione per 12.horas facta, propinetur liquoris colati haustus, qui & temperabit, & evacuabit commodè biliosam saburiam, vel semel, vel aliquoties dosin repetendo, pro rei exigentia.

Si *Rhabarbaram* particularum suarum ratione, biliosarum particularum texturam convenientibus alterare, & earum eductioni magis dicatam esse credas.

℞. *Rhabarb. el.*ʒiij.
Tamarind.℥ß.
▽. *cichor.*℥v.

Facta per noctem infusione manè ebulliant, & colentur, tum colaturæ adde *Syr. de cichor. cum Rhabarb.* ℥j. m.f. fiat potus purgans pro dosi.

Sic satis depuratis primis viis, & obstructionibus item, si venter alias non respondeat, clysteribus demulsis tum *ad causam doloris magis proximam fiat accessus,* utpote quæ vel in hepatis frustrata bilis separatione, vel in biliosarum particularum nimia viscriditate consistit, quando sal ejus volatile oleosum degenerat in acidum salsum, quod levi de causa accidit: ubi enim semel bilis separatio in hepate denegatur, tum, quia bilis consequenter ad intestina pro corrigendis acidis chyli particulis

culis haud mittitur convenienti quantitate; hinc acida chyli pars ad massam sanguineam delata, inibi contentas biliosas particulas aggreditur, & coagulare intendit, quæ etiam tandem succumbunt, & à sua volatilitate oleosa in acidam coguntur naturam, & à sua tum textura varias assumunt alias, ordini & reliquorum humorum texturis minimè convenientes, sed contrariantes planè, unde tam varii morbi, & obstructiones vasorum, ortum trahunt.

Quia vero particulæ hæ biliosæ jam à sua ordinaria textura immutatæ & reliquorum humorum poros penetrantes, nec amplius suam servantes ordinem, (*quilibet enim humor qui ad constitutionem sanguineæ massæ concurrit, à natura ita est formatus, & tali textura præditus, quæ reliquorum texturis minimè impedimento est, sed quilibet alteri liberum suum relinquit motum, texturam, & poros:*) attamen volatilitatis suæ inclinationem retinent, hinc in poris reliquorum humorum hærentes, ab æthere subtili leviter moventur, & circumrotantur, unde caloris sensus, à velociori motu, menti offertur.

In hujus causæ remotione notandum, num calor vel fortior aut debilior prevaleat. Si fortior est, pro signo, particulas biliosas majori adhuc volatilitate gaudere, tum magis temperata, subacida, & concentrantia sint

reme-

remedia, quorum generaliter *primarius sit ſcopus illas particulas ex aliorum humorum poris expellere*, & ad ſtatum ſuum naturalem reducere: pro qua intentione adimplenda principem ſibi vindicant locum *Diaphoretica*, pariter *ac diuretica*, ſimul dulcificantia, vel abſorbentia: Sic v. g.

℞. *Aq. Flor. Sambuci.*
Taraxaci aa. ℥iß.
Tinct. Bezoard. acid gutt. xxxx.
Anodyn. gutt. x.
♁. *Diaphoret.*
Unicorn. foſſ. aa. ℈ß. mſ. pro doſi.
Syr. acetos citri ℥ij. mſ. pro doſi.

Hæc vel ſimilis medicina reiteretur, donec reliquos humorum poros, à bilioſis liberatos, ſicque conſequenter ſtagnationem in vaſis liberum ſuum repetere circulum, doloris remiſſio indicat. Et cum *camphora* in cephalalgia calida, mirabilis effectus eſſe, ab *Ettmüllero in praxi* deprædicetur, ſi unum vel alterum granum internè propinetur, hinc ita aliis poteſt combinari. v. g.

℞. *Antim. dioph.* ℈j.
Camph. gr. ij.
l. op. gr. j. mſ. pro doſi.

Si ſeri ſimul copia adeſſe obſervetur, tum ſolum *antimonium diaphoreticum* non edulcoratum

ratum ad ℈j. ad ʒß. & ℈ij. vel etiam ʒj. datum, cum ſimplici aqua, rem optimè expediet, per ſudores & urinam expellendo doloris cauſam.

Et ſi tumor apparens, catarrhum & humorem fortiorem motum denotet, tum ante omnia excellit *Tinctura anodyna Cl. D. Ludovici* ad gutt. 25. in quovis vehiculo, noctu, tempore ſomni propinata, quò impetus reſtinguatur.

Ubi verò calor remiſſior, magis volatilia exhiberi poſſe indicat, tum mixturis & remediis loco acidorum ſalia volatilia, utpote *Succini, Cran. human. urinæ, CC.* &c. addi poſſunt, & medicamen magis alcaliſatum, quàm acidum propinari.

Si ſitis urget, cum calore & vigiliis, tum optimo cum emolumento, tempore ſomni, propinantur emulſiones v. g.

℞. *Sem. 4. frig. maj. aa.* ʒj.
Papav. alb. ʒij.

Fiat emulſio cum aquæ ſimpl. ℔j. cui *conſerva acetoſellæ* leniter incocta fuerit ad ℥ij. adde

▽. *fl. Acat.*
Roſar.
Papav. errat. aa. ℥ij
Spir. nitri dulc. q. ſ. pro ſapore vix perceptibili.
Manus Chr. ſimpl. q. ſ. pro grato dulcore.

Vel

Vel ℞. *Seri lactis depurat.* ℔j.
Decocti tamarind. ℔ß.
Syr. de succo citri. q. s. ms. pro julepo.

Vel ℞. *Rosar. r.*
Fl. papav. err. aa. m. j.
Infunde cum *seri lactis depurati* & Spir. 🜍. leniter acidulati, q. l. & in calido extrahetur Tinctura, cui adde
Syr. rub. idaei. q. s. ms. pro usu.

Vel ℞. *Hordei crudi puri.* m. iß.
Rad. & herb. acetos. aa. ℥ß.
Fl. rosar. m. j.
Coque cum aq. font. mens. j. Decocto colato adde Syr. *cerasor. acidor.* q. s. pro gratia, & propina pro siti.

Si dolor à particulis biliosis, meninges inflammantibus, adeò exorbitet, ut ad phrenesin vergere metus adsit, tum externa simul in auxilium vocentur, quæ suo loco vide de phrenitide, ubi inter alia sola *rosarum aqua* temporibus & nuchæ frigidè applicata, multum valet.

Alias in dolore non adeò forti cautè frigida externa, in specie humida applicentur, ne majori pororum occlusioni præbeant causam, vel si talia expetantur, sicca ea sint, quale est euporiston illud ex *mica panis, bac-*

cis juniperi contusis , *& Sale* constans : Aut poros dilatandi vim habeant , qualem habet *Spir. vini camphoratus* , & *Elixir Balsamic.* quæ in inflammationibus sistendis potentes vires exerunt externè applicata.

Tandem quod ab initio curæ notandum, si sanguis in genere copia peccare notatur, tum ven. sectione quantitas minuatur, quo vasa ab extensione fortiori , vel alia compressione totali, aut dilaceratione , libera reddantur.

In diæta vinum vitetur quantum possibile, & *potus Thee* in usum cedat ordinarium : cibique subacidiusculi concedantur subinde.

Si capitis dolor cum frigiditatis sensu, ex signis supra relatis aliis, à causa minus volatili, sed fixiori viscida & acida, dependere palam sit, tum observa, num signa ventriculi saburra pituitosa obsessi adsint, in hoc tunc casu si nausea, vel vomendi conatus viam commonstrent, *vomitorium supra laudatum propina.* Vel si conatus vomendi haud urgeat, & attamen ex appetitu abolito, & depravato, primæ viæ repletæ sentiantur , tales fiant pillulæ. v.g.

℞. *Extr. helleb. nigri.*
Gummi ammoniaci, depur. aa. ℈ß.
Troch. alhand. gr.iij.

Castor.

Castar. pulv. gr. v.
🜁. *Succin.* gutt. j. *cum Ess. succini.*
fiant pillulæ pro dosi.

Vel fiant ex *Gummi ammoniaco*, muci cujuscunque viscosissimi solutivo, potiuncula talis v.g.

℞. *Gummi ammoniaci* ʒj. Solve in aceto, & rursus ad mellaginem inspissa: tunc adde
🜄*æ menthæ* ℥j.
Cinamom. ℥ß.
✱*ci* ℈ß. mſ. pro dosi.

Vel ℞. *Extr. helleb. nigr.*
Gummi ammoniaci aa. ʒß.
☿. *dulc. opt.* ℈ij.
Vitæ correct. ℈ß.
Extr. troch. alhand. gr. v.
Castor. gr. viij.
Cum Elixir Proprietatis fiant pillulæ. Dosis ℈j.

Hæ abditissimas corporis obstructiones reserabunt.

Si lenius aliquod evacuans desideretur
℞. *Fol. Senn. el.* ʒiij.
Zingiberis ℥ß.
⊖. ♀i. ℈ij.

Infunde in aquæ ebullientis ℔j. per noctem, mane dosi ad ℥iiij. colatæ adde

🜄. *Cina-*

∇.*Cinamomi* ℨij.

Syr. de pomis ℨiij. mſ. pro doſi.

Poſt hæc, alvus ſi non libera eſt, ſemper *clyſteribus aperta ſervetur*, utpote quod ad doloris alleviationem inſignem conferret operam, in quibusvis doloris capitis ſpeciebus.

Depuratis primis viis, ad particulas, in vaſis modo ſtagnantes, acidas, ſcindentes, rodentes, & vaſa hæc comprimentes, alia extendentes, fiat acceſſus: & ubi flatibus minus obnoxium corpus ſentis, *volatilia palmam aliis præripient*, ſicin ſimili caſu talem ſoleo propinare medicinam. v.g.

℞. *Aq. meliſſ.*

menth.

majoran. aa. ℨiß.

Cinamomi ℨi.

Salis volat. oleoſi ſuccinati.

Spir. ✱*ci. urinoſi cum* ⊖*e* ♀*i impragnati & caſtoreo aa.* ʒß.

Tinct. anod. ℈ß.

Succini ℈j.

Syr. Kermes. aut cinamomi ℨß. mſ. & propina cochleatim ſingulis momentis, vel ter aut quater in hora, donec dolor ceſſet.

Vel *ſi ſerum ſimul copioſum* ex ſignis ſupra dictis concurrere autumas, per diaphoreſin id minuatur, in quem finem hic

℞. ∇. *lilior. convall.*

fl. Sambuci aa. ℨiß.

Tinct.

Tinct. bezoard. absq; acido gutt. xxxx.
anodyn. gutt. x.
succini gutt. xv. mſ. pro doſi aliquoties reiteranda.

Vel ℞. ♂. *diaphoret. edulcat.* ℈j.
Salis vol. Cran. human. ℈ß.
Laud. op. gr. j. mſ. pro doſi.

Vel ℞. *Laud. opiat.* gr. ij.
Cinnab. nativ. pellucid. gr. vj. mſ. fiant Pillulæ parvæ pro doſi.

Pro ventriculi contentis acidis ulterius corrigendis.

℞. *Elix. Propr. absq; acido.*
*Spir. *ci cum ♀o impraegnat.* aa. ʒj.
Tinct. cinamom. ʒß. mſ. Doſis, 30. 40. gutt. cum quovis vehiculo.

His & ſimilibus rite exhibitis, & vicibus pluribus repetitis, optimè tandem viarum & vaſculorum impedimenta removebuntur, ſicque caput corroborabitur, quæ *corroboratio idem eſt, ac obſtructionum reſeratio, vel impedimenti remotio.*

Ubi tamen malum eſt admodum contumax, ut in ſenibus non raro, & aliis eſſe ſolet, *Decocta Lignorum veniant in uſum, & cura integra ſudorifera inſtituatur,* in quem finem

℞. *Ligni Quajac.* ℔. ß.
Cortic. ejusdem ℥ij.

Ligni

Ligni Sassafras. ℥j.
Rad. chinæ.
sersaparill. aa. ℥ß.
Salis armoniaci depurati ʒij.

Infusa per noctem in aqua fontan. ℔. xij, coquantur mane ad tertias, de hoc decocto exhibe mane ℥vj. pro dosi calidè, & in lecto probè sudet æger, tàm diu quam ferre poterit, quovis die paulisper ascendendo: atque *hac via crassiores etiam & viscidiores particulæ solventur*, & si opus esse notetur, singulis octo diebus, leve aliquod evacuans sive purgans intermedietur.

Sic non interioribus solum, sed & exteribus hic militandum, inter quæ plura in hoc casu dantur valida præsidia.

Venæ-sectio tamen hic vix locum habet, quia sanguine depauperato, reliquum facilius ob segniorem motum, coagulum suscipit. Tententur ergo sequentia poros reserantia, & impacta deobstruentia, & extrahentia; sic *Vertici infricetur Essentia succini*, suo convenienti modo elaborata: vel *Balsamus albus*, aut *spiritus volatilis alius*, *oleosus*, qualis est *aqua apoplectica spirituosa*, aut *aqua Anhaltina*, vel hodie adeo decantata *aqua Hungarica*, vel *Balsamus succini*, ex *olei succini* p. j. & *olei nucistæ* p. iij.

Ubi vero hæc malum haud allevient, vel auferant, applicetur *Empl. de ranis cum Mercurio, oleo succini vel albo malaxatum*, raso capiti, hoc ob

ob particulas Mercurii, quævis coagulata solventes, potentissimum præbet auxilium, etiam in dolore â lue venerea.

Si vero horum usum eludat contumax capitis dolor, ad alia refugium fiat, & ante alia *vesicatoria* in usum veniant, quæ si in clavo ipsi parti dolenti imponuntur, effectum magis præsentaneum edunt, *cantharidum enim volatile sal, per poros communicatum, acido-corrosivas stagnantes in tubulis partium magis solidarum, particulas, temperat,* & sic obstructionem solvit, dolorisque causam aufert.

Aliàs *pone aures* posita vesicatoria, optatum etiam effectum præstant, *in Hemicrania* hujus vel illius lateris, vel sit periodicus aut non. Vide *Ettmülleri Praxin pag.* 350. ubi mulierem gravissimo & frontis & temporum dolore laborantem, omnibus aliis irritis, curavit binis vesicatoriis juxta aures positis.

Moxa item hic non negligatur. Et si hæc intentioni haud satisfacere velint, ad *arteriotomiam* recurrere suadent plurimi Practici, per hanc enim in arteriolis minimis stagnans sanguis evacuatur, & ubi præprimis dolor externus magis est, tum arteria transversim incidatur, quæ quando consolidata rursus est, tum per hanc nullum amplius sanguinem advehi posse, neque illam capitis partem, in quam ea fuit inserta, ulterius torqueri, sunt qui credunt.

Quid

Quid vero ven. sectio inter indicem & pollicem manus, ab aliis pro præsenti hemicraniæ remedio habitum, huc faciat, & ex qua causa, anilibus fabulis imaginationem causantibus, adscribo; interim hirudines etiam pone aures applicatæ, vel fronte vel etiam nucha, laudantur *in A.N.C. Anno. 4. & 6.*

Veteres ad graviores capitis dolores & nervosi generis impedimenta removenda *Fonticulum in capite*, ubi sutura coronalis & sagittalis concurrunt, excitarunt: Et hujus medio inveteratam scorbuticam etiam cephalalgiam curatam esse in *M.A.N.C. Ann. 3. p.* 138. *narratur.*

Notamus hinc omnium præsidiorum intentionem eò collimare, ut stagnantes humorum particulæ, & pro texturâ sua magis scindentes & rodentes vel vellicantes, liberentur & extricentur, *ac sic vasis apertis, liber circulantibus humoribus restituatur itus & reditus*; neque ideo in continua solutione, sed vasorum obstructione, & adjacentium compressione dolorem consistere fit clarum, continui etenim hic solutio dolorem solvit, quem stagnantes humores exasperabant.

Pergimus ad dolorem qui tensivus, mobilis cum vertigine, sibilo aurium, ructibus &c. flatus conjunctos accusat, & convulsivum metum nobis injicit.

Paulo

Paulo aliter verò hic dolor tractandus ac alii.

Solent verò hi dolore hoc præ aliis affici, quibus ſanguis eſt vaporoſus, ad orgaſmum pronus, ut ſolet eſſe utplurimum in mulieribus, in quibus particulæ bilioſæ, ſive volatiles oleoſæ prævalent, ubi ergo in talibus corporibus in parte quadam ſtagnant humores, tum particulæ ſubtiliſſimæ æthereæ, eos validè movent & expandunt, in qua verò expanſione vapores magis expanduntur, hinc fortior vaſorum & partium adjacentium compreſſio, dolorem itidem fortiorem tenſivum menti offert: & ſi integra maſſa ſanguinea ſimilibus redundet vaporibus, tum non mirum nervis etiam hos communicari, præprimis validius commotos, ſicque convulſionibus anſam præberi.

In cura ergo vitentur validè moventia, ſub quem cenſum hic primò vomitoria refero, tum vulgo dicta carminantia volatilia, inprimis urinoſa, ſive macra, aut oleoſa, quia in corpore in Gas mutata, flatus jam in M. ſanguinea præſentes, & incarceratos, velut cuneus cuneum trudunt, & malum maximè augent.

Medicamenta ergo quæ hic palam aliis præripiunt, abſorbentia ſunt & dulcificantia, cum opio maritata, utpote quod contra dolores cum flatibus ſacra ferè eſt anchora, Sic v. g.

℞. *Antimon. diaphor,*
Ocul. cancr. aa. ℈j.

C.C.philosoph.c. ℨß.
Rad.pœon.rect.temp.coll.pulveris. ℨj.
Castor.opt.Moscovici ℈ß.
Cinnab.nativ. gr. xv.
L.opiat. gr. iij.
🜕 *succin.* gutt. iij. mſ. f. Pulvis.

Dosis ℈j bis vel ter de die.

Vel ℞. *Rad.pœon. pulveris.*
Visci corylin.pulveris. aa. ℨß.
Cran. human. præparat.
Succini alb.præparat. aa. ℈j.
Cinnab.nativ.
Castor. aa. ℈ß.
L. opiat. gr. iij. mſ. fiat Pulvis.
Dosis ℈j. ad ß. bis de die cum 🜄 *flor. tiliæ.*

Clysteres sint frequentes, etiamsi nil educant, fiant vero *ex carnis jusculo saltem*, *cui ruta & chamomilla incocta sint*, *quibus tum* 🜕 *lini*, *rutæ*, aut *chamomillæ*, cum *ovi vitello & nitro* ♁. addi possunt.

Vesicatoria etiam hic pone aures posita, insigne levamen afferent, vel aliàs tempora, & vertex diligenter inungantur Balsamo succini, hoc vel tali

℞. *Olei nucistæ* ℨj.
succini.
albi aa. ℈j. mſ.

Vel

Vel ℞ *Gumm. tacamahac* ʒj.
Balſ. Peruv. ℈ß.
🜍 *ſuccin.* gutt. aliquot. mſ. & temporibus applica pro Empl.

Si purgante opus eſſe videatur, exhibe pillulas ſupra ex ammoniaco laudatas.

Vinum pro ordinario potu vitetur, & bibatur potus Thee vel *Decoct. ligni ſaſſafras cum ſcorzonera, liquirit. C. C. & ſimilibus*, nec *acidula* ſi haberi poſſunt, *denegentur*, vel *ſerum lactis caprilli* veniat in uſum: vel etiam noctu, ſi vigiliæ moleſtant, emulſio ſupra deſcripta, minus tamen acidulata, propinetur.

Quandoque uterus doloris cauſam fovere dicitur, quando ſanguis in ejus vaſis ſtagnat, ſed malè utero id adſcribitur, ſive vaſis ejus vel viis, quod humoribus circa illum circulari ſolitis, jam viſcidis & obſtruentibus adnumerari deberet, ſicq; cauſa in contentis potius quam continente quærenda venit.

Cadique hinc quorundam ſollicita inventio fermenti cujuſdam uterini, cui vitiato omnia adſcribunt uteri vitia, non perpendentes humores, in quo etiam loco ſtagnent, & motu ſuo priventur, alias aſſumere texturas, & poros, à naturalibus planè alienos, ſcindentes, rodentes, vel alio modo afficientes, nec opus eſſe viſcerum ſingularibus fermentis, cum circulatio ſola hæc refellat, quicquid enim ſin-

 gularis

gularis hoc viscus præ alio habet, texturæ suæ ratione præstat.

Cura ergo ad acidum magis minus austerum, constringens, & subtiliores humorum particulas crassiores reddens, dirigatur.

Et si sanguis massam vaporibus minus obnoxiam deprehendimus, tum si purgatione opus esse videbitur, cum *Cl. Cellario* laudo, v. g.

℞. *Massæ Pill. de succino Crat.* ℈ß.
Resin. jalapp.
♀*i vitriolat.* aa. gr. vij.
Castor. opt. gr. iiij.
cum Elixire Propr. f. Pillulæ pro dosi.

Tum ad acidum in massa S. corrigendum,
℞. *Elixir propr.* absque acido, vel *Elixir aromaticum, spir.* ✱*ci cum sale* ♀ *impræg.* aa. p. æq.

De hoc elixire mane & vesperi exhibe gutt. xxxx. cum *aqua meliss. menth.* vel *puleg.* &c.

Præterea *vesicatorium retro aures* applicato, vel tempora, & locum dolentem inungito hoc vel simili, v. g.

℞. *Ung. alabastrin.* ʒiij.
Olei lumbric. terr.
castor. aa. ℥j.
succini ℈j.
albi ℈ß,

m. f. fiat linimentum, vel supra dictum *Empl. ex tacamahaca* applica.

Si

Si verò dolor in nucha & occipite, cum frigoris ſenſu affligit, admodum conducet *ſacculus ex ſuccino cum eſſent. piperis irroratus.* Vel *piper. pul. ſubige cum albumine ovi, & temporibus vel nuchæ impone*, ſæpe reiterando *Cl. Hoffmanni ſuaſu.*

Spectat huc *Clavi hyſterici* nomine inſignitus dolor, *à Cl. Sydenham*, quem *Martis ſubtiliſſima limatura*, mediante *extracto abſynth. in pillulas redacta*, & per triginta dies ſingulo mane ad gr. vij propinata, ceu univerſali acidarum ruditatum antidoto, curare intendit, præmiſſa attamen & ven. ſectione, & purgatione, per aliquot dies repetita; ſicuti pluribus apud eundem videre poteris *in ſua diſſertatione epiſtolari de variolis confluentibus & affectione hyſterica p. 467.*

Effœtæ & langueſcenti maſſæ ſanguineæ calcar addere Martem dicit, unde ſubtiliores particulæ ſuo pondere preſſæ, & quaſi jacentes excitantur & eriguntur, cujus rei indicium ait vel apertiſſimum eſſe, quod quoties chalybs in chloroſi propinetur, pulſus derepentè major fiat & celerior, exteriora corporis incaleſcant, & facies ante pallida jam vivida rurſus apparere incipiat; plura vide ſuo loco de chloroſi, & ſuffocatione uterina.

Si dolor à vermibus ortum habet, ad hos expellendos omnia alia antecellit ☿ *vivus*, à ℈j ad ʒj. vel ultra, *cum guttis aliquot cujusdam ſy-*

rupi crassioris, tum *cum ol. amyd. d.* gutt. 6. vel ulterius disgregatus, & cum *conserva rosarum mixtus* & propinatus.

Dolorem in febribus pete ex suo capite.

Dolor ex crapula ascitus, *pipere deglutito* cedit, qui cruditates in stomacho absumit.

In suturarum discessione, ligatura capitis instituatur, & *Empl.* vel *ceratum ex pelle arietina*, derasis capillis applicetur.

Cardialgia.

Est dolorifica sensatio mentis, excitata à variis ventriculi acrioribus cntentis, orificium ejus superius compressione, & constrictione convulsiva, irritando & rodendo afficientibus sicque lympham stomachalem principalius ventriculi fermentum invertentibus; vel viam ei præcludentibus.

Minor species est anxietas circa præcordia, quando ægri conqueruntur de quadam angustia circa ventriculi regionem, sive non explicabilis molestia illius loci, unde inquieti sunt, & non aliter eis est ac illis, qui vomitorium assumsêre, vel qui cœna largiori se repleverunt, & propterea in lecto hinc inde se jectitare ob anxietatem coguntur. Et qui his affliguntur malis, eis

Subjectum morbi ventriculum esse, in specie verò subtilissimum ejus superius orificium, omnes Practici confitentur: non exclusis tamen omninò reliquis ventriculi partibus, lateribus, scil. & inferiori orificio, etsi ægrotantes rogati, scrobiculum cordis admoto digito plerumque commonstrare soleant, à parte magis quandoque dolente ita impulsi. Cum enim ventriculi interior tunica nervea sit, hinc eam ab hoc dolore non semper omninò non esse immunem, probabile admodum est.

Signa tamen manifestabunt & malum, & ejus sedem. Malum namque hoc adesse, dolor magis, minus acutus, circa veutriculum, indicat, cum inappetentia, locum verò affectum æger, ratione valens, digito commonstrat.

Distinctus verò dolor sedem, & specialius subjectum indicat. Sic ubi præter dolorem circa scrobiculum cordis, dolor etiam circa spinam in regione illa posteriori sentitur, quæ cartilagini scutiformi respondet, tum superius orificium sive os ventriculi magis affectum esse *H. Saxonia, Prælect. Med. Part. 2. c. 7. habet.* Sic & orificiis affectis dolor magis intensus, & acutus esse solet, quam si fundus, & latera laborant, ubi remissior est dolor, nec tam gravia subsequuntur symptomata.

Ob diversam etiam causarum indolem, dolor item solet esse vel major vel minor, vel

continuus, vel periodicus, nunc cum calore, nunc cum frigote; quandoque pungens, lancinans &c.

Sic & differt essentialis in cardialgia dolor, ubi ipsi parti affectæ impacta causa inhæret, ab eo, qui symptomaticus est, & aliunde causam duxit.

Acrior bilis mordaci dolore se prodit, cui oris amaritudo, sitis, vertigo, inappetentia, nausea, vomitusque junguntur &c.

Jam *differentias* quasdam authores ponunt *inter cardialgiam & cardiaçam.* In cardiaca orificii partes magis carnosas affici dicunt, & hinc dolorem magis esse obtusum: cardialgiam verò magis acutos habere morsus, per intervalla afficientes, cum inferioris labii tremore, & aliis vomotionis futuræ signis.

Sed affectus hos non inter se differre nisi ratione magis & minus, supra modo dictum fuit.

Interdum tamen cardialgia gravior cum colica confunditur & contra, hinc probè examinetur locus doloris. In cardialgia namque dolor utplurimum sursum magis protenditur, qui in colica magis deorsum, versus lumbos, vel renes descendit.

Raró etiam solá affligit cardialgia, sed si gravis hæc est, gravissima inducere solet symptomata, ferè epileptica, convulsiva, imminentia deliquia; his accedit faciei livor, sudores

dores frigidi, ægri quandoque quaſi exanimati jacent, interdum verò ex doloris acerbitate ſe mirè jectitant, neſcientes ferè quid agant &c.

Cauſa affectus hujus *immediata* eſt orificii ſuperioris inſignis roſio, totum nonnunquam nervoſum genus in conſenſum trahens, & constrictione convulſiva ſtomachum afficiens, ſicque pororum occluſioni, & ſuccorum inter membranas ſtagnationi anſam miniſtrans.

Proximiorem cauſam ſuppeditat omne id, quod texturâ ſuâ magis minus acuta, ſcindente, pungente, rodente, dictum orificium vel intus vel ab extra quovis modo lædere poteſt; vel ſit in ventriculo ex aſſumtis genitum, ut ſunt ruditates variæ, vel aliunde transmiſſa, ut bilis acrior, aut lympha jam acrimonia tincta, etiam à nervis adducta &c.

Ex contentis in ſpecie frequentiores authores ſolent eſſe flatus, quos hypochondriaci & hyſterici, per ructus ſubinde excernunt, & ſic levamen percipiunt: generari verò hi ſolent à ruditatibus in ſtomacho ſtabulantibus, præprimis pituitoſis, acidis, ſponte quandoque in flatus reſolutis, vel occaſione bilis cum eis efferveſcentis, inque tales converſis.

Quod verò ſtagnent flatus, & ſe manifeſtent, fit ob poros in inteſtinis & ventriculo

occlusos vel contractos, quos in statu naturali liberè transibant, ubi è contra jam hic coacervati, viam sibi sursum quærunt.

Bilis tamen porracea, æruginosa, acida, nec non pituita ex acido viscida, principaliores sunt gravissimarum cardialgiarum causæ.

Oriuntur vero hæc sub digestione partim ex assumtorum corruptione; partim ex bile vitiosa, nunc ex intestinis, nunc mediantibus aliis vasis in ventriculum delata, & cum assumptis humores vitiosos varios construente: vel cum pituita acida, jam inibi contenta, in liquorem acrem, nervosis partibus infensissimum facessente, cardialgias, anxietatum, & choleræ potissimum efficiens.

Quandoque etiam ipsa contenta vel ingesta ita sunt disposita, ut per se malum hoc levi negotio producant: quemadmodum hæc & similia tradunt.

Causæ remotiores, inter quas ad proximiorum generationem symbolum tribuentes, ex *naturalibus* occurrit *Temperamentum* vulgò frigidum; nec biliosum hic eximitur, utpote levi de causa etiam hoc malo obnoxium.

Volatilis enim hic humor, levi negotio acrimoniam concipit, animi etiam fortiori motu saltem exagitatus, ut ira docet: de frigido, acidi producto, res per se clara est.

Ex

Ex non naturalibus rebus, frequentius ſymbolum *cibus & potus* addunt. Ex lacte namque in ventriculo coagulato, graviſſimam cardialgiam notavit *Amatus cent.* 6. ex eſu fungorũ, *Hildanus*, ex vini intempeſtiva ingurgitatione, *Lotichius*, *Fortis*, &c. ex frigidæ potu in febre tertianapoſt vomitus bilioſos *Rhodig. cent.* 2. Sic & varia alia deglutita v.g. Scarabæos, aciculas, vitri fruſtula, vel & venenoſa, aut corroſiva, ut ☿ ſublimat, arſenic. helleborum item nimia doſi propinatum &c. cardialgiam excitaſſe, hinc inde Practici notarunt.

Ex animi pathematibus non excluduntur mœror & triſtitia, hæc namque acido generato, & ſic cardialgiæ, dediſſe occaſionem *Platerus obſev. p.* 15. *habet.*

Ex præternaturalibus verò rebus Febres malignas quoque cauſam ſuppeditare poſſe, Practici plurimi confirmant.

Nec ſcorbutus, affectus hyſtericus, hypochondriacus &c. hic excludendi quippe omnes hi, quandoque cauſam ab intra ventriculo advehere ſolent.

Sic item inflammationem, ulcus &c. circa ventriculi orificium, cardialgias fuiſſe autores, ſectio poſt mortem manifeſtavit, certo argumento, non ab extra abductis ſaltem acrioribus humoribus, ſed ab intra quoque ſtabulantibus

tibus, & advectis, non raro cardialgiam ſumere originem.

Vermes etiam, vel in ventriculo genitos, vel ex inteſtinis illuc delatos, frequentes mali hujus eſſe autores, teſtantur Practici.

Prognoſis malum hoc plerumque ſatis periculoſum pronunciat, ſi diutius protrahitur, & periculoſa ſymptomata ſuperveniunt.

Magis tamen periculoſum eſt illis, qui os ventriculi admodum ſenſibile habent; Sic ubi convulſiones, ſyncope, lypothymia, frigus &c. ſuperveniunt, res non caret periculo.

Peſſima etiam eſt cardialgia, ſi à bile æruginoſa, porracea, ortum habet: item ea quæ ex lacte coagulato oritur, uti & ea quæ in febribus acutis, tam benignis, quam malignis accidit.

Nec ea periculo caret, quam vermes induxerunt: Has namque cardialgias Practici ſemper ferè funeſtas deprehenderunt.

Peſſima vero omnino eſt & deſperata, quæ ab inflammatione, ulcere, venenis &c. hominem adoritur: quemadmodum hoc experimentis comprobant *Riverius*, *Foreſtus*, *Güldenkle* & alii.

Spes vero ſalutis affulget, ſi cauſa eſt mitior, & per conſenſum affligit, affligens etiam inducias concedit. Minus periculoſa etiam eſt, nec adeo gravibus ſymptomatibus ſtipata ea cardialgia, quæ à pituita viſcida, plus minus acida oritur,

oritur, etsi paulo contumacior esse soleat, ut in sua praxi notavit *Cl. B-Ettmuller*.

In curatione ergo non cunctandum, & si doloris vehementia extraordinariam opem exposcere videtur, ei infringendo prius insistendnm per anodyna,

Sed si inducias concedit malum, causarum remotioni per alterantia, evacuantia & similia insistendum; & tandem roborantibus tam externis quàm internis, ventriculus, vires scil. pristino vigori restituantur.

Priori intentioni optimè satisfacient *Pulveres anodyni*, *Tinct. anodyna*, *theriaca cœlestis*, *extr. papav. compos.* &c. cum ▽. *menth. arantiar. Tinctura carminativa* & similibus.

Dolore mitigato, causa removeatur, quæ si in ipso stomacho ex assumtorum, vel intus genitorum vitio dependet, tum ab omnibus Practicis commendata *vomitoria*, maximo cum emolumento *rem expedient*.

Si verò quid adsit vomitum prohibens, tum purgantibus ruditates ejiciantur: Ne verò hæc, ut alias solent, malum plus exasperent, jubet *Cl. Ettmüller* opium eis combinare.

Sic mulieribus, quæ ex levi purgatione uterinæ suffocationi obnoxiæ sunt, item iis qui facilioris sunt alvi, & qui acidis abundant succis, multò magis convenire asserit, cum blandam sic operationem instituant, & lympham simul acrem acidam, graviora abdomnis symptomata

ta instituere,(quemadmodum alias in scorbuticis solet agere commota acris lympha:) prohibeant. Si ergo purgans necessarium judicetur,

℞. *Extr. absynth.* ℈ß.

Colocynth. cum ▽ *s.* ⊖e ♀i *acuta facti.* gr. iij.

Diagrid. 🜂rat. gr. iiij.

Res. jalapp. gr. iij.

Castor. pulveris. gr. vj.

Laud. op. gr. iß, mf. fiant pill. pro dosi.

Ruditatibus maximam partem sic evacuatis, reliquiæ alterantibus, & poros reserantibus corrigantur, inter quæ blanda aromatica, si pitutia magis peccat, in usnm veniant, qualia sunt *mentha, melissa, chamomilla, cort. citri, arantiar. rad. enul. angelic.* &c. Sic v. gr.

℞. ▽. *menth. spirituos.*

Chamomill. post dest. olei saphyr.

Cortic. citri aa. ℥iij.

Tinct. anod. gutt. XL.

Ess. Succini. ℥j.

Bals. ♁. gutt. xv.

Syr. cinam. ℥ß. mf.

De hac mixtura dentur singulis horis cochlearia 3, 4.

Vel ℞. ▽ *menth.* ℥iiij.

Cinamom. ℥i.

Spir. vol. oleosi fœnic. vel Bals. ♁

Spir.

Spir.✻ci cum castor. infus. aa. gutt. L.
Syr. cinam.
Corallor. aa. ℥ij, mſ. detur ut prius.

Cl. Ettmüller hic admodum commendat decoctum chamomillæ Roman. ceu experimentum admodum certum. Nec minoris efficaciæ eſt *Tinctura carminativa* mea, *Med. præſ. Sec. p.* 657. deſcripta. *Nec oleâ deſtillata* veluti *carvi*, *ſuccini, chamomill. Saphyr.* hic negligantur, ſunt enim efficaciſſima experimento *Thoner*, qui ut *in obſervat, p.* 136. *habet*, dolorem totius abdominis clamoſum, per 5. guttas *olei carvi deſtillati* curavit.

Item aliam ægrotantem à ſævo ventriculi dolore hoc oleo liberavit. Item ingentem ventris dolorem per intervalla, præſertim à cibo ad ſcapulam ſe extendente (ob orificium ſuperius, ſeptimæ dorſi vertebræ alligatum,) 5. guttis *olei ſuccini deſtill.* propinato profligavit.

Ubi verò dolor in corpore bilioſo calorem & ardorem junctum habet, tum oleoſorum loco temperata acida, *ut ſpir. nitri dulcis* admiſceantur, & pro ſiiti levanda *ſerum lactis* concedatur.

Sed ſi *bilis æruginoſa*, porracea peccat, tum ejus acrimonia corroſiva acida mediantibus abſorbentibus corrigatur. Inter hæc omnibus aliis in hoc caſu *Langius præfert cryſtallum, tanquam ſpecificum alexipharmacon*. v. g.

℞. Cry-

℞. *Crystalli præparat.* ʒij.
Unicorn. fossil.
Oss. sæp.
C. C. ust. aa. ʒj,
Laud. opiat. gr. viij.
mſ. fiat pulvis pro pluribus dosibus.
Vel ℞. *Cryst. præparat.*
C. C. phil. calc.
Conchar. præparat. aa. ʒj.
Conchar. præparat. aa ʒj.
Pulv. Pannon. rubr. ʒß.
Laud. opiat. gr. v. mſ. fiat pulvis pro pluribus dosibus.

Si calor non adeò exsuperare videtur, his pulveribus immisceantur guttulæ quædam olei vel carvi, vel caryophyll. &c.

Præter interna hæc, ubi calor non adeò item exsuperat, externa topica non negligantur: inter quæ ferè excellunt, *olea* stomachica, *absynthii, macis, menthæ, chamomill. empl. de tacamahacacum Balsamo Peruviano, de Caranna*, *&c.* & si his tum supponuntur *sacculi ex herb. menth. Chamomill. abrotan. Fl. Chamom. anethi anthos, majoran. sem. anisi, carvi, bacc. lauri, juniperi* &c. calefacti, tum oleorum vel empl. vis altius penetrabit, & pororum reseratio expeditior fiet, sicque flatibus libera reddetur via.

Vel & procede in hunc modum:

℞. *Herb. menth.*
abrotan.

Fl. Cha-

Fl. Chamom. aa. m. j.
Anthos m. ß.
Rad. calam. arom. ℥j.
Galang. ℥ß.
Sem. anisi.
Carvi. aa. ℥ij.
Caryophyll. ℈j.
Maceris ʒß.
Bacc. lauri ℥ß.

Incisa & contusa includantur sacculo, hic tum coquatur in vino generoso, deinde expressus ita calidè imponatur ventriculo, prius inuncto uno vel altero supra laudato oleo.

Ad Flatus verò stagnantes, præter supra laudata simul *carminativa ex mentha*, (ubi tamen volatilia omittantur urinosa (: *chamomilla* & similibus, *Clysteres ex carminativis*, *non omittantur*; utpote non minimam afferentes utilitatem, præprimis cum non raro dolores colici, nephriticique concurrant.

Si à venenis malum ortum traxit, tum omnis salutis spes in celeri emetici exhibitione requiescit. Valeriola in exhibito mercurio sublimato propinavit *cryst all. præparat.* ʒj. *theriac.* ℈ij. *butyr. rec.* ℥j. *cum decocto hordei* q. s. hocque acidum ☿. subl. corrosivũ præcipitavit, & corrosionem, corrugationemque, & obstructionem pororum ventriculi avertit,

Si vermium suspicio adsit, tum præter antelminthica, etiam *emetica admodum conducunt*,

cum ipsa natura quandoque per hanc viam levamen sibi quærat, & sponte vermes rejiciat.

In *Diæta* admittantur cibi facilioris concoctionis, boni succi, & non flatulenti : vel ne in flatus hi ipsi vertantur, *aromatibus condiantur*, vel à pastu in usum veniat *Tragea stomachalis.* *Potus sit vinum generosum*, teste *Ammanno*, vel & *absynthites.* Ubi verò calor excedens generosum potum vetat, in usum veniat *Decoct. Sarsapurill. cum cinamomo &c.* Sic *Sarsæparill. vel & Chin.* in aqua decoct. mensuræ uni ferventi, ab igne remotæ, injice *cortices unius citri rec. cinam.* ℥ij. cum modico *Sacchari*, & fiet sic potus non inelegans.

Catarrhus.

Sive Defluxio, *est lymphæ vitiosæ, magis minus viscidæ, acrioris & acidæ, in suis vasis & viis, interceptio, & stagnans mora, dolorem varium, vel cum, vel absq; notabili tumore excitans.*

Subjectum mandans universale, massa sanguinea suppeditat. *Particulare* conglobatæ glandulæ, cum suis vasis lymphaticis.

Recipiens verò subjectum sunt omnes corporis partes, glandulis conglomeratis, quas vasa lymphatica contingunt, refertæ.

Cùm vero non superior corporis regio solùm,

lum, ſed & media, talibus conglomeratis, ut & conglobatis glandulis conferta ſit, uti teſtes, inteſtina &c. demonſtrant; ſic propterea earum ope excitatæ etiam aliæ præternaturales excretiones, ut diarrhææ, gonorrhææ, &c. catarrhi nomine inſigniri haud malè poſſent.

Sed cum hac ratione defluxionum doctrina admodum generalis emergit, hinc in ſpecie ad eos ſaltem reſtringemus caſus, ubi caput, vel adjacentes proximè partes, catarrhis moleſtantur.

Sic in ſpecie *catarrhi nomine inſignitur Coryza*, nec eo dedignatur *Branchus*, aſperæ arteriæ raucedo, *Rheuma* item, in pectore facta lymphæ excretione, nec non oculorum, aurium, maxillarum, dentium, cervicis, ſcapulariũ, &c. dolores, tumore quandoque conſpicui.

Cùm enim non tantum cerebrum cum ſuo cortice ſit glandularum variarum congeries, & proximè ſubjacentes partes, veluti aures, oculi, maxillæ, collum, aſpera arteria &c, uberrimè itidem glandulis referta ſint, hinc non mirum has partes præ aliis aëris injuriis expoſitas, ad catarrhos etiam frequentius diſpoſitas inveniri.

Signa catarrhi præſentis ſatis quidem manifeſtat æger, ſed cum nonnunquam defluxio hæc, præ alia, vel notabili calore, aut excedente frigore, comitata repetiatur, proptereaq; ab

autoribus vulgò differentia fiat inter catarrhum calidum, aut frigidum, veluti adjuncta vulgatissima differentem paulò curam exigentia, hinc *catarrhum calidum* cognoscimus ex temperie ægri biliosa, rubore faciei, amaritie oris, siti extraordinaria, sternutatione crebriore, dolore magis acuto, & symptomatibus vulgò intensioribus.

Frigidum verò, ex faciei pallore, frigoris sensu, pituitæ dulcis sapore, ructu acido, temperie magis frigida, dolore gravativo, & similibus remissius agentibus.

Imminens catarrhus, in corryzam ut plurimum desinens, multa sternuatione, sensuum torpore, capitis gravitate, & quandoque dolore, sputo solito copiosiore, se prodere solet.

In fauces decumbentem raucedo, in pectus, tussis denuntiat. Alios catarrhi decubitus dolor quasi digito monstrabit.

Causa Catarrhi proxima est præternaturalis lymphæ etiam nerveæ quandoque longior mora in suis viis & vasis: vel ad glandulas, nimiâ copiâ effusio: & ad exitum in hanc vel illam partem magis debilem, propulsio, & progressus difficilis, vel stagnatio.

Quando enim lympha, vel per poros non transudat, vel per renes haud transcolatur, tum sanguis, ut ab hoc onere se expediat, ad glandulas alias eam propellit, sed quoniam ex his rursus

gursus in sanguinem, qui itidem adhuc nimio sero scatet, & in arteriis ac venis turget, regredi nequit, hinc circulante sanguinis motu pressa, copiosè in conglomeratas glandulas effunditur, & insequente semper alia propulsa, vel si in ore accidit, effunditur copiosa salivatione, vel in partes adjacentes decumbit, & eas extendendo, & rodendo dolorem & tumorem excitat, si patulam viam ut in ore, palato, aut naribus haud invenit.

In nervis etiam ex hac ratione lympha nervea stagnare cogitur, quia motus ejus ad vasa lymphatica, quæ jã repleta sunt, inhibetur, unde torpor est sensuum, & totius corporis nonnunquam lassitudo.

Sic in Coryza, per nervum odoratorium, utplurimum lympham copiosam & acrem, mediantibus cavernosis narium tubulis, & osse cribriformi, veluti per magis patulam viam excerni videmus, cum odoratus propterea sufflaminatione.

Hinc ferè credibile est, ut veteribus assentiar, ossis cribriformis structuram, per cujus cavitates ad nervum odoratorium aditus patet, cerebro emungendo, & à superfluo liquido muco lympham nerveam liberando, destinatam esse.

Sicque palam fit catarrhi vias diversas esse, & modo per glandulas, modo per nervos exitum invenire.

Causa proximior jam dictam proximam fovens, vel lymphæ, vel organorum secretoriorum vitium est.

Peccat verò lympha vel quanto, vel quali, ut quantitas, & quibus ex causis generatur sex rerum nonnaturalium classis docebit, sicuti & qualia ejus vitiata.

Organorum verò secretoriorum, glandularum videlicet vitio, oriuntur catarrhi, quando quibusdam obstructis, reliquæ totum onus sustinere coguntur. Sic quando poris corporis constrictis, (*cutis, enim ope microscopii tota glandulosa reperitur, propterea & hic glandularum vitium accusandum venit:*) serum vel lympha retinetur, tum ea, circulatione mediante, ad majora seri receptacula, & quæ exitus & vias magis patentes habent, propellitur; sed si in vicinia hæc non reperit, tum quia motus lymphæ per se lentus est, exitum etiam in alias partes magis patentes & debiles, sibi, vi quasi adacta, quærit, si proximè adjecta sunt.

Sic quando circa capitis partes, talis accidit lymphæ vel seri stagnatio, ex poris obstructis, tunc quia vias patentes in vicinia habet, illuc eas exonerat.

Sed si paulum ab his viis patentioribus dissitus est locus affectus, ut in collo quando accidit, tum majori molestia dissipatur: Et quo magis decumbens talis catarrhus ab excretoriis

riis visceribus distat, eo magis molestias creat ejus curatio.

Sic item notamus, catarrhum, quando in pectore debiliores invenit vias, huc facillimè deponi, sed quia viscus hoc excretorium est, hinc levi negotio plerumque ejicitur stagnans, & huc propulsa lympha, stagnando coagulata; quam coagulationem, in vasis commota, subire ita liberè nequibat, etsi coagulandi rudimentum ei impressum, vel ex sanguine sive chylo, vel ex aëre, aut æthere peregrino, secum tulerit; quemadmodum hæc fusiùs paulò declarabunt.

Causæ remotæ, naturalium, nonnaturalium, vel præternaturalium classe, comprehensæ.

Ex naturalibus rebus temperamentum frigidum, humidum, ac senilis ætas, præ aliis hoc malum utplurimum incurrere solent: *quoniam enim in corporibus talibus, talis est particularum dispositio, quæ in illis tales format poros*, præprimis in circulante massa, *ut subtilis æther in illis se non nisi lentè movere queat*, hinc frigus excitando, humiditates advenientes per diætam, non item ritè & expeditè separat; unde tum frigido æthere simul concurrente, motus in superfluis istis jam lentè commotis serositatibus, planè quandoque quiescit, & eos stagnare facit; sicque catar-

rhis anſam præbet,& materiam copioſam advehit.

Ex non naturalibus ergo rebus principem ferè locum vindicat *Aër*; hic enim pro variis ſuis conſtitutivis, varias infert defluxiones: Autumno, hyeme, vere, particularum ſuarum rigiditate,poros cutis obſtruente,*vulgatiſſimam catarrhorum conſtituit cauſam*, quia tranſpiratione impedita, ſerum abundare facit, inſpiratione verò attractus, particulis ſuis ſerum imprægnat, & ad coagulationem diſponit, quod tunc occaſione data, & frigore poſt incaleſcentiam quandam incuriè admiſſo, effectum ſuum,vel coryza,vel tuſſi, aut aliis ſymptomatibus, certò præſtat.

Sed ſi aër præter rigidas vulgares ſalinas particulas, etiam corroſivis acidis imprægnatus, corpus noſttum penetrat, tum texturas circulantium humorum turbat, & hac actione & reactione multæ particulæ ſalinæ præcipitantur, præprimis volatiles, ex quibus potiſſimùm ſanguis conſtat; præcipitatæ verò à lympha veluti præcipuo ſalis ſolvente reſolvuntur, à quibus illa acris reddita, vias per quas tranſit vellicat & coarctat, ſicque ſtagnationi ab intra etiam anſam addit. Et ex hac ratione vulgo oriuntur *Catarrhi epidemici*; & quia hi ſanguinis turbatam mixturam, & in illa præcipitatas particulas ſalinas

pro

pro causa habent, hinc febris hos sæpiùs comitari solet, & urina rubra à copiosis salinis particulis per renes simul transcolatis, bono cum effectu excernitur quandoque.

Quomodo reliquæ non naturales res ad catarrhos disponere queant, de dolore capitis explicatum reperies: in specie *Bibones catarrhosos vocat Crato.*

Circa motum & quietem unicè hic notemus, sedentarios, & otiosos, defluxionibus maximè esse obnoxios: in suis enim hypocaustis delitescentes, & motu destituti, nullis aëris injuriis, & variis contentis ejus corpus exponunt, hinc illis successu temporis quælibet aëris constitutio, à consueto suo paulum aberrans aëre, fit peregrina, & vel ab extra vel ab intra admissa lædit. Id quod rustici, milites, nautæ, variis aëris mutationibus, jam suos corporis & contentorum poros, asuescere fecerunt, nullis propterea læsionibus adeò leviter obnoxii.

Ex præternaturalium rerum classe hic occurrit, ceu principale magis stomachi infirmitas, ex conformationis vitio, vitiosam digestionem fovens, Nec excluditur scorbutica M.S. dispositio; ut & in tubulis quibusdam, remanentes catarrhi particulæ, se instar fermenti habentes, vel viam semper occlusam tenentes & dispositam, ut levi opera occupari rursus queat, & fortiùs obstrui, cum proximioribus partibus.

Quoad *prognosin* notandum, catarrhum ab externa saltem causa, veluti aëre frigidiore admisso, excitatum, minus esse periculosum eô qui internum simul agnoscit fomitem. Minùs etiam esse periculosum illum, qui partem ignobiliorem, quam qui nobiliorem, utpote pulmones afficit, præprimis si sæpiùs recurrit eodem in loco, dispositum enim sic eum reddit locum, & sibi accommodat, & hoc si in pulmonibus accidit, ad phthisin tandem deducit.

In Senibus difficilioris etiam sunt curationis: ob motum enim eorum nunc lentum, & poris obliteratis, & induratis glandulis, lympha ferè stagnat in se acris & acida, ob nutrimenti minùs laudabilis accessum; Hinc *in Senibus* caput afficientes, *gravia eis symptomata accersere solent*, ut sunt *Lethargus*, *Carus*, *Paralysis*, vel & ipsa *Apoplexia* &c. Sic & Catarrhi epidemici, & qui febrem contumaciter junctam habent, non omninò sunt tuti, maximum etenim circulantium humorum, à statu suo naturali recessum, pro causa agnoscunt.

Periculum etiam minantur sæpius recurrentes, fontem cum prioribus, *insignem* scil. *lymphæ immutationem*, *præsagientes*, unde *cæcitas*, *surditas*, *paralysis*, vel ipsa *Apoplexia*, originem sumere possunt.

Cura Catarrhi pro causarum varietate, variè

riè item instituenda venit. Principalis indicatio esse solet, ut serum prænaturaliter retentum, tanquam efficiens causa, per ordinarias vias reducatur; Fit verò hoc tam mediante ipsius seri, sive *lymphæ vitiosæ correctione*, quàm *glandularum, & viarum reseratione*.

Indicationibus his omnibus nulla magis apta sunt quàm *Diaphoretico-Diuretica*, hæc etenim vias ordinarias reserando, lympham à decubitu revocant: Et si *opiata statim ab initio combinata* fuerint, *defluxum avertunt*, sale suo volatili vias non solùm efficacissimè simul reserante, sed & acrimoniam acidam lymphæ simul corrigente.

Initio ergo defluxionis subitò

℞. *Tinct. anodyn. Lud.* gutt. xxv.
Ess. Succini gutt. xx.
▽. *Serpilli* ℥iij. m. f. pro dosi.

Vel ℞. *Tinct. Bezoard.* gutt. 50.
Anod. gutt. 15.
▽. *fumar.* ℥iij. m. f. pro dosi.

Hæc & similia sumantur sub introitum lecti, vel ante catarrhi motum, vel decubitum.

Præter hæc in specie *Lignum Sassafras*, pro specifico catarrhorum habetur alexipharmaco, vel infusionibus, vel in Essentia &c. qualem *Medicus meus p.* 538. *habet*.

Nec solùm hic internis, sed & externis pori reserentur, inter quæ non levem præstat operam

ram *suffitus ex thure, mastiche & succino exceptus.* Sic & *Essentia succini*, vel *oleum album* externè injuncta maximum præstant levamen.

His & similibus tum rursus reserantur pori, utpote in quorum apertione totum negotium situm est; & præterea ipsius lymphæ simul corrigitur vitium: In cujus tamen correctione vel expulsione minus situm esse quàm in dicta pororum apertione *Cl. Cranius* in Colleg. M. his verbis exprimit: *Maximus*, inquit, *in praxi quotidiana deprehenditur error, quod velint ex parte, in qua est catarrhus, exhaurire humorem catarrhi causam, putantes stagnare in illa parte omnem humorem, quo exhausto pars sanetur, cum tamen potiùs quantum humoris ex illa parte educitur, tantum in ejus locum semper succedat, nisi simul tollatur illa tubulorum sive pororum obstructio, in quorum apertione totus consistit scopus, ad curandos catarrhos, ita ut citra immutationem materiæ, reseratis tantum tubulis illis, possit tolli humor ibi collectus, & rursus per totum corpus distribui, ne sentiatur quidem, utque adeo vitium non consistat in ipsa materia solum.*

Si tamen quid scorbutici subesse harioletur, tum, ut qualia illa corrigantur, per tempus aliquod potest in usum venire vinum medicatum, ex specificis anticatarrhalibus. v. g.

℞. *Ligni*

℞. *Ligni sassafras.*
juniperini.
lentescini aa. ℥ij.
Rad. caryophyllat. ℥j.
Herb. rorismarini recent.
hyssopi.
cent. min. aa m. j,
Flor. serpilli.
farfaræ aa. m. ß.
Cinamomi ʒij.
Cubebarum.
Cardamomi aa. ʒj.

Incisis affunde vini opt. mens. iiij. stent in infuso, & de hoc vino tum in principiis pastus bibatur haustus.

Nec abique insigni effectu ages, si subinde *sal volatile oleosum, ex sale volat. C. C. fl. *ci, ol. succini, macis*, mediante *spir. vini tartarisat.* factum, tam curativè, per sudorem scil. reserando poros, quàm præservativè, ab obstructione eos vindicando, in usum vocaveris, in senum catarrhis præcipuè.

Qui *Tabaci* fumum ferre possunt, præstantissimum habent in hoc resolvens lympham, corrigens, visciditatemque ejus attenuans, & evacuans, nec minus insigne resistens ob narcoticam suam vim, quâ motus catarrhales admodum inhibet. Intenditur ejus *vis, & efficacia, addito succino, aniso, majorana,* &c.

In

In catarrhis sæpè recurrentibus senum, vel aliorum, semper *ante novilunium volatilia oleosa*, *lympham corrigentia, poros reserantia* &c.. *usurpentur*.

Et si ruditates in primis viis videantur caussam suppeditare, tum sua su *Riverii* si malum sit contumax, illæ mediante vomitu eliminentur; vel in senibus catarrhosis purgantia alia in usum veniant, præprimis ante novilunium: His verò plurimi Practici commendant *Pillulus de succino*, C. vel ex his & aliis mixtas, v. g.

℞. *M. P. de succino Cr.* ℈ß.
Resin. jalapp. gr. v.
Diagrid. 🜍r. gr. ij.
Ext. troch. alb. gr. iij
Castor. gr. iiij.
Olei succini, q. s. ms. fiant Pillulæ pro dosi.

Si fortiora expetis, talia de dolore capitis tradita habebis, ubi plura huc spectantia simul reperies.

Circa ven. sectionem hic in genere notandum, eam per se non convenire, si tamen decubitus catarrhi cum impetu fiat in corpore plethorico, tum paulum minuendus sanguis, ut major compressio & ingens inde exortus dolor, paulum imminuatur, tam in venis & arteriis, quam in loco affecto, sive subjecto catarrhi proprio, glandulis, & has cingentibus partibus.

Hæc

Hæc ſunt principaliora, quæ in genere circa catarrhos vulgares notari debuêre, qui abſque epidemico quodam miaſmate, adoriuntur homines.

Si verò in ſpecie ad nares tendit lymphæ ſtagnantis exitus, *Coryzæ* nomine inſignitus, tum ad irritationem ſiſtendam, productum verò evacuandum, *vertex irroretur eſſentia ſuccini*, vel *oleo albo*, & ſubitò antequam nares excoriantur, intrinſecus nares illinantur *oleo aniſi*, id quod non tantum catarrhum ſiſtit, ſed & materiæ craſſitiem ättenuat, vel & *camphora oleo amygd. d. ſoluta*, eodem modo illinatur, eundem effectum præſtitura: nec ſuffitus *ex ſuccino, maſtiche, gummi animæ* &c. negligatur, utpote non contemnendi effectus.

Si verò materiæ copia & viſciditas evacuationem potius requirunt, tum omnibus aliis excellit *vitriolum ad albed. calcin. & ad* gr. vj. *in aquæ majoranæ* ℥j. ſolutum, hæc aqua naribus attracta, obſtructionem optimè reſolvet; ad quam intentionem optimum etiam eſſe dicunt *ſuffitum aceti*, *ſuper ferrum candens effuſi*.

Præter hæc internè non negligantur etiam, ad inhibitionem, reſolutionem, & pororum reſerationem, veſpertino tempore *opiata*, ut *theriac. cæleſt.* &c.

Si in pectore ſubſiſtere lympha, & ſtagnare incipit, capias *aquam aſthmaticam* pro lubitu; aut

aut *spir. vini cum saccharo & ficubus combust.* vel *passulas majores*, *spiritu vini anisato maceratas*, commendatas tibi habe; optimè enim asperam præservant arteriam, sæpius interdiu comestæ, ab aëris frigidi rigidis particulis.

Si verò tussis nocte jam molestans, cum febricula insignem lymphæ vitiatum motum denotare videtur, tum *Tinctura Bez. cum anodyna*, veniat in usum, hæc namque catarrhi radicem penitius attingunt, & acria ejus spicula obtundendo, liberum lymphæ aditum & reditum concedunt rursus.

Ubi vero acris lympha diutius stagnando, jam in pulmonum tubulis læsionem induxit, vel particularum suarum quantitatem inibi deposuit, quemadmodum ex sæpius recurrente tussi hoc clarum fit; tum pectoralia ex *tussilagine, veronica, helenio, hyssopo, sulfure, & similibus*, in usum ducantur, de quibus invenies plura de tussi: ubi inter alia laudem hic meretur *decoctum sassafras*, vel *chinæ cum passulis*; Nec absque insigni emolumento hic propinabis *sperma ceti*, vel solum, vel *cum oleo amygd. d. rec.* manè & serò in vehiculo calido, præprimis senibus.

Raucedinem verò asperam optimè item demulcet jam laudatum *sperma ceti*, nec contemnendum præstabit effectum *passularum minorum decoctum, cum aniso*, item *syr. de erysimo, violarum, papav. err. mel simpl. squilliticum*,

aqua

aqua asthmatica, & similia, *qualia Medicus meus p.* 602. inter pectoralia plurima habet.

Quando verò acrioris lymphæ affluxus ad bronchum, laryngen ita constringit, ut cum subita raucedine, & sensibili laryngis titillatione, cumque lymphæ tenuis exscreatione, respiratio simul admodum difficilis subitò redditur, & non aliter ac in exquisita angina suffocationis metus insequitur, vel omnia ferè catarrhi veri suffocativi phænomena apparent: tum catarrhus hic laryngis, si à lymphæ vitio interno dependet, curatur ut supra dicta tussis sicca nocturna; vel raucedo, mediantibus simul junctis lymphæ acrimoniā temperantibus, & stagnationem ejus resolventibus, inter quæ præter alia antiasthmatica, *spiritus* ✱*ci anisatus, cum opiatis maritatus*, insigniter lymphæ acrimoniam temperat.

Sic v. g. *Aq.* ℞. *asthmatic.*
veronic.
hyssop. aa. ℥ij.
Salis volat. oleosi supra laudati.
Spir. ✱*ci anisati* aa. gutt. 60.
Tinct. anodyn. gutt. 25.
Syr. papav. err. ℥ß mſ.

Hæc mixtura propinetur cochleatim, singulis horis 3. 4. cochl, vel *tinctura Bezoard.* additâ, detur bonus haustus, vel legitima dosis, & sudor provocetur, sic efficaciter resolvetur stagnans lympha, Et sic hujus affectus cura cum

exquisitæ anginæ cura conveniet, quam vide suo loco.

Si vero aër frigidus & rigidus, inspiratione attractus, sui copiam superficialiter laryngi impressit, & stagnationem in proximis glandulis, vel præterfluenti lymphæ induxit, & sic raucedine fortissima quasi bronchia affecit, tum supra ad raucedinem vulgarem commendata medicamina, etiam hic, diligentiori tamen adhibitione, non minimam præstabunt opem.

Catarrhos epidemicos quod concernit, cum hi plerumque & semper ferè tussim, pleuritidem &c. juncti habeant, hinc titulo de Tussi, & pleuritide eorum cura videatur.

Catarrhus suffocativus.

DEnique hic nominis ratione, hic catarrhis vulgaribus adjungitur, etsi aliam agnoscat materialem causam.

Non enim ut prædicti catarrhi vulgares à lymphæ stagnantis, & vitiato motu, *sed ab ipsius sanguinis vitiato motu & stagnatione in ipsis pulmonibus oritur*, & hinc à peripneumonia, non nisi ratione modi finiendi distat: nec ab Apoplexia differt nisi ratione loci.

Quemadmodum enim ex humoribus in capite stagnantibus Apoplexia originem trahit, sic catarrhus suffocativus fit sanguine in pulmonibus confestim stagnante.

Ambo

Ambo vero affectus hi rursus differunt à *syncope cardiaca, hæc enim accidit sanguine in ipso corde coagulato, & stagnante subito.*

Est ergo in specie Catarrhus suffocativus, pororum & tubulorum respiratoriorum in pulmonibus, confestim accidens obstructio.

Signa quoad apparentiam externam ferè eadem sunt cum apoplexia, sed si paulò exactius inquisitio instituitur, tum hic reperimus liberum adhuc sensum, & motum, qui in apoplexia, ob nervorum principium immediatè obstructum, planè cessant.

Porrò item in hoc malo cognoscuntur, & ab ægro ratione adhuc valente accidunt, & discernuntur, anxietas, gravativus pectoris dolor, tussis, stertor cum spumante ore &c. quæ omnia Apoplecticus, ob rationem abolitam haud cognoscit.

A syncope verò cardiaca si non subitò moriuntur, tamen mortuis tales syncopizantes similiores videntur quam vivis, quia nulla respiratio, nullus pulsus hic observantur amplius: Et sic ab hac syncope, & apoplexia & catarrhus suffocativus differunt, loci saltem ratione, & visceris in quo accidunt primaria actione primò abolita.

In apoplexia enim ratio; in suffocativo catarrho respiratio; in syncope verò omnes vi-

tales actiones primò pereunt, & abolentur, prout in hac nempe vel illa parte, vel viscere, stagnatio accidit.

Causa ergo catarrhi suffocativi *proxima*, ut in definitione, est subita pororum sive tubulorum respirationi dicatorum obstructio, in ipsis accidens pulmonibus.

Diversi verò sunt in pulmonibus tubuli & pori; Sic dantur in iis tubi respiratorii, qui introrsum vergunt, & nonnisi aëri viam concedunt: Dantur etiam plures alii, qui extrorsum vergunt, & humoribus viam relinquunt, sic universalis ille liquor sanguis, in venis & arteriis, lympha in suis lymphatis, liquor nerveus in suis nervis extrorsum vehitur, ut adeò nullibi in corpore magis necessaria sit viarum libertas, quam in ipsis pulmonibus.

Propterea etiam cavi sunt & molles, per totam suam substantiam: unde ferè spongiam marinam æmulantur; asperæ verò arteriæ propagines, amissa sua cartilaginositate, in infinitos tubulos & cellulas bronchiales abeunt, & constituunt tubulos, & cellulas respirationi dicatas, subtensâ saltem membrana tenui & inflabili.

Jam *duplici modo aëri via præcluditur, vel ab extra, vel ab intra.*

Ab extra via aëri præcluditur, quando larynx, ut suprà dictum, à lympha stagnante constringi-

ſtringitur, vel in angina mediante ſanguinis affluxu, & intercepto motu, ibi via præcluditur, aut quando laqueo collo injecto, aëri aditus denegatur &c.

Non verò intra tubulos reſpiratorios admittitur aër, quando hi, ab humoribus in ſuis tubulis ſtagnantibus, comprimuntur, vel quãdo tubulis humorum ruptis, hi ab humoribus replentur omninò, & obſtruuntur, ſicuti fit in Peripneumonia, potiſſimum verò in hoc noſtro catarrho ſuffocativo. Hinc ergò emergit hujus affectus.

Cauſa proximior, immediatam fovens, quæ eſt circulans *univerſalis humor ſanguis, in pulmonibus ſubitò in coagulum abiens, & ſtagnans*, & ſic magis quali quam quanto vitium hoc debens.

Non enim tam circulantium humorum quantitas, plethora vulgò, quàm hujus craſſities, viſciditas, & coagulandi poteſtas, affectum hunc procreare ſolent.

Inter particulas has *coagulandi poteſtate* dotatas, ſe ſiſtunt præ aliis *acido-auſteræ*. Si enim animali cuidam, madiante ſyringâ, in apertam venam cruralem infundas *ſpiritus* cujuſdam acidi, v.g. *ſulfuris*, *vitrioli* &c. ℥j vel ℥ij. aquâ diluti, tum brevi mora interjecta omnia catarrhi ſuffocativi phænomena ſe

exerunt, ut experimento à se facto confirmat *Cl. D. Ettmüller in Praxi p.* 233,

A simili ergo acido mediantibus causis aliis remotioribus, ex rebus præprimis nonnaturalibus adducto, affectum hunc ortum trahere, non absque ratione concludunt clarissimi Practici, quomogo verò

Causæ mediatæ remotiores ad hunc affectum disponant, & acidum austerum generent, invenies paulò ante de vulgaribus catarrhis, item de Apoplexia, Dolore capitis &c. ut hic ea repetere supervacaneum ferè sit.

Prognostici ratione, affectus hic semper ferè brevioris est terminationis, & intra paucas horas quandoque vitâ privat, ut adeò non minus periculosus sit, quam ipsa fortis Apoplexia.

Cùm enim respiratio in homine absolutæ sit necessitatis, hinc ea cessante, vitam simul cessare, semper observamus, sive ab extra hic accidat denegatus aëris appulsus, sive ab intra, non admisso eo, ut in nostro hoc affectu.

Spes ergo unica, quæ superesse potest, hic majori vel minori respiratione mensuratur, si enim hæc libera magis est, tum spem superesse credimus, ubi verò illa inhibetur fermè, & ultimus naturæ circulantis conatus, in fauces lympham exprimit; vel ex laryngis vel pulmonum

monum vasis lymphaticis, inque spumam illam aër attenuatus & pressus rarefacit, tum mortem in olla esse experimur.

Curatio ergo hic minimè procrastinanda, quemadmodum nec in alia Apoplexia, sed celerrimè in auxilium vocanda sunt efficacissima resolventia, quæ sanguini liberum suum itum & reditum restituunt, & stagnationem ejus in pulmonibus resolvunt, ut sic sanguinis circulatio ex uno cordis ventriculo in alium, per pulmones liberum suum motum recuperet rursus.

Ne verò, antequam hæc accersantur, interim omnes respirationis tubuli comprimantur, vel laceratis vasis, sanguine repleantur, hinc *subito vena secetur*, ut sic quantitate paulum imminuta, quietius se habeant pressio, & irruptio; nil enim citius stagnationem fientem impedire, & irruptionem revocare, quam sanguinis missionem, præter *B. Cl. Ettmüllerum*, omnes vero clarissimi Practici confirmant.

Etsi enim hac ratione visciditas austera, vel austerum constringens haud corrigatur, tamen moram injicit, quia in locum vacuum ex reliquis vasis, & sic consequenter ex loco ubi stagnatio incipit, revocatur sanguinis portio, sicque irruptio paulum inhibetur, & in locum minus periculosum divertere sic necessi-

 tatur,

ratur, ut sic quietius agat stagnatio, & turbulorum respiratoriorum compressio.

In hunc finem Practici etiam admodum commendare solent *clysteres acriores*, ut sic ubique liberæ sint viæ, quæ quovis modo majori compressioni ansam addere possunt.

Dum verò hæc in auxilium vocantur remedia, etiam subitò præsto sint *potentissima resolventia*, inter quæ à Practicis extollitur *sperma ceti*, in vehiculo calido ad ℈j, propinatum; uti & *gummi ammoniacum*, in aqua spectorali ad ℈ij. solutum, vel & *oculi cancr. in aceto exhibiti*, utpote coagulatum sanguinem insigniter resolventes.

Neque *spiritus* ✻*ci* urinosus, *Tinctura Bezoardica*, *castorei*, *anodyna*, cum aquis spirituosis pectoralibus combinata, hic negligantur, sed v. g. ℞. *Aq. hyssop. spirituos.*

veronic. essentificat. aa. ℥ij.
Spir. ✻*ci cum castor. infusi.*
Essent. succini aa. gutt. xxv.
Tinct. anodyn. gutt. x.
Syr. de hyssopo ℥ij ms. pro dosi.

Vel ut sudor eo potentius cieatur, utpote quem pessimè in hoc morbo omitti, *M. Hoffmannus*, ceu maxima resolvendi potestate dotatum, queritur.

℞. *Aq. veronic. essentif.*
asthmatic. aa. ℥iß.

Tinct.

Tinct. Bezoard. gutt. LX.
Anodin. gutt XV.
Spir. *ci cum castor. infus.* parat. gut. XX.
mſ. pro doſi.

His & ſimilibus paroxyſmo profligato, & induciis conceſſis, tum extra paroxyſmum, pergatur in reſolventium uſu. Et ſi primæ viæ ſaburra rudi acida repletæ ſentiantur, tum vel *vomitorium* vel *purgantium* aliorum convenientium ope ea eliminetur.

Poſt quæ, tum in *Diureticorum, Diaphoreticorum*, vel ſimilium alterantium uſu, perſiſtendum, ad omnimodam mali extirpationem.

Si verò in pulmonum tubulis particulæ relictæ tuſſi ſe prodant, vel reſpiratione difficili, tum expectorantia etiam in uſum veniant, ut ſic tubuli omninò à reliquiis liberentur, ne delitescentes, levi de cauſa ab aëre externo denuo commotæ, malum accelerent rurſus.

Chloroſis.

FEbris virginum alba, Icteritia alba, morbus virgineus, Febris amatoria aliis dicta, *eſt affectus* virginibus & viduis, vel iis quibus à marito non ſatisfit, proprius *à ſeminalis liquoris retenti alteratione, & corruptione, pallido, ſublivido, vel ex viridi-*

tate in pallorum vergente calore , faciem præcipuè defœdante, insequente sensim tristitia, & tandem mensium suppressione.

Distinguendus ergo omnino hic affectus à reliquo cachectico, & fœdo mulierum vel maritatarum, vel virginum colore, qui mensium suppressionem, ex sanguinis vitio alio, junctam habet.

In hoc nostro enim affectu non semper menses sunt suppressi , sed ordinariè satis utplurimum fluunt, colore interim faciem defœdante.

Sic item distinguendus est à furore uterino, quia in hoc sanguis à semine vicario exsuperante non depravatur , sed vigorosus manet , hinc & faciem colore fœdo haud notat.

Subjectum ergo nostri affectus mittens, sunt partes seminis elaborationi dicatæ, glandulæ videlicet prostratæ circa ductum sive orificium urinarium sitæ. Recipiens verò massa sanguinea est, & totus corporis habitus.

Signa affectum hunc designantia, sunt, ut in definitione, coloris facjei floridi in pallidum, virescentem immutatio , cum subrubescente quasi corona , sub oculis; his se jungit febris lenta , vix perceptibilis, pulsus varius est, anxietas, tristitia adsunt, & tandem quandoque mensium suppressio supervenit.

Quan-

Quando ergo mensibus fluentibus, nubili virgini vel viduæ, diætæ lautæ, potu generoso vitæque sedentariæ, dedita, prædicta accidunt symptomata, tum ex retento seminali liquore derivandum esse malum concludas.

Causa vero *immediata* est liquoris seminalis retenti alteratio, vel corruptio: qui corruptus liquor tum fermenti naturam induit, unde regurgitans, & in sanguine stagnans, texturâ suâ, nutrimentum, circulando, nimia tingit albedine, quam tum sub nutrimenti textura implicat, & faciei colorem roseum subjugat, & defœdat.

Causa proximior est in sanguine stagnans seminalis liquor, poros ordinarios replens, qui ætheris peregrini instar febrem lentam fovet; unde sensim incrassatus sanguis, vasa uterina non ampliùs permeat, sed subsistit, mensiumque suppressionem tandem inducit, hinc tum stagnando acrimoniam concipiens, spiritus nerveos simul inquinat, minus subtiles particulas ei advehendo, unde tum varia symptomata hysterica, convulsiones &c. emergunt.

Inter remotas causas, ex *naturalibus* primas tenet temperies calida humida: ex *nonnaturalibus aër* calidus, *Diæta* lauta & calida, potus generosus & similia, ex *animi pathematibus* amor & hunc insequens tristitia.

Pro-

Prognosis nobis hic sistit affectum ab initio curatu non admodum difficilem, sed progressu temporis, sanguine admodum turgente, hoc liquore, & spiritibus nerveis simul inquinatis illo, & pessimis hystericis, convulsivis & similibus symptomatibus stipatum, difficillimæ esse curationis indigitat. Ea propter

Curatio conveniens in tempore sit in promptu. Præsenrtùs vero remedium hic suppeditat coitus validus, hoc mediante in sanguine stagnantes seminalis liquoris particulæ attrahuntur, & evacuatis semel vasis seminalibus, aliæ admittuntur, & reiterato coitn denuo extricantur, sicque color pallidus excutitur: Unde notamus virgines ex hac causa pallentes, fieri postea mulieres pulcherrimas.

Quod vero non omnes coitus juvet, in causa est malum inveteratum, in quo humores circulantes admodum sunt corrupti, & viscerum textura jam immutata, quæ aliis remediis corrigenda erunt.

Citò ergo affectus hujus alexipharmacon, mediante legitimo conjugio, in auxilium deducatur.

Ubi vero auxilium hoc, legitimo modo haud impetrari potest, tum *vitentur omnia calida, & lauta diæta inhibeatur*: è contra semen imminuentia, *moderate videlicet acida, succus citri, nitrum, crystalli* Hni *& similia sint in usu*; Sanguis-

guisque minuatur, antequam vitiosa seminalis liquoris labe inquinatus, in cacochymiam abiit. Vel & *therebintinâ exhibitâ* seminalis liquor minuatur. Si vero eò tandem progressum fecit malum, ut mensium suppressio, symptomata hysterica, convulsiva se adjunxerint, tum consule affectus cujuscunque proprium caput, v. g. de mensium suppressione, affectibus hystericis, convulsionibus &c. ubi omnia reperies huc spectantia.

Cholera, aliis Dysenteria incruenta.

Est convulsivus ventriculi & intestinorum motus, in copia depravatos varios & corruptos humores, sursum & deorsum ejiciens; à singulari æthere peregrino, sanguini adducto, inque hoc particulas varias præcipitando, & per diversos ductus, cholodochum videl. pancreaticum, vel innumeras intestinorum glandulas, minimas, ad intestina & ventriculum amandando, enatus: Febris malignæ adinstar hominem impetuosè, corripiens, cum insigni præcordiorum anxietate, cardialgia, ventris dolore,

dolore, jectitatione, extremarum refrigerati-one ſudore circa frontem, imminentibus animi deliquiis, ſiti maxima, & ſimilibus gravioribus ſymptomatibus.

Subjectum mittens maſſa circulans eſt, recipiens vero, ſed ejiciens rurſus, ſunt inteſtina, ventriculuſque cum dictis glandulis &c. Locus vero in ſpecie, ubi convulſorius hic motus initium capit, eſt ductus cholodochi & pancreatici regio.

Signa in definitione præcipua expreſſa ſunt, quæ vero, *pro efficientis cauſæ*, majori vel minori *acrimonia*, variare etiam ſolent, dum ſymptomata vel magis vel minus atrocia exiſtunt. *Duplicem* tamen *choleram* Practici ſtatuere ſolent, *ſiccam* ſcil. in qua copioſi ſaltem flatus per ſuperiora & inferiora, quemadmodum in hypochodriacis quandoque accidit, eructantur: *& humidam*, de qua nobis hic eſt ſermo.

Cauſa hujus affectus *proxima* eſt convulſivus ventriculi, & inteſtinorum motus, cujus vero

Cauſa proximior ſunt humores ope ætheris peregrini præcipitati, & hujus immixtis particulis non tantum corrupti, ſed & circulatione adjuvante, ad viſcera ſeparatoria, in inferiori ventre ſita, propulſi, & mediantibus his tum ad

ad inteſtina delati, ubi irritatione excitata affectum hunc cum ſuis plurimis phænominis conſtituunt.

Cum ſanguine vero adhuc circulantes, nec ab hoc ſeparatæ præcipitatæ particulæ, hinc inde ſtagnando extremarum refrigerationes, ſudorem circa frontem, imminentia animi deliquia & ſimilia ſymptomata excitare ſolent, & ſic ſenſim circulationi planè ſiſtendæ, & maſſæ circulanti coagulandæ inſidiantur.

Diverſus humorum rejectorum color, mox citrinus, viridis, praſſinus, cineritius, niger &c. à variis concurrentibus, & inter ſe p. n. comixtis oritur ſuccis vel humoribus: Præter particulas enim ab æthere peregrino inductas, & reliquis à ſanguine vel circulantibus humoribus ſeparatas, accedũt, & his ad viſcera ſeparatoria propulſis, commiſcentur in hepate bilis, in pancreate lympha ſubacidiuſcula, in glandulis inteſtinalibus lympha alia, &c. & ex tam vatia miſcella, adeo varius emergit color & textura, ſua acredine noxia, non raro totum genus nervoſum in conſenſum trahens, & convulſionibus totum corpus excrucians.

Cauſæ remotæ variæ ſunt; ex naturalibus namque *rebus* vulgò temperamentũ bilioſum huic malo multum ponderis addit; cum enim bilis in ſtatu naturali ferè ſit irritans illud, & cauſa motus periſtaltici in inteſtinis, quo chylus corrigitur

rigitur & movetur per intestina, & fœces excernuntur; quid ni copia peccans, & acrimonia præternaturali stipata, & adjuta, in æruginosam videlicet versa, effectum tanto vehementiùs non per inferiora solùm, sed & per superiora præstabit.

Ex nonnaturalibus rebus hic aëris magna vis est, & ingens pondus, quippe certo tempore, Augusto præprimis, nullis etiam in Diæta commissis erroribus, affectus hic propullulare solet, & se latè admodum diffundere, quemadmodum hujus indolem bene pertractat *Cl. Syndenham. p.* 153.

Et hic est *peregrinus ille æther*, quem supra inter causas proximiores posui, *qui particulis suis acrioribus tantas in circulantibus humoribus edit strages*, ut præcipitatæ ac ab invicem avulsæ particulæ, & extra corpus, suprà scripto modo, propulsæ, quævis assumpta longè superent.

Et hæc est causa, quod certis annis etiam alimenta, præprimis, horarii fructus, epidemicos similes affectus procreent, dum isti à simili peregrino æthere nutriti, tum ita crudè comesti, chylum acrioribus suis particulis imprægnant, quæ partim ad massam S. delatæ, partim in intestinis ipsis irritationem instituunt, & & sic choleram, diarrhæam, vel dysenteriam excitant.

Sic & primæ viæ quandoque, aut viscera alia

ut-

utpote pancreas, intestinales glandulæ, folliculus fellis, singulari acrimonia infectos jam succos continent, qui assumpta, aliàs promptè corruptibilia, levi negotio invertunt, & ex tali tum depravata miscella, choleram inducunt.

Inter hæc præ aliis famosa sunt mala persica, melones, cucumeres, fungi, mustum, ova piscium barbi, & lucii &c. præprimis si uni vel alteri comesto superbibitur frigida aqua, cerevisia novella, mustum &c.

Post alimenta acriora, purgantia peregrinum ætherem non primis viis solùm, sed & circulantibus humoribus inducere valent, ita ut ex eis non infrequens sit cholera.

Nec venena hic excluduntur. Horum omnium testimonia si expetis consule *Riverium*, *Zacutum*, & ex recentioribus *Cl. Ettmüllerum & alios*.

Prognosis hic nobis sistit affectum periculosissimum, ac acutissimum, & quo major est perturbatio ventris, ac quo magis ventriculus afficitur, eo periculosius hoc malum pronunciat, *Cl. Ettmüller in praxi*. Periculosior etiam est, si à bile æruginosa, utpote interaneis quibusvis hostili oritur; nec periculo caret, ubi loturæ carnis simile quid rejicitur; longè vero periculosior est, quando livida aut nigra excernuntur.

Mortem etiam minatur, si pulsus remittit, vel debilis est, cordis item palpitatio, animi deliquia

 liquia

liquia, singultus, convulsionesque accedunt. Interim tamen hic notandum, *quod quemadmodum aliorum morborum acutorum, sic nec hujus mali prædictiones semper certas esse.* Sic quandoque evadunt, quibus pessima symptomata interitum minitabantur. Quandoque è contra lethali recidiva trucidantur, qui convalescere, & quibus in declinatione malum videbatur.

Quandoque incipienti febri superveniens, per modum criseos salutarem potest præstare effectum, sic & feliciori inversione, quandoque transit in stranguriam.

Solet aliàs malum hoc de tertio in tertium diem moveri, & vel plus vel minùs exasperari, & sic febris tertianæ periodum ferè observare.

Cura in hoc affectu instituatur pro causarum modulo, ubi statim ab initio, primis invasionis horis vocatus fueris, tum *cave ne vomitum & alvi fluxum reprimentibus vel adstringentibus tartaris, & sic particulas præcipitatas, visceribus & glandulis partim adhuc inhærentes, in eis stagnare facias, & alia gravoira symptomata inducas.*

Neque tamen etiam vel lenissimum catarticum exhibeas: Sed *Cl. Sydenhami* methodum sequere, *pullum* scil. *in tribus circiter aquæ fontaneæ congiis elixato, adeo ut loquor vix carnis saporem referat*, hujus decocti cyathos

cyathos aliquot capaciores ægro tepidè propina; eodemque tempore *bona ejus quantitas, pluribus enematis successivè injiciendis inserviat,* donec tam per superiora, quam inferiora omne jusculum absumptum, ac denuò rejectum fuerit: Hacque methodo & insigni liquoris quantitate ventriculo sæpius onerato, & subverso, si opus mediante digito immisso faucibus, & enematum reiterata injectione, humores acres in primis viis jam præsentes eliminentur. Hæc via multò tutius, ac expeditius occurrit affectui periculosissimo, quam quæ vel per evacuantia, vel per adstringentia vulgò instituitur, inquit.

Exantlato vero hoc eluvionis penso, quod tres vel quatuor horas sibi vendicat, *ad paregorica vel anodyna* fiat accessus, hicque morbi impetus, & *admixis bezoardicis absorbentibus* acris malignitas frangatur, & *æruginosa bilis corrigatur.*

Inter hæc excellunt omnia ea *absorbentia* quæ in febribus aliis malignis adhiberi solita sunt, *cum opiatis semper remixta*, majori tamen vel minori dosi, prout minor vel major adest virium exsolutio.

Si vero, quod diligenter notandum, Medicus non advocatus fuerit, nisi postquam æger vomitu ac dejectionibus, ad horas multas, 10. 12. videlicet fuerit exhaustus, & jam extrema

frigescant, tum omissis omnibus aliis *subitò ad Laudanum* confugiendum, quod non tantum urgentibus symptomatibus, sed etiam cessantibus vomitu, & diarrhæa, mane & sero repetendum, donec sanitatem receperit æger.

Exempli gratia: Vocatus ad quendam truculentissima cholera tantùm non enectum, & enormi vomitione Spasmorum violentia animum agentem, cum sudore frigido, & pulsu vix micante 30. *gutt. Laudani liquidi in cochl.* 1 *aqu. cinam. fortis exhiberi curavi*: dein lecto assidens, quasi ad semihoram, toties illud repetere, & dosin in tantum augere cogebar (interposito tamen spatio, ut antequam novas adferrem suppetias, quid à prius ingesto sperandum foret, ediscerem:) donec pervicacissima illa symptomata mitigarentur: quæ verò cum minimo corporis motu denuo exsuscitarentur, seriò imperavi, ut omnibus modis quieti indulgeret ad paucos dies, & medicamentum jam dictum, sed minori dosi subinde assumeret, etiam postquam convaluerit: id quod ex animo cessit.

Quod vero tantam Laudani dosin exhibuerim, ratio est, quod ubi opiata indicantur, in iis etiam dosis & repetendi vices cum symptomatum magnitudine omnino conferendæ sint, &c. *Sydenham. in Epist. ad R. Brad.*

Hæc vero cura non epidemicæ solum choleræ,

leræ, (quam *Cl. Sydenham. in suis operibus p.* 153. *describit*:) sed & aliis hujus speciebus adhibeatur; nam etsi non immediatè semper ætherem peregrinum, mediante aëre advectum pro causa habeant, tamen indirectè mediantibus vel *alimentis peregrino æthere nutritis*, vel aliis simili æthere jam imprægnatis ortum debent, ut adeo cura in omni cholera exquisita (levior enim diarrhæa ferè convenit & vomitus.) eadem esse debeat.

Cùm ergò nil agendum, nisi post eluvionis supra laudatum negotium, principaliter acres particulas præcipitatas superstites corrigere, & eis massam S. liberare, sicque Archeo circulanti pacatam quietem reducere: hinc *alexipharmaca, diaphoretica dissolventia* summo cum effectu, etiam ex intimis latibulis acres malignas particulas expellent; *anodynis maritata*, sicque circulationem liberam restituent.

℞. *ergo* ▽. *menth.*
Fumar. aa. ℥ij. gutt. LX.
Tinct. Bezoard.
Anodyn. gutt. xv. mf. pro dosi

Vel ℞. ▽. *typhor. C. C.*
fl. tyliæ aa. ℥ij.
Tinct. Bezoard. gutt. L.
Anod. gutt. x.
Cryst all. præparat. ℈ʲ.
Corall. r. præparat. ℈ß.
Syr. corall. ℥ij. mf. pro dosi.

Si paulò calidiora videntur è re esse, addatur *aq. mastichina* Mynschti, *Cinamomi cydoniat.* &c. Sic v. g.

℞. ▽. *menth. Spirituos.* ℥ij.
Cinam. cydoniat.
Mastichin. aa. ℥ß.
Elect. diascord. ʒß.
Theriac. cœlest. gr. ij.
Syr. papav. errat. ʒij. mf. pro dosi.

Vel si hæc æruginosæ bili corrigendæ, calida nimis & volatilia videantur, saltem

℞. *Crystall. præparat.* ʒß.
Terr. sigillat.
C. C. usti.
Corall. r. præparat. aa ℈ß.
Extr. opii, cum ▽ *facti* gr. ij.

M. f. f. pulvis pro dosi in quovis vehiculo sumendus, vel cum ▽. *papav. rhead.*

Nec externa ventriculo applicanda negligantur. Sic v. g.

℞. *Theriac.* ℥j.
Extr. tormentill. ʒij.
Terr. Sigillat. ℥ß.
Spir. vini camphorat. q. s.

Fiat cataplasma alutæ inducendum, & ventriculo calidè imponendum.

Vel ℞. *G. tacamahac.*
Mastich. aa. ℥j.
Solve in therebint. clar. ℥ß. adde

Olei nucist.

Absynth. ddt. aa. ℈ß.

Balſ. Peruvian. ʒj. mſ. fiat Empl.

Aliàs admodum commendat *Cl. Ettmüller Spir. vini camphoratum* (cujus ℥iiij. *theriac.* ℥ß. immixta ſit) mediantibus linteis multiplicatis, quàm calidè ferre poteſt æger, regioni epigaſtricæ admotum. Uti & *panem toſtum pulveribus aromaticis conſperſum*, & vino generoſo, vel quod melius *Spir. vin. camphorato tinctum*, ventriculo applicatum, & ſimilia de vomitu commendata, quæ huc trahi poſſunt.

Si ex hypercatharſi originem habeat cholera, tum propinetur *theriacæ* ʒß. *in hauſtu vini abſynthit.* calide. Vel *ſola Tinctura anodyna*, *cum aq. maſtichina* exhibeatur, tanquam præſens remedium.

Ratione *Diæta* hic paucus, & concoctu facilis detur cibus, & juſcula ſint pauliſper acidulata: à potu vero, quantum poſſibile, æger abſtineat, ſed hujus loco os ſaltem colluat acidulato quodam liquore. Vel ſi æger ſitim ferre amplius haud poteſt ℞. Vitrum, *reple fumo exacc enſo maſtiche; & tum aquam ſuper affunde*, miſce circumagitando, & de hac aqua maſtichina bibat æger. Vel detur *Lac amygd. d.* Interim tamen *quo minus bibit æger, eò melius erit.* Quies & ſomnus, quantum poſſibile procurentur, ſupra laudatis paregoricis

Choleram ex vino ingrato, liberalius hausto, nullis nec julepis, nec amygd. d. emulsionibus, neque jusculis pro levanda siti, cedentem, tandem sustulit *acidularum usus* ad perfectam valetudinem usque continuatus, *ut in Miscell. curios. ann.* 4. *&* 5. *Grassius* retulit.

Sic item *Borellus cent.* 2. *obs.* 27. refert, se mulierem curasse ab hoc malo, solo aquæ communis potu, & admotione cerati santalini, regioni stomachi.

Hæc in choleris non malignis admodum, notari possunt: In supra verò dicta cholera exquisita, *quando* vel per se, vel *jusculo adhibito evacuationes satis copiosè videntur processisse, tum omnis proscribatur potio*, etsi sitis inextinguibilis torqueat, aut saltem parcissima concedatur, ne vomitus & fluor alvi recrudescant, sed compescendis eis omnino insistatur, anodynis supra laudatis in usum vocatis, methodusque præscripta exacte prosequatur.

Si à veneno cholera ortum ducat, tum *lac chalybeatum* propinetur, *cum ceræ flav.* ℥i. *pulv. nuc. mosch. terræ sigillat. additis.* Vel *oleum amygd. d. detur*, externis simul confortantibus applicatis.

Colica.

EST tristis & dolorifica mentis sensatio, exorta à spasmodica fibrillarum, & glandularum intestini coli rosione, corrugatione, & constipatione: & vel ab humoribus acrioribus in primis viis genitis, inque colo subsistentibus, & aliquali quantitate dolorem aggravantibus: vel à spirituum animalium aut lymphæ stagnantis, depravatis qualibus, absque singulari quantitate, cum vomitu quandoque, alvi constipatione, algore, vel ardore, convulsionibus, & similibus excrucians.

Subjectum hujus mali, sive partem affectam, si generaliter paulisper sumere liceret, plurimæ abdominis partes constituere videntur; cum omnis intestinorum dolor, vulgò ferè Colicus audire soleat: sed specialiùs paulò, pro distinctis afficiendi modis restrictum, malum, *in humorosa* Colica, partem affectam in specie suppeditare cogitur *ipsum intestinum colon: In convulsiva verò*, non excluso hoc, *mesenterii nervei plexus* potissimum.

Nulla quidem intestinorum tormina absque spasmis oriuntur, ut adeò superflua ferè videatur,

 tur,

tur hujus doloris distinctiio in humorosam & convulsivam, cùm omnis simul convulsiva sit.

Quoniam tamen spasmi hic nonnunquam ortum sumunt ab humoribus, etsi non qualibus ab aliis, tamen aliquali quantitate, & loci ratione diversis; hinc in specie intestini coli dolorem, ab humoribus acrioribus in primis viis genitis, & intestino colo inhærentibus excitatum, Colicam vocamus humorosam.

Quando vero materia hæc non tam quantitate, aut qualibus vitiosa, quàm loci ratione à quo, & in quo, (ex coagulata videlicet lympha in intestinorum glandulis, vel ex spiritibus animalibus acrimonia singulari prædictis, in mesenterii nerveis plexibus stagnantibus, rodentibus & vellicantibus,) diversa est à priori specie, tum convulsivam eam dicimus colicam præprimis gravioribus symptomatibus stipatam.

Signa vero cujuscunque doloris copici cognitionem paulo specialius manifestant. Sic *humorosam colicam comitari solent dolores in colo*, sub hypochondrio utplurimum dextro, veluti propria intestini coli sede, utpote quod à recto incipit inguine, & sursum supra dextrum renem exsurgit, versus dictum hypochondrium dextrum, & hepar, à quo versus hypochondrium sinistrum tum deflectit; ubi tamen mox angustatur & ad sinistrum renem pergit, indeque ad inguen sinistrum, à quo tandem ad

ad os ſacrum in inteſtinum rectum terminatur : ut adeo hic dolor non tam anguſtis cancellis includi poſſit, cedit enim etiam verſus hypochondrium ſiniſtrum, & ulterius, & ſitus ratione, abdominis ſaltem ambitum ſibi vindicat hic dolor, utplurimum tamen magis dextram partem occupans, quia in hac inteſtini coli parte latioribus cellulis prædita, aptum magis diverſorium invenit acris humor; quem *ſi conſtituunt viſcida & acida pituita*, tum *terebrando dolor excruciat*.

Si vero hujus non tam acrimonia, quàm *viſciditas peccat, quantitate quadam adjuta*, tum *gravando magis moleſtat*.

Sed *ſi* in *flatus* hæc eadem reſolvitur pituita viſcida, per fermentationem vitioſam ab acido excitatam, tum *diſtendendo, & dilacerando ſe prodit dolor*, magis ſimul vagus.

Si vero occurrunt ſymptomata alia graviora præter hæc, v. g. ſi *dolor magis eſt acutus*, & contumax, *lacerans, lancinans, contorquens*, abdomon mox *contrahens*, *mox in duritiem tendens*, modo vagus modo fixus, tum *convulſivam adeſſe colicam* concludito.

Et ſi in mulieribus præter immanem abdominis dolorem contorquentem, ſimul jungitur faucium conſtrictio, & quaſi ſuffocatio; vel & humorum, coloris flavi viridiſque, vomitu rejectoi, tum *Colicam hyſtericam* vocamus affectum, qualem *Cl. Sydenham tradit p.* 195.

Ubi vero dolor contumax mox abdominis, mox artuum convulsiones excitat, vagus & oberrans, & cessantibus artuum convulsionibus, abdomen rursus excruciat, cum umbilici quandoque introrsum retractione, & podicis adeo pertinaci clausura, ut vix clysma admittat, tum *Scorbutica* hæc audit *Colica*, quæ, cum Hysterica non raro fit habitualis, & tum hominem excruciant, utut nulla depravata contenta in intestinis nidulentur: & sic *tandem in epilepticos motus, vel paræsin, transit habitualis hæc Colica.*

Plura vero adjuncta *colicis* his omnibus *doloribus communia esse solent*, inter quæ tamen hoc vel illud adjunctum, huic vel illi speciei magis familiare esse, vel fortius aut debilius simul molestare solet.

Sunt vero *ardor, algor, vomitus, alvus modo adstricta, modo fluida* & similia.

Ardor sive æstus, universaliter quandoque affligit totum corpus, & magis minus febrilis est, ob impeditam circulationem in universum: vel particulariter saltem sub hypochondrio dextro, in profundo prope regionem lumbarem molestat, ob factam ibi acrium stagnationem, inflammationis sensum imprimentem, & circulantem sanguinem hic magis quam alibi reprimentem.

Algor vero mox in regione lumbari, mox in aliis intestinorum locis, effectus est acidi magis

gis

gis minus viſcidi, & acris, inteſtinorum fibrillis ſpaſmum inducentis, & tremulo tali motu frigoris ſenſum repræſentantis.

Vomitus, alvus modo adſtricta, modo fluida, ſunt iidem fructus ab acido convellente, ſtimulante, vel conſtringente enati.

Humoroſa tamen colica magis remiſſiori gradu hoc vel aliud junctum habet.

Sic ſi in hac adſtricta alvus aperitur, tum levamen inde ſentit æger; ubi è contra in convulſiva, etſi reſeretur alvus obſtructa, nullum tamen inde levamen percipit.

Cauſa enim hic magis extra inteſtina hæret, quam in humoroſa, ubi ejici poteſt id, quod in inteſtinis ipſis, moleſtias creat.

Cauſa ergo primaria omnis doloris colici, eſt ſpaſmodica fibrillarum inteſtini coli in ſpecie, roſio, & pororum, glandularumque ejus conſtipatio.

Cauſa vero mediatæ proximiores, primariam generantes, plurimæ ſunt, pro Colicæ diverſitate differentes.

Sic *Colica humoroſa*, *pro* proximiori & ferè *familiari cauſa agnoſcit inteſtini coli vitioſa & depravata contenta*, *viſcida & flatulenta*, ab aſſumtis variis alimentis, ſuccum viſcidum non tantum ſuppeditantibus, generata, ſed & à liquore pancreatico nimium acido vel auſtero ſimul magis vitioſa reddita, vel & lympha acri

ex intestinorum glandulis huc emulcta, & stagnando, ac extravasata quasi, viscida facta.

Nil enim aliud est *intestinalis pituita*, quam *lymphæ*, aliàs excrementorum fluiditati conservandæ gratia mulctæ, sed *viscidæ factæ cadaver*, ex majori, minori, *austero acido accedente*, vel in ipsis excrementis contento, vel à succo pancreatico nimis acido, adducto, *enatum*.

Prout verò Pituita vel sola, vel in flatus resoluta, vel excrementis induratis & incarceratis combinata, dolorem fovet, ita dicitur etiam Colica vel pituitosa, vel flatulenta, vel stercoraria.

Biliosam Colicam quod attinet, de qua *Sydenham p.* 187. & alii; scito eos convulsivam intelligere colicam, â bile porracea, æruginosa excitatam.

Bilis enim legitimè constituta, suo oleoso sale volatili, aciditatem potius viscidam temperat & abstergit, quam ut corrodat & constringat.

Si tamen hujus bilis causâ accidit; defectus ejus erit potissima illa causa; deficiente namque naturali bile, acidum dominium capit, & ex ea miscella tum æruginosa exsurgit bilis, cuspidibus suis magis minus corrosivis, scindentibus, rodentibus, convulsivos dolores excitans.

Et hæc ipsa bilis acida, non in primis solum viis,

viis, sed & in massa circulante, ex vitioso adducto chylo, originem sumit: in qua tum variis de causis separata, & lympha absorpta, ad intestina vertitur, pars vero succo nerveo remixta, ad mesenterii nerveos plexus migrat, ubi tum stagnando spicula sua exserit, & intestinorum fibrillis impacta, tormina excitat convulsiva, & pertinacia.

Causis hisce prægressis, materiam substernunt plures aliæ

Causæ remotiores; ex quibus inter *naturales res* agmen ducit *Temperamentum*, ex particulis utplurimum viscidis acidis, dominium præ reliquis obtinentibus, conflatum, vulgò melancholicum, ex qua causa etiam Hypochondriacos potius, quam alios doloribus colicis obnoxios reperimus.

Non tamen excluditur id, *in quo leviter fermentescibiles sulfureæ particulæ*, levi de causa acrimoniæ concipiendæ habiles, *alias exsuperant*, *biliosum* vulgò *temperamentum*.

Biliosæ etenim istæ particulæ à sua volatilitate oleosa, non adeo difficulter degenerant, dum acidum rude eis occurrit, easque subigit, ac in alias lædentes scheses ejus constitutiva contexit.

Ancillantur vero his aliæ porro *ex nonnaturalibus* rebus causæ, & ex eis quidem primas tenet *Aër*; hic enim æstate corrosivis suis contentis, temperamento bilioso, non raro epidemicam

miçam contrahit Colicam, quando in locum earum particularum ſubtilium, mediante tranſpiratione exhalantium, ſe recipiunt dictæ corroſivæ, circulantium humorum texturis è diametro contrariæ, & eorum ordinariæ texturæ & ordini turbationes vix ſuperabiles inducunt, varioſque ſpaſmos generant. Affectum hunc in ſpecie pertractat *Cl. Sydenham*, ſub titulo *Colica Bilioſa p.* 188.

Nec ſolùm *æſtate* ſingularibus *corroſivis contentis imprægnatus aer* colicos dolores excitare valet; ſed & *hyemali tempore*, *rigidis*, *acidis particulis turgidus*, tales inducit, præprimis ſi corpus externè haud ſatis calidè contegitur, hincque abdominis nimia ſupervenit refrigeratio.

Nec ſolum hoc, ſed & pedes frigore expoſitos dolorem hunc excitare poſſe, *Foreſtus* de proprio Fratre experimentum adducit, quippe qui dolore hoc correptus fuit, quotieſcunque ei pedes ſaltem frigerent.

Neque ſilentio præterire licet, *corroſivas Mercurii particulas*, *quæ aeri*, *immixtæ*, *metallariis multum faceſſunt negotii*, Colicam, Arthritidem &c. eis advehendo.

Præter aërem, non minimum ponderis malo huic addere ſolent, in victu commiſſi errores; experiuntur hoc haud raró illi, qui cibis flatulentis, piſcibus, leguminibus malè coctis, vel *facile ſub digeſtione debili aceſcentibus*,

fructibus

fructibus horariis, & similibus, vel in potu, musto, vino acido, cerevisia novella, saccharata usi, hos cruciatus sibi contraxerunt.

De stipticis, caseo videlicet duro, per longum tempus comesto, doloris colici authore, *Platerus*, de Ostreis, *Forestus* testis erit.

Adnumeranda hisce veniunt purgantia quæ *humores acres* in intestinis stimulando, & camarinam commotam ad intestinum colon derivando, vel *ex singulari suæ acredinis miscella*, ingentes quandoque dolores excitare solent.

De venenis certum est, hæc funestos sæpius induxisse dolores colicos.

Quid alvi excrementa indurata, ac incarcerata hic præstent, satis notum est.

Ex animi pathematibus, iram mali hujus fuisse aliquando causam, *Platerus*, *Tulpius* & alii testantur; quantam enim acrimoniam hæc bili affricet, testari saltem poterunt iratorum morsus, nec propterea vipera non nisi irata lædit.

Ex præternaturalium rerum censu plurimi dantur affectus, qui colicam vel excitant, vel dolores, colico dolori ferè similes, habere solent comites. Inter hos Nephritis est, & Iliaca passio; dolores colico dolori in multis similes junctos habentes, quomodo vero à colico dolore isti dolores differant, cujusque affectus proprium caput docebit.

Inter eos verò affectus, qui colicam nonnunquam excitant, sunt præcipuè Febres intermittentes, quæ fermento febrili situm mutante, & mediantibus circulantibus humoribus, ad intestina delato, & inibi stagnante, in fine morbi, non rarò cruciatus solent adducere sat graves convulsivos colicos.

Sic & Hernia inveterata non rarò addit ansam, quando intestinis in scrotum delapsis, fœces inibi [illegible]emorantur.

Nec calculos vel lapides excludimus, esse enim hos cruciatus colici quandoque authores, præter testes plurimos alios, (inter quos *D. Faber* apud *Horst. in obs. recenset historiam de quodam, qui 233. calculos diversæ magnitudinis per alvum rejecit,*) hoc testatur Bernensis Helvetiorum mulier, quæ adhuc in vivis jam variæ magnitudinis calculos, ad libras 12. rejecit.

De lumbricis, *Hildanus cent. 1. obs. 57.* refert, quod à puella, gravissimis doloribus vexata, post clysteris usum excretus fuerit globulus vermium, pugni magnitudinem æquans, ultra septuaginta lumbricos adeo intricatos & conglomeratos complectens, ut separari vix potuerint.

Alii alia adducunt exempla, de lumbricis, non infrequenti doloris colici causa.

Inflammationem denique, *excoriationem*, *exulcerationem intestinorum*, gravissimam dolo-

doloris colici causam suppeditare, non opus est plurimis illustrare exemplis, cum dysenteria hoc satis demonstret, gravissimis doloribus excrucians.

Prognosin quod concernit, hæc nobis hic sistit affectum doloris ratione quidem sat gravem, imo quandoque gravissimum, non semper attamen lethalem.

Sic *humorosa*, ac *flatulenta*, *stercoraria*, *Colica*, quæ ab intestinorum contentis vitiosis originem ducit, non tam existit periculosa, ac illa convulsiva, etsi curatu æque aliquando sat difficilis deprehendatur.

Periculosior ergò est *Colica convulsiva*, quæ non raro fit habitualis, & tum si in epilepsiam, paræsin, vel & Iliacam passionē degenerat, ferè lethalis est.

Nec ea periculo caret colica, quæ inflammationem, excoriationem &c. adjuncta habet.

Contumax etiam ea esse solet & diuturna, quæ pituitam ex acido copioso pronatam causam agnoscit, ægrè enim dissolvitur quin remaneant particulæ, fermenti naturam assumentes, & ingesta plurima in suam texturam cogentes, & sic Colicam habitualem ferè reddentes.

Interitus periculum imminet, si singultus, sudores frigidi, extremorum refrigeratio, delirium, virium dejectio, & alia hujus farinæ symptomata funesta se admiscent: præprimis

ſi dolore hoc ſenes, gravidæ , puerperæ , aut morbis aliis fracti, corripiuntur.

Si vitium aliquod in conformatione, vel latitans alia cauſa dolorem fovet , tum periculum vix declinant tales colici, & mortem rarò aufugiunt: ſic *Hollerius* refert , quendam collectâ in colo cartilagine durâ , hincque inductis cruciatibus, peremptum fuiſſe.

Ad *Curam* devoluti, reperimus ex præmiſſis dupliciter eam eſſe inſtituendam , vel in, vel extra paroxyſmum.

Urgente paroxyſmo, & dolore admodum excruciante, *anodynis anticolicis* is demulceatur, v. g.

℞. *Aq. menth.*
cortic. arant. aa. ℥iij.
cinamomi ℥j
Tinct. caſtor. cum ſpir. ✱*ci*, ⊖e ♀i *ſaturato* ʒj.
anodyn. gutt. 1.
Syr. papav. errat. ℥ß. mſ.

Detur de hac mixtura ſingulis quaſi momentis cochlear unum aut alterum, ſufficiet tamen pro 2. diebus, integra mixtura.

Si aquæ, pro conditione ſubjecti, calidæ nimis videantur , adde ▽. *papav. err.* Vel ℞. *Fl. chamomill. vulg.* m. j. decoque *cum aqua menthæ*, & calidè propina hauſtum, reiteratis vicibus , & in colica convulſiva mirabile habebis

reme-

remedium, de quo *Cl. Ettmüller* in praxi *gloriatur*, *quod aliis irritis nunquam deseruerit*, cujuscunque etiam conditionis fuerit colica, vel ventris dolor, sive fuerit colica nephritica, *sive dolores post pastum*, aut *gravidarum* &c.

Sic & ℞. *Theriac.* ℈j.

Cort. arant. pulveris. ʒß.
Castor. pulveris. ℈ß.
Ol. cort. arant. gutt. ij

misce, & cum *decocto chamomillæ* ita calidè propina.

Hæc & similia in omni dolore colico, *quippe omnis à spasmodica intestinorum vellicatione, & corrosione dependet*, admodum conveniunt.

Si generosa deficiunt, tum *Cl. Ettmüller* nobile hoc vocat remedium, v. g.

℞. *Stercor. equini recent.* ab equo avena pasto m. j.

misce cum ▽. *menthæ*, vel *decocto chamomill.* supra dicto, & expressum succum ita calidè propina, impetrando quantum possibile quietem, & expectando sudorem.

Si in humorosa Colica Flatus morbosum sunt productum, & doloris causa, distendendo tormina excitantes.

Tum ℞. *Aq. menth.*
cortic. arant. aa. ʒiß.
Spir. ⊖ *i dulcis.* gutt. xv.
Syr. cortic. arant. ʒij. mſ. pro dosi.

Vel ℞. *Spir. vini juniperin.* ℔. j infunde cum *menth. crisp.* m. ij. infusione per tempus factâ, exprime spiritum & adde

Spir. ⊖*i dulcis.* ʒij. mſ. & de hoc spiritu diligenter propina cholear unum aut alterum. Specificum extremum, quo usus sum feliciter, *Hartmannus in praxi* inquit, est mixtura ex *spir. vini* ʒj. *spir.* ⊖*i* ℈ß. ad ʒß. *cum* ▽. *font.* ℥iij. qua sumtâ benè tectus sudet æger, quiescere enim opus, quamvis difficile. Hanc vero mixturam valere inquit, quando flatus sunt intra membranas conclusi.

Item *aquam vitæ juniperinam* solùm, in Colica convulsiva, ex abdominis refrigeratione, cum copioso vomitu, & aliquot secessibus junctâ, optimum fuisse remedium bono haustu propinatum, *Cl. Ettmüller* ipse observavit. Instar omnium esse potest *Ess. Carmin. Wedel.*

His & similibus non dolores solùm mitigantur, sed & causa efficiens, acidum videlicet, corrugationes, spasmos, & pororum obstructiones fovens, corrigitur, præprimis in convulsiva Colica, ubi Purgantia nil efficiunt.

Non tantum clysteres hic omittantur, quippe hi particulis suis lenientibus, extensas intestinorum fibrillas, non solum molliores & flexibiliores reddunt rursus, sicque à spasmis aliqualiter liberant, sed & fœces in intestinis incarce-

carceratas, & induratas solvunt, & educunt, quando illæ in intestinis hærent; præprimis si in hoc casu *clysma* paulò fortius fuit, & magis stimulans, quale est illud *ex infuso croci metall.* & *decocto emolliente*; quod de alvo adstricta reperies.

In convulsiva verò leniens sit, cum therebintina remixtum, quale Deodatus commendat ex *urin. human.* ℔. j. *& therebintina* ℥iß. *vitello ovi soluta*, addita, vel simile.

In hysterica Colica addatur *salis vol. urinæ*, *vel C. C.* ℈ß. pro uno clystere, ex specificis herbis confecto.

Quando jam his & similibus dolor mitigatus inducias concedit, tum pergendum ad ea, quæ relictum morbosum fomitem tollere apta videntur.

Ex his in Colica humorosa Purgantia adstant, nunc mitiora, nunc fortiora paulò.

Si spasmus fortis videtur, tum mitiora sint, et si materia potius qualibus, quam quanto peccare hariolemur, tum omittantur, & alterantibus saltem vitiosa qualia corrigantur, illis quæ supra laudata sunt.

Sed *ubi in humorosa* in specie, *vitiosi humores* causam sustinere suspicio adsit, tum nisi *isti evacuentur*, nil efficies: Statim ergo ab initio purgandum, modò dolor non urgeat, & causa ab assumtis enata sit.

Sed si pituita viscida nimis est, *gummi ammoniacum* basin purgantis constituat, v. g. methodo *Ettmülleri.*

℞. ▽. *menth.* ℥j.
Cinam. ℥ß.
Gummi ammoniaci ʒj.
♀i *vitriolat.* ℈ß. m. f. pro dosi.

Si vero *vomitus adsit, cautè* hic *agatur, ne in ileum degeneret colica*, præprimis si dolor in inferioribus partibus intestinorum, vel intestinis tenuibus hærere magis sentiatur.

Sed *si superiores partes intestinorum*, cum ventriculo saburrâ quadam repleta sentiantur, & ad cardialgiam ferè, vel nauseam, aut vomitum accedere affectus colicus notetur, tum *vomitorium* optimè rem expediet, præprimis si bilis vitiosa exsuperare videtur.

In convulsiva, ut nunc sæpius inculcatum, *videntur purgantia, interne data*, sed clysteres sufficiant, causa verò efficiens impugnetur anodynis, antihystericis, demulcentibus, & similibus; qualia supra dedimus, quæ plurima alia excellere, tanquam experta, Cl. *Practici* confitentur.

Externè venter inungatur *oleo galbaneto*, quod *Medic. Præs. secul. accommod. p.* 704. reperies, vel *oleo stomachali viridi*, *ejusdem p.* 619 præscripto, & *oleo dest. succini* commixto, vel & Empl. *& alia* de cardialgia notata *stomachica* applicentur. Superpositis sacculis ex aromaticis herbis constantibus, *in colicis doloribus præ-*

primis,

primis, ex causa magis frigiditatis sensu prædita, ubi nec balneum ex Fl. Chamom. melilor. calamintha, origano, semin. lini, bacc. juniper. &c. omnino omittendum.

Et *pro potu* ordinario detur *vinum absynthites*, vel simile aromaticum. In colica verò ubi non tantum ruditatum. In colo comprehensarum quantitas, quam acidum, vel bilis æruginosa peccat, tum bibatur *pro potu ordinario aqua cum sarsaparill. China*, & pauco *cinamomi decocta*.

Vinum enim aciditate sua vim morbi auget.

Sic in temperamento, & colica biliosa, diuturna ac pertinaci *Willis acidulas* commendat, vel *serum lactis*, moderatè haustum. Hæc etenim à spasmis & corrugationibus contracta, vel flatibus convulsivè extensa intestina laxare, & præterea particulas salinas disproportionatas, alterius indolis, vel incolas salinas irritativas subigere, & foras educere, prædicat.

Colicam Epidemicam quod concernit, quam *Cl. Sydenham.* describit; hæc fit ab æthere peregrino, mediante aëre advecto, à quo singularis accidit particularum in M. circulante præcipitatio, quæ tum mediante circulatione ad intestina delata, dolores atrocissimos creant: & nisi maturius succurratur, in Iliacam passionem hominem conjiciunt.

Cùm vero malum hoc ita annotante dicto *Cl. Sydenham*, utplurimum temperamento ca-

 lido,

lido, ac biliosſo præditos, æstate præsertim corripere soleat, hinc ab initio statim eis *Venam liberius secat*, & post horas 3. vel 4. anodynum exhibet; Postero die lene propinat catharticum, interposito die uno, postea repetendũ ad tertiam etiam vicem, pro humorum scilicet peccantium copia aut inopia.

Sed ubi principium mali in ventriculo hærere deprehendit, ex fructibus horariis, aut alio convenienti cibo contractum, tum vomitum imperat, per copiosè haustum lac cerevisiatum; hoc facto anodynum exhibet: Sequenti verò die Venam secat, & tunc ut antea ulterius procedit.

Ubi verò dolores sunt enormes, & vomendi conatus accessit, tum fortius catharticum imperat; *Leonem enim non subere excipiendum esse præcipit*: Cum enim lene aliquod, sibi per intestinorum canales viam facere haud valeat, ægrum à tali magis lædi ait: Propterea que *pillulas cochias suadet*, cùm melius retineantur pillulæ.

Sed si tanta est vomituritio, ut nec pillulæ retineri queant, tum primò anodynum exhibet, & paucis horis interjectis, *catharticum propinat, postquam anodynum vim suam exseruit*.

Purgatione finita anodynum rursus exhibet, sicque acres humores mitigat, mitigatos verò alternis diebus evacuat.

Si vero per morbum quendam prægressum, eva-

evacuationes aliæ antea institutæ fuerunt, vel clysterum repetito saltem usu, tum sola anodyna in usum vocare jubet.

Et cùm malum hoc præ cæteris, ex sua natura facilè recidivet, hinc omnem revertendi ansam, anodyno bis quotidie, ad dies aliquot exhibito, præscindere præcipit.

Exhibet verò Laudanum suum liquidum ad gutt. XVI. in aqua cardiaca, vel pro doloris magnitudine ad guttas plures.

Sed si omisso narcotico dolor recrudescit, tum *Equitationem commendat*, anodyno simul manè & serò indesinenter propinato: *Hoc namque exercitio organa secretoria* in inferiore ventre sita, maximê vibrari, & succum quemlibet recrementitium ibi impactum excuti, circulationemq; corroborari, inque depurando sanguine rectè rursus officio defungi viscera, asserit.

Diætam præterea imperat refrigerantem, ac in potu cerevisiam tenuem, vel lac cum aqua coctum concedit, non per omnem morbi decursum solùm, sed & posteà per tempus adhuc, ne recidiva accersatur, sicuti pluribus videre erit apud ipsum *Cl. Sydenham. de Colica Biliosa p.* 109.

Con-

Convulsio.

Est violenta, p. n. & utplurimum maximè dolorifica, ac crudelis, vel totius corporis, vel partium quarundam saltem vel externarum vel Internarum, variata agitatio & concussio: enata occasione materiæ cujusdam acido-acris, spiritus nerveos in suo libero motu sufflaminantis, & ad præternaturalem regurgitaiionem disponentis, hacque ratione suum continens impugnantis, animamque ipsam admodum molestantis, voluntariique motus liberum imperium ei disputantis, & adimentis.

Ex definitione hac intimius paulisper trutinata, triplex occurrit *Pars affecta*, *sive subjectum*, tam morbi videlicet, quam symptomatum ratione.

Cùm enim omne symptoma insequatur suum morbum & causam, ac umbra corpus, hinc de parte primariò affecta quæstio est.

Hanc vero ipsum suppeditare fluidum *Nerveum*, ceu Instrumentum Motus liberi activum secundarium, mihi firmissimè persuadeo. Subtilissimum namq; hoc activum hic antecedentium causarum vi, vel naturaliter, ut in animi pathematibus: vel præternaturaliter, occasione

acris &c. in suo circulo irretitum; impetum motivum partibus vel omnibus, vel quibusdam saltem, pro irritantis, & disproportionatæ materiæ copia differente, & in his vel illis nerveis plexibus, vel tubulis stagnante; communicat; animæque voluntarii motus liberum imperium aufert, & pro suo elastico motu partes p. n. exagitat.

Exinde tum *alterum* exoritur morbi hujus *Subjectum*, *Anima* videlicet: hæc enim aliàs libere agendo hic compatitur: id quod confirmat per crebros motus convulsivos contracta mentis imbecillitas, non rarò in fatuitatem desinens. Et cum anima aliàs motus liberi & voluntarii sit author, cur non & mali hujus, præternaturalis involuntarii motus, subjectum esse poterit?

Tertium, Symptomatum plerumque *Subjectum*, totum ministrat *Genus Nervosum*, sive *fibræ* ubique *nerveæ*, & vel plures *congregatæ*, ut *in ipsissimis nervis*, utpote *quæ nil sunt, nisi fibrarum talium, juxta se positarum, & duplici tunica à meningibus cerebri, investitarum, & continuatarum congeries*: Sive pauciores sint juxta se situatæ, ut in membranis, tendinibus, musculis &c.

Illud etenim, quod in statu naturali movetur etiam in præternaturali concitari posse, certum est.

Ubi ubi ergo causa mali constringens, pungens,

gens, rodens &c. hæret, & activum illud nerveum in libero suo motu sufflaminat, ibi anima non solùm afficitur, sed & continentes partes fibrosæ, nerveæ, ejusdem loci præternaturali motu, ad excutiendam mali causam concitantur & instigantur.

Certos namque in corpore motus, sequuntur certæ cogitationes in mente, & vice versa.

Cumque ideo unum in aliud agat, & vicissim ab alio patiatur, hinc *anima*, quæ *cum humoribus circulantibus aliàs constituit ipsum subjectum, & causam efficientem animalium functionum, in sensatione, intellectu,* &c. *communicantem partibus organicis facultatem quandam activam sentiendi & movendi*; ea etiam in voluntariorum motuum esse posse subjectum certum est.

Nervi & fibræ nerveæ filamentorum extensorum rationem habent, unde parte una pulsata, altera quoque movetur, chordæ extensæ adinstar.

Sic cujuscunque nervi parte tacta, subitò per totum nervum communicatur sensus, animæ deferendus, ad dispositionem ejus excutiendam & expectandam.

Cerebrum medium est, quo mediante quælibet externa objecta ad nervorum radices pertingunt.

Quamdiu verò viæ hæ omnes liberæ extant, & circulantes omnes humores libero suo gaudent

dent motu, tam diu *anima* quietè sua peragit munia; quam primum verò in his error occurrit in sensuum organis, præprimis nervis, & eorum contentis, primariis motus organis; tum anima veluti aliàs rector, nunc susque deque factum propriæ sedis motum, tam diu pati cogitur, donec hæc libera rursus fuit reddita: utque adeo *patientis munus subeat*, quia cum horrore has sentit turbas & percipit, liberique motus imperium perdidit.

Opus ergo hic est Spiritibus, sive subtili activo & elastico, utpote quod ex cibo & potu generatum, tum mediante universali circulante humorum motu, ad cerebrum delatum, & à nervis singulari sua textura præditis, segregatum, circulans verò & continuè exhalans, novo semper advecto nutritum, & ab anima, libero illo agente, pro sensuum officiis applicatum, omnia ea præstat, quæ universalis natura circulans pro corporis, & suorũ organorum vigore requirit.

Legitima ergò machinæ corporeæ structura, cum suis succis, humoribus & liquoribus spirituosis legitimis repleta, & continuò conservata, circulũ absolvunt & moventur, anima etiã non adjuvante: *Nisi quando circulantes liquores quovis modo de quantitate sua detrimentum ceperunt,*

runt, tū anima, *mediantibus spiritibus nerveis, in ventriculi glandulis & membranis & stimulantibus vellicantib.* appetitus sensū percipit, *& pro resarciendis succis deperditis, cibum & potum pro sui conservatione saltem postulat, quo acquisito appetitus silet reliquâ lymphâ sive succo nerveo interifermenti vicem sustinente, & cibis concoquendis m, pro hujus vel illius hominis constitutivis ritè collocandis, & situandis, tum occupante.*

Non enim hic accidit nova generatio, sed alia saltem particularum harum vel illarum situatio.

Sic *particulæ quæ ante carnem bovinam, caponum, piscium* &c. *constituebant, hic in talem proportionem* & posituram ab humoribus hic aliter constitutis, *ponuntur*, quæ requiritur ad humani corporis constitutionem.

Quando tunc jam novæ hæ, mediante cibo & potu advenientes particulæ, vel pro nutrmento aut conservatione partium tam solidarum, quàm fluidarum, sunt applicatæ, partim verò rursus extra corpus proscriptæ, & vario modo deperditæ, tum pro perpetuo hoc mobili conservando, subtile illud activum nerveum alimentum rursus exigit.

Et hac actione circulatoria, nutrimentum continuò advehente, non solidæ solùm corporis partes, sed & fluidæ augentur & conservantur;

Quemadmodum enim corporis tam solidæ quàm

quàm fluidæ partes, pro tot differentibus actionibus, pluribus opus habent & organis, ac variis item liquoribus, sic omnibus tanquam *universalis promus-condus circulatio universalis* præest: hæc cuilibet parti, pro suæ texturæ constitutione penetrabiles advehit particulas, ut his particularia sua munia peragere quælib. ritè queat.

Sic nervis quando advehitur mediante circulatione sanguis, variorũ succorũ miscela, tum isti pro texturæ suæ convenientia eas admittunt particulas, quæ penetrabiles sunt & subtiles ex quibus subtilissimæ spirituũ animaliũ nomine veniunt, minus subtilet liquorem sive lymphã vocamus nerveam; Hæc cum reliqua *lympha fere idem est, & ab ea non differt nisi ratione subtilitatis*; quando enim liquor hic, pro sensu & motu, & aliis animalibus actionibus, subtiliores particulas circulatione sua, mediante sanguine propulsa, in & per nervos apposuit, tum rudiores à vasis lymphaticis absorbentur, & pro alio usu necessario, ad glandulas, & in sanguinem rursus migrant.

Pari ratione in hepate, ob singularem suarum constitutivarum solidarum texturam, ab appellente sanguine, segregantur aliæ subtiles particulæ, quas bilis nomine dignamur.

Et sic in aliis organis separatoriis omnibus, *Quodlibet enim suæ singularis texturæ ratione, singulares particulas separat*, & suo usui necessario, vel corpori rursus applicat, vel è corpore amandat, tanquam heterogeneum planè.

Durat vero tam universalis, quàm particularis hæc circulatio & separatio, tam diu, quàm diu organis ritè constitutis, conveniens suppeditatur nutrimentum, & pabulum.

Pabulo vero negato, tàm universales quàm & particulares circulationes intereunt.

Dependent ergo particulares hic ab universalibus; sic sanguinis universali circulo saltem sufflaminato, subito reliquæ, ab hoc dependentes particulares, patiuntur; id quod saltem lipothymia demonstrat, in quâ, quia universalis per cor circulatio sufflaminatur, simul ab hoc dependentes particulares circulantes humores, cum suis actionibus remittunt; quàm subitò enim lipothymia incipit, tam subitò simul contentis nerveis stagnantibus, & non propulsis, sensus & motus corpus destituunt.

Dependet ergo semper motus particularis à magis universali; sic motu hujus vel illius partis solidæ vitiato, recurrendum est ad magis universalem motorem, quem in corpore humano constituunt spiritus nervei, animæ proximum organon, quorum autem motor universalis massa circulans existit: Hujus vero tam conservatorem, quàm motorem primarium, alimenta constituunt.

Dependentiæ ergo hæ hic probe considerentur. Paucis his præmissis pergimus in nostra præsupposita materia, & accessum facimus ad

Si-

Signa, hæc quidem præsentibus convulsionibus se ipsa prodere solent; sed sunt *alia*, *quæ iminentes præsagiunt* convulsivos motus, v.g. *gravitas capitis*, *vertigo*, *oculorum scintillationes*, *coruscationes*, *horror totum corpus pervadens*, *membrorum tremores*, *pavor in somno*, &c.

Præsente vero paroxysmo, (ubi si externæ partes afficiuntur, violentæ membrorum jactationes, vel concussiones adsunt;) sentiuntur *maximi membrorum dolores*, pro majori vel minori tortura differētes, *aures tinniunt*, & derepente sentiuntur susurri, ac si mare cum omnibus suis procellis præsens esset, tum *homo ad terram prosternitur*, & varios patitur artuum torturas; *oculi & os contorquentur*, adjungitur *clamor*, quandoque *stertor*, & *similia plura* vel pauciora, prout vel unum, aut ambo corporis latera, vel hoc, aut plures artus, hoc malo corripiuntur.

Internas convulsiones præsentes, denotant *interaneorum miræ commotiones*, aliquando visibiles, aliquando non: Vel *umbilicus retrahitur versus interiora*, ut fovea in illa regione notabilis formetur: vel *abdomen tympani instar distenditur* &c.

Si vero *partes nervosæ pectoris* magis afficiuntur, tum *tusses immanes*, *suffocationis metus*, & angustia adsunt; afficiuntur vero partes in genere, vel ratione manente illæsa, vel

cessante ea, prout rationis organa, proximiora principiis nervorum, magis simul patiuntur, vel in consensum trahuntur.

Differentiæ convulsionum subjecti ratione variæ dantur, & tam internarum, quàm externarum partium; suntque vel *Universales*, quando uno momento, omnes partes corporis simul convelluntur, ut trunci instar immobiles, & rigidæ sint, ut fit *in Tetano* & *Catalepsi*.

Vel quando corpus, non uno licet momento, tamen successivè in uno paroxysmo, omnes tam internarum, quàm externarum partium cõvulsiones, emprosthotonicas, opisthotonicas, rotatorias, & cursorias, & alias miras artuum, & interaneorum agitationes, cum suffocatione imminente &c. intellectu & constante, & demum cessante, patitur, quale *exemplum mihi admodum notum est*, & quidem affectus convulsivi habitum prædicto modo ferè nacti, ubi nullum membrum in toto corpore, neque externum neque internum, uno in paroxysmo aliquando liberum evadebat, cum intellectus variis & miris actionibus, modò eo constante modo cessante, modò cum phantasmatibus etiam res admodum curiosas peragente, sanioribus aliis ferè impossibiles.

Præter dictas universales, plures aliæ *particulares* dantur *convulsionũm species*, pro subjecta parte saltem differentes: Sic *cor* iis afficitur in *palpitationibus*, *ventriculus* in *singultu*, &

& vomitu, musculi thoracis in *incubo*, pulmones *in asthmate sicco*, (ab Helmonte propterea caducus pulmonum vocato:) *intestinorum in colica*, Iliaca passione, alvi fluxibus: Penis *in priapismo*, *satyriasi*, ac dulci coitus actu, propterea parvæ epilepsiæ nomine haud indigno, veluti à quo ad convulsiones majores, & graviores facilis est progressus.

His particularibus *convulsionibus*, ferè *accenseri queunt*, *omnis generis dolores*, quorum esse vix est absque spasmo, non enim fit dolor absque fibris nerveis, nec nerveæ fibræ affici possunt, quin simul anima in consensum trahatur, & simul compatiatur; quo major verò est dolor, eò propior est convulsionibus, & levi de causa in eas migrat, præcipuè si corripiat partes, nervorum principiis proximiores; vel alias principaliores.

Ex prædictis *convulsionum* speciebus *differentia* illa *fluit*, quam *per essentiam*, *vel consensum* autores posuerunt.

Sic causa in cerebro, & ipsissimis nervorum principiis subsistente, vel primario illa afficiente, per essentiam affligi hominem dixerunt.

In aliis verò inferioribus corporis partibus, & visceribus stabulante, & affligente, & consensu id fieri pronunciârunt.

Ratione temporis itidem differre observamus

mus convulsiones: Sic *differt hæreditaria ab adscititia*, & hæc vel ab ineunte ætate, vel juvenili.

Alia item est *periodica & habitualis*, ut Epilepsia & graves quandoque convulsiones: Alia accidentalis & vaga; ut omnes mitiores convulsionum species.

Ratione gradus alia est gravior, alia mitior: Gravior est Epilepsia, reliquæ convulsionum species per gradus mitiores sunt hâc.

Hæ verò graduales differentiæ, causarum ratione in considerationem venire possunt, *quo gravior enim convulsio, eò fortior causa, & contra*, & ex hac ferè differentia, potissima indicatio, in curatione non solùm, sed & prognostico constituendo, desumi potest.

Sic *Prognosis* non docet, malum hoc pro gravitate causæ, gravissimum esse, & satis periculosum, curationis admodum difficilis, vel planè incurabile, quando v. g. epilepsia, vel convulsio gravior est, & hæreditaria, habitualis, periodica, & per essentiam affligit.

Minus vero malum hoc est periculosum, sed cur facilius, quando est mitius, perque consensum affligit, & vagum existit.

Aliquando etiam curam admittit ea convulsio, quæ est fortior, & per essentiam affligit, sed ante pubertatem; verùm si ante hanc, annum videlicet 25. non cessat, tum ad mortem usque comitari, *testatur Hippocrat. lib. 5. aph. 70.*

70. cui tamen contrariam experientiam *Rhodius* in obs. opponit, sicque Hippocratis aphorismum non absolutæ veritatis accusat.

Si Epilepsia febri supervenit, utplurimum lethale est. *Febris* verò ipsam *insequens*, *non raro ejus est medela*.

Sed Convulsiones si vulnera, casus &c. insequuntur, semper ferè mortem annunciant.

Convulsiones etiam vel *singultum ab Hypercatharsi*, malum esse *Hippocr.* notavit *Sect.* 5. §. 40. Sic & *convulsiones*, *vel singultus*, *ab Ileo*, periculosos pronunciat *Sect.* 7. *aph.* 10. *& graves phrenitides insequentes*, planè lethales esse dicit. *Quartanam* vero *eas solvere testatur*.

Aliquando in alium morbum, paralysin videlicet, stupiditatem, aut melancholiam transeunt, vel in fatuitatem, & dementiam incidere faciunt, aut ad minimum plures animi dotes internis se manifestantes sensibus, multum debilitantur.

Oculorum vehementissimam, & frequentem contorsionem, Strabismus sequi solet.

Dentitioni infantum se adjungentes, raro observantur lethales.

Nec multùm timendæ, si *morbillos*, *variolasq;* eruptionis tempore comitantur. Sed *suppurationis tempore tunc se demum immiscentes*, utplurimum *lethales deprehenduntur*.

Quæ vero per nimiam sanguinis profusionē vel longiori aut breviori morbo, admodū debili-

bilitatas vires insequuntur, v. g. Si labia saltem, vel oculos, nares, distorqueri observamus, tum mortem esse in propinquo non raro experimur.

Causa proxima affectus nostri, ut in definitione expressa, sunt ipsa contenta nervea vitiosa, stagnando ad tales furias concitata & stimulata.

Causa vero proximior animam ad tantas angustias redigens, est omne id, quod proximiora ejus organa, nervos, vel fibris nerveis contextas partes videlicet, cum suis liquoribus (in statu n. pro animæ nutu summè volatilibus:) quovis modo impugnare, præcipuè in motu suo sufflaminare, & acrioribus simul subtilissimis spiculis, nervos stagnando pungere, lacessere, irritare, vel alio modo inquietare, & sic animam in sua propria sede molestare intendit.

Principalissimam verò hic causam agere acido-austerum mihi ferè persuadeo, cum varia adjuncta, & phænomena, ejus veritatem mihi probare videntur; Raró enim affectus convulsivi aliud adoriuntur temperamentum, quàm illud acido copioso conflatum; vel si ab initio paulò aliter constitutum fuit, tamen mox in illud migrat, contentis nerveis à sua volatilitate alcalina, in aliud ens, vel enixum fixius degenerantibus, ab adjunctis vitiosis, mediante sanguine

guine transmissis, *& à nervis fortè vitiosè contextis, receptis*, simul cum constringentibus acidis particulis subtile illud nerveum sensim impugnantibus; & semel fundamento jacto, sic sensim ulterius à sua volatilitate detrudentibus, donec sic crassescente dicto subtili nerveo, mox hic, mox alibi, subtilissimos nervorum canaliculos penetrare non amplius valet sed in eis hærēs, & mora data, spicula sua magis minus aculeata infigit, & rosione vel punctione sua, animæ hunc dolorem communicat.

Contentorum itaque nerveorum ruditas, crassitiesque, à sua ordinaria textura devians, omnium phæomenon author est, & causa, unde animæ functiones redduntur vitiosæ, quæque non tantum stupiditatem sensuum, vel fatuitatem adsciscere, sed in paralysin conjicere hominem valent, acrimonia saltem mitigatâ, vel & expugnata, remanente solum contentorum nerveorum crassitie, volatilitate suâ multum orbata.

In stagnatione tamen, & impedito hic vel ibi subtilissimi fluidi nervei libero motu, effectū quiescere, docent convulsivi motus, per consensum excitati.

Sic in colica, nephritide, asthmate &c. quid aliud ibi causam agit quam viscidum, vel flatulentum constringens, etiam subtilissimos intestinorum, vel aliarum partium membranosarum poros, occludens; & sic nec flatibus liberam viam relinquens, quidni & nervis con-

stringendis, & succi stagnationi eo ipso ansam addens.

Ubi si propria etiam fluidi nervei mala dispositio, vel acrimonia concurrit, convulsiones tanto graviores exoriuntur, quæ aliàs præter dolorem, vix locum immediatè affectum aliter egressæ fuissent; *vel extra paræsin*, quam à stagnante lympha nervea quandoque inducunt, post Colicam convulsivam, *vix alia phænomena induxissent.*

Sic & stagnationem, impeditumque fluidi nervei motum, in causa esse potius, quam quodvis acre, externè etiam nervis applicatum, docent plura experimenta: v. g. aqua fortis, in profundis sinuosis fistulis applicata, nullos excitabit motus convulsivos, neque alia varia acria, nudos nervos tangentia, vel in lue venerea, spina ventosa, ulceribus variis, etiam in corpore latitantia, & absque dubio nervosas partes cõtingentia, motus excitare valent, nisi obstructioni simul ansam addant.

Imò spiritus vitrioli nimius usus, etsi ventriculum perforarit, non tamen convulsiones excitavit, &c. *ut ergò hinc constet, non externam irritationem, etiam corrodendo factã, & dolores crudeles inferentem convulsionum esse causam, sed hanc omnino in fluidi saltem nervei stagnatione, canaliculos nervorum replente, tũ gravãte, rodente, ac nervos distendente consistere, & acquiescere,* id quod & medicamina antispasmodica obiter

testari

testari possunt, quorum energia à crassiorum partium subtiliatione, acriorum vel acidorum dulcificatione, obstruentium resolutione, & fluidi nervei, aut spiritus animalis confortatione subtili alcalina dependet.

Oriuntur vero paroxysmi ipso momento, quo in parte quadam, hoc vel illo videlicet nervo, stagnatio incipit, quoniam enim liquor hic subtilis admodum est, spiritus volatilis ad instar, hinc interceptus admodum elasticus redditur, atq; quovis modo exitum quærens, resilit sursum, versus suum principium, hinc sentiunt ægri auram subtilem subito ascendere, ex hoc vel illo membro ad caput, ubi tum sensuum throno occupato, sensus pereunt, & ratio, donec volatilis hic liquor in cerebri glandulis, lympha copiosa repletis, dilutus ab operatione cessat: lympha vero inde hoc patitur incommodum, ut sic sensim, inductis cum subtili hoc repercusso liquore, peregrinis particulis, simul crassescat, & sic sui copiam sanguini communicando, pravum circulum confirmet; ut tum ex depravato principio, non melior finis, & ex tali tum depravatum principium rursus ortum sumat, priori malo materiam substernens.

Nonnulli hoc phænomenon, quando auram quandam sursum versus ascendere sentiunt, *nervorum crispaturæ, & versus suum principium, contractioni adscribunt*; *sed* expertum quendam

dam novi, qui postquam talem auram sensisset ex minimo digito, subitò per brachium ad aurem ejus partis ascendere, ibi sensit susurros, ac si Mare cum omnibus procellis ibi subsisteret, quo phænomeno cèssante, ad terram prosternebatur tum sensu & motu privatus.

Istos susurros ab impetuoso repercusso subtili liquore potius, inductos fuisse credo, quam à nervi simplici crispatura, quæ cum tali procellarum sensu vix, nisi subtilissimum contentum concurrat, excitari potest.

Causæ remotiores, ad generationem talium subtilium obstruentium, & in suo motu fluidum nerveum retardantium, canaliculorumque ejus nerveorum occlusionem disponentium, variæ sunt; Naturalium, Nonnaturalium, Præternaturaliumque censui inclusæ.

Ex naturalibus principem hic locum obtinet naturalis nervorum textura, aliquando hæreditaria, ubi pori & canaliculi, à juxta se positis fibris nerveis, ita sunt dispositi & contexti, ut etiam alias rudiores particulas, præter subtilissimas ordinarias irripere, facile concedant.

Huic vitio *ætas* facile ancillatur, tenella enim hæc corpora, cupioso alimento repleta, & succi plena, hincque *circulatione forti propellendo copiosum sanguinem, nervorum orificiis vim faciunt*, & quia tenella hæc sunt organa, facileque flexibilia, hinc *forti circulatione*

[fl]atione propulsas & appellentes, *non solum* suæ texturæ *convenientes, sed & alias simul particulas liquidas admittere coguntur*, quibus sensim canaliculi nervei dilatantur, ut tum facile hoc malo fores pandant. Unde etiam infantes tales succi plenos, facilius convulsionibus obnoxios observamus, quam alios minus corpulentos, ac plethoricos; quam dispositionem etiam tum in multos annos servant aliquando.

Quod verò sub dentitione aliquando epilepticos, vel convulsivos motus patiantur, fit *ob membranarum tubulos*, *dente crescente*, & exitum sibi vi faciente, *compressos*, quo egresso etiam cessant motus, neque propterea hæc convulsionum species adeo periculosa est, quam modò prædicta, vel ubi à lacte in ventriculo acescente, & ejus membranarum poros rodendo, occludente, fluido nerveo via præcluditur, vel pabulum depravatum huic advehitur.

His jungitur Temperamentum vulgò melancholicum, quod etiam *Galenus* huic malo obnoxium observavit, cujus effatum *de loc. aff. cap.* 7. hoc est, *Melancholici*, *inquit*, *magna ex parte morbo comitiali afficiuntur*, & contra, morbo comitiali laborantes afficiuntur Melancholia. Causam verò Galenus vix penetravit, utpote frigiditate præditis humoribus adscribens, quam nos hodie in nimia sangui-

nis

nis vel circulantium humorum acrimonia acido austera, fluidum nerveum inquinante, & heterogeneas particulas plures transmittente, ponimus.

Qualis enim est sanguis, ex eo separatas alias subtiliores particulas, proportionatè etiam tales esse, admodum est probabile, & effectus ipse docet.

In nonnaturalium classe occurrit aër, variis heterogeneis particulis impraegnatus, quippe his varias insignes alterationes, obstructionesque, non in crassioribus, sed & subtilissimis liquoribus, inducere valet; & hic praecipuè infestae sunt particulae circa Plenilunium, aut Novilunium aëri, vel corpori, mediante subtili materia inductae, vel fluido nerveo communicatae irritantes, obstruentes, & vario alio modo in suo libero motu succum illum detinentes.

Materia enim subtilis, aëres contentas particulas movet, & hae commotae vellicant, & constringunt.

Post aërem *cibus & potus*, multis modis malo huic ansam addere possunt, tam quanto, quam quali, ac utendi modo peccantes; frequentiorem tamen causam addere solet *nimia ebrietas*, frequentiori vini generosioris usu contracta, cujus officiendi modum vide de dolore capitis. Nec minimum symbolum addunt,

dunt, nimium acida, auſtera; in acorem facile tendentia, *fructus horarii*, *ſaccharata*, *carnes muria condita*, *fumatæ*, & ſimilia.

Quantum *ira*, *terror*, *triſtitia*, in diſpoſitis addere poſſint, authores pluribus exemplis teſtantur: Nec *Venus immoderata* hic minimam addit cauſam, ut *Rolfinc. in conſil. Med.* pluribus te certum faciet, neque mihi ignotum eſt hujus cauſæ exemplum.

Ex præternaturalibus denique *rebus* potentem vim in malo hoc excitando obtinet, præcipuè in diſpoſitis, plethora; hac enim fibræ nerveæ admodum comprimuntur & anguſtantur, & ſic liquori nerveo diſpoſito & acri ſtimulandi & pungendi anſa additur.

Sic & Febres nonnunquam ardentes, ſanguinem coagulantes, liberumque ejus motum impugnantes, & ſic conſequenter liquidi nervei ſtagnationi ſimul anſam miniſtrantes, in cauſa ſunt; vix enim in his Febribus illis, abſque convulſionibus fit interitus.

His morbillos, & variolas adnumeramus, nec excludimus ſcorbutum, cum malo hypochondriaco, cauſam ſufficientem continentes, acrem, acidam, obſtruentem, conſtipantem &c.

Quid valeant præter coagulantia venena, abſceſſus in capite, contuſiones, caſus ab alto, & ſimilia, nervos comprimentia, vel à ſua debita textura deſtruentia, & liquoris nervei ſtagnationi

tioni ansam addentia, vel mediante sanguine extravasato, congrumato, talem affectum producentia, tot exemplis authores demonstrant.

Curatio affectus nostri terribilis, causarum ratione ferè eadem requirit remedia, nisi diversa tempora, ea distinctim applicanda esse indicarent, aliter enim ipso paroxysmo instante, aliter extra hunc tractandus.

Præsente paroxysmo in id incumbendum, ut, quantum possibile, elasticum illud nerveum demulceatur, & à suo violento motu inhibeatur, & viæ ordinariæ ei quantum possibile liberæ restituantur, in specie verò constringentes particulæ, canaliculos nerveos contrahentes, in aliam texturam, canaliculis nerveis non contrariantem, disponantur, & situentur.

In hunc finem naribus admoveatur *Spir.* *ci, *Ess. succini camphorata, Ess. castor. cum spir.* *ci facta, *asa fœtida*, &c.

Extremarum partium frictiones instituantur, deorsum versus, pannis asperioribus.

Æger excitetur quovis modo per vellicationes, punctiones, vehementes acclamationes &c.

Inter dentes, ne linguam morsibus lacerent, & respiratio libera sit, inseratur primo insultu antequam constringantur, bacill. liquirit. rad. pœon. vel *sacculus* parvus *ex ruta confectus, & oleo succini guttis aliquot irroratus.*

Crusta

Crusta panis tosta, sale confricta, plantis pedum fervens applicetur.

Culcitris, pulvinaribus &c. præcaveatur æger, ne in terram prosternatur, motu interim libero concesso.

Vertici & spinæ inungatur *oleum lumbricorum, cum oleo succini, castorei,* &c. vel *aq. Anhaltin. cum camphora, essent. succini, caster. volat.* & similibus.

Linguæ & palato inungatur *theriaca cum* ▽. *rutæ,* & paucis guttis *Ess. succini* remixta.

Internè instilletur cochleatim hoc vel simile.

℞. *Aq. hirund. cum castor.*
flor. thyl. aa. ℥ij.
Essent. castor. cum spir. ✱*ci* ʒß.
succini ℈j.
Tinct. anodyn. ℈ß.
Syr. fl. pæon. ℥ij.

misce, & frequenter de hac mixtura instillentur cohlearia 2. vel 3. probe tamen prospiciendo, ne fortè suffocetur æger.

Si vero jam post paroxysmum insensibilitas adhuc remaneat, & sensatio deficiat, & diutius persistat, *vesicatoria brachiis, suris* &c. *applicentur,* & *clyster detur* ex decocto *rut. majoran. chamom. cum* ⊕ ☿iato *acuatum,* & *oleo lini, rutæ, castor.* mixtum.

Paroxysmo jam superato, si fomes in primis viis hærere cognoscatur, *vomitorium* propine-

 tur

tur, absque his enim difficile malo huic resistere posse, insigniores Practici testantur.

Si verò flatus ex vitioso acido, cum viscido muco, in primis viis effervescente, jam adsint, tum cave à vomitoriis, quia hæc eos exagitando nimium, motus exsuscitant jam silentes.

Propterea incidentia potius in usum veniant primo, & quæ pituitam viscidam sensim liquefaciunt, inter quæ hoc vel simile præstat, v.g.

℞. *Gumm. ammon. depurat.* ℥j.
Extr. absynth.
cent. min.
chamaedr. aa. ℈ß.
Myrrhæ.
Ol. still. cort. arant. gutt. vi.
cum Elixire polychresto, fiant Pillulæ,

quæ sumantur dosi granor. xv. & continuentur per 7. 8. dies.

Post has ad meliorem pituitæ incisæ & attenuatæ evacuationem

℞. *Extr. helleb. nigr.*
Gummi ammon. aa. gr. viij.
Mercur. dulcis. ℈ß.
Extr. troch. alhand. gr. iij.
castorei gr. vj.
cum Ess. absynth. fiant Pillulæ pro dosi

Præter hæc clysteres etiam sint frequentes, etsi nil educant copiosè: sint verò facti ex *Decocto ruta & infus. croci metallor. vel syrup. emeti.*

addita

addita *Essent. castor. cum ⊖e volat. C.C. vel urinæ ad* ℈j. vel ʒß.

His & similibus præmissis, & contentis sive jam depravatis productis è medio sublatis, tum ad ea accessus fiat, quæ hinc inde in canaliculis nervorum stagnantes, vel continuò nova depravata producta suppeditantes liquoris nervei particulas, attenuare, acrimonia sua constringente privare, canaliculos obstructos reserare, & sic omnibus rebus circulantibus, & moveri, assuetis, liberum accessum, & recessum, suppeditare valent.

Inter hæc selectiora sunt in specie *Sal volatile sanguinis humani*, *cranii humani*, violenta morte perempti, vel & *cranium humanum phil. calcinat. aut saltem raspat. & pulv. spir. cerebri humani*; *castoreum*, *succinum*, *rad. pæon. viscus corylinus*, *semen lycopodii, cinnab. nativ. cinnab.* ♂. ▽. *fl. thiliæ fl. pæon. lilior. convall. Tinct. Bezoard. opt. camphorat. Tinct. anodyn.* &c. Ex his variæ possunt fieri formulæ.

Ex castorei part. iiij. *cum ⊖i fixi part.* j. mistis, fit mediante *spir. vini* castorei solutio, cuilibet liquido sine præcipitatione miscibilis insignis hic usus, cum aliis remixta, v. g.

℞. *Aq. Flor. thil.* ℥iij.
Solut. castor. ʒj.
Syr. fl. pæon. ʒij. mſ. detur cochleatim.

Vel ℞. *Cranii human. subtiliss. raspat.* ℥j.
Rad. Pæon. recto temp. collect. ℥ß.
Visci corylini.
Castorei pulveris. aa, ℈j.
Salis cran. human. vol.
succini vol. aa. ℈ß.
Camphoræ gr. viij.
Laud. opiat. gr. v.
Cinnab. ☿. gr. xv.
Ol. succini gutt. vj. mſ. fiat Pulvis, qui detur dosi ℈j. quotidie semel cum ▽. flor. thiliæ.

Vel ℞. *Cran. human. raspat.* ℥j.
Cinnab. nativ. cum ▽. *fl. thil. lævigat.* ℥ij.
⊖*is vol. cran. hum.* ℈j.
Macis ℈ij. mſ. fiat pulvis.

Cujus dosis ℈ß. ad ℈j. tribus diebus ante & post Plenilunium & Novilunium. Infantibus datur à gr. v. ad gr. x.

Vel ℞. *Cran. human. raspat.*
Visci corylin.
Cinnab. nativ. aa. ℥j.
Extr. castor. ℈ß.
Theriac. cælest. gr. viij. mſ. f. Pulvis.

Dosis est ℈ß, ad ℈j.

Ad ferociores motus *opiata* multum valent, *cum camphora* combinata; atrociores enim paroxysmos mitigare, prædicat *Cl. Etmüller in Praxi*; hinc ea specifica antiepileptica vocat, *potius*

potius tamen ad atrocioris paroxysmi mitigationem, quam crebrius adcurationem, in usum vocanda, ne fatuitas, diuturnas epilepsias superveniens, eorum usu promoveatur.

Præprimis vero ab eis abstinere jubetur, antequam universalibus præmissis, depravata producta sunt eliminata, ne horum visciditate, vis eorum emoriatur, vel sepulta maneat, aut vomendi conatum, pro eliminandis visciditatibus â natura institutum, restinguant, & suffocationis metum inducant.

Impedimentis ergo remotis, & ex primis viis rejectis, demum

℞. *Theriac. cœlest.* ℈j.
Laud. opiat. ℈ß.
Cinnab. nativ. gr. xv.
Camphor. gr. viij.
Extr. castor. gr. vj. fiant Pillulæ.

Quarum dosis sit gr. v. vel vij.

In genere in affectibus his, respectus habeatur acidi vitiosi, solent enim omnes fere ex scorbuto, vel hypochondriaco malo ortũ sumere, hinc *acidulæ hic non sunt negligendæ* præter hoc enim quod acidum optimè infringant, etiam illo ex primis viis educendo, admodum inserviunt.

Venæ-sectio non negligatur, præcipuè in plethoricis, quibus simul ob sanguinis suppressionem, circulantes omnes humores exorbitare, & suâ quantitate admodum molestare sentiuntur.

Neq; hic vilipendatur cura vel per salivationẽ, vel per Decocta lignorũ instituenda, viis primus prius ritè depuratis, quantum enim hæc successivè acrimoniam humorum vitiosam evacuare, & corrigere valeant, lues venerea docere potest.

Propotu ergò ordinario optimè poterit in usum venire *Decoct. sarsæparill. sassafras cum C.C. cinamom. zedoar. &c.*

Nucha & tempora inungantur *oleo albo*, *castorei, succini, nucistæ* &c.

Si contractura post convulsiones relinquitur, illinatur & probe infricetur *axungia humana cum camphora*, *vel oleum galbanetum, aut petroleum cum oleo succini*, hæc etenim poros cutis penetrando simul canaliculos membranarum admodum reserant, unde & in aliis contracturis à causa vulgo frigida obstructis videlicet, ab acido constringente, poris, plura alia antecellunt.

Dentium Dolor sive Odontalgia.

CUm omnis homo à nativitate morbus sit, ita recensente *Democrito in Epist. Hipp. ad Damaget.*) non mirum, hanc quoque ejus exiguam portionem, & partem, plurimis affligi morbis, ac symptomatibus: inter quæ prin-

principem locum ſibi vendicat præſens dentium affectus, dolor ſcilicet.

Qui eſt triſtis ſenſatio mentis, hic excitata, à particulis fluidi nervei, ac lymphæ acidis, acrioribus, ac corroſivis, membranas, dentes intimè investientes, & nervulos, eorum poros penetrantes, inque ſubſtantiam ſe inſinuantes, ſtagnando ſcindentibus, & corrodentibus.

Subjectum ergò hujus doloris ſunt dictæ membranaceæ, dentes intimè inveſtientes, nervoſæque perreptantes fibræ: quæ motum ab acidis-acrioribus particulis, præternaturalem, inductum, animæ deferunt, & triſtem ſenſationem ac dolorificam adeſſe denunciant: eamque fortiori dolorifico motu, aliquando adeò perturbatam reddunt, ut ad inſaniam deducatur homo, ſeque interficere, aut parietes capite incurſare conetur, qualia exempla vulgò occurrunt.

Signa affectus noſtri, *ægrotantium querelæ* ſatis quidem *exponunt*, ſed cum partis affectæ, & cauſarum ratione, paulò aliter hoc ſubjectum, aliter verò illud aggredi ſoleat hoc malum; hinc paucis com-

 prehen-

prehendere lubet ſigna cauſarum diſtinctiva. Sic quando liquoris nervei ſola acrimonia ſtagnando hunc vel alium adoritur dentem, tum dolor in ipſo dentis corpore, non adeo tamen in profundo, percipitur acutus, vel circa radices ejus ſaltem ſævit.

Si verò huic ſucci nervei ſtagnationi ſe jungit, vel ſola etiam affligit, & accidit, lymphæ circa gingivas, & maxillarum glandulas ſtagnatio, tunc præter dolorem ſupervenit tumor ſeroſus, vel œdematoſus, quem vulgus vocat einen kalten Fluß; ab adjuncto.

Et ſi tumor hic ſanguinis ſtagnationi, vel compreſſioni ſimul anſam addit, & pulſatorius ſentitur dolor, tum vocant einen hitzigen Fluß. Quod ſi tum plethora adſit, tunc facies admodum inflata & rubra, venæque & arteriæ turgentes obſervantur; ipſeque dolor, quaſi rei exitum quærentis, ſenſum menti offert.

Si lympha ſtagnans admodum coagulatur, & œdematoſum inducit tumorem, tum pertinax ſolet eſſe dolor, minus verò pertinax, & conſtans, quo minùs coagulationi eſt obnoxia lympha.

Dolorem à vermibus, rei rodentis, & lancinantis ſenſus, ipſiuſque dentis carioſa cavitas, prodere ſolent.

A ſcorbuto in ſpecie dolorem hunc ortum

tum trahere concludes, si dens dolore affectus simul vacillat, dolorem vero in alium migrante hic rursus per se firmus sit.

Causa immediata nostri affectus dolorosi, est partium membranacearum, in definitione expressarum, dentes intimè cingentium, nervosarumque fibrillarum, dentes perreptantium rosio & corrosio, mediante quâ subtiles corrugantur, crispanturque, ac coarctantur fibrillæ juxta se positæ, sicque subtilissimis circulantibus succis viæ præcluduntur, qui stagnando tum spicula exserunt scindentia, & quousque se extendit liquoris talis subtilis corrodentis, & vias sibi coarctantis stagnatio, eo usque percipitur dolor.

Non tamen liquoris hujus subtilis stagnatio adeò leniter se extendere semper solet, quin stagnando, & locum in quo hæret extendendo, aliis quoque circulantibus humoribus impedimentum objiciat, eosque circulari in suo motu interturbet.

Aliquando etenim salivalis lympha, in proximioribus maxillæ glandulis, simul coercetur, & sanguis in suis vasis ita coarctatur, & premitur, tumore à lympha enato, ut totum capitis hemisphærium dolore occeuptur pulsatorio, tensivo &c.

Causam proximiorem, dictam causantem rosionem, corrosionemve, suppeditat

 succi

ſucci nervei, lymphæque aliquando acris aciditas, corroſiva, & fuliginoſa, quæ rigidis & acutis ſuis ſpiculis, tam diu rodit, donec ſubtiles ſenſim corroſit fibrillas, quæ ſic ſenſim corroſæ, & in cincinnos reſilientes, tubulos quos ante formabant, ipſæ obſtruunt, ut ſtagnationi majori anſa ſic miniſtretur; unde tum ſtagnando acrior factus liquor corroſis membranis, etiam dentem ipſum aggreditur, eumque ita corrodit & cavat, ut fruſtulatim ſenſim excidat, non aliter ac ſi ipſe vitrioli, aut ſulfuris ſpiritus, immiſſus fuiſſet.

Eſt ideò dicta corroſio, acidi corroſivi effectus, argumento non ab ejus ſolùm effectu, ſed & deſtructione deſumto: Unde & fiſtulæ in dentibus ortum nonnunquam trahere ſolent, è quibus ſanies, ſive lympha coagulata & corrupta, non raro fœtida, vel per dentium radices, & maxillæ foramina, per quæ vaſa in eas excurrunt, effluit; tuberculaque in mala vel mento excitat; quæ tum niſi dens extrahatur, curam haud recipiunt: Licet enim rumpatur tuberculum tale, puſque effluat, tuberculumque inde ſubſideat, & curatum videatur; attamen poſt tempus aliquod, ſenies ex dente carrioſo, ad eundem locum affluens novum excitat tuberculum, ruptumque rurſus fundit pus, hocque toties accidit, donec

nec cariosus vel decidat, vel extrahatur dens; quo facto evanescit, nec amplius revertitur tuberculum: in corrosi namque dentis porulis minimis stagnantes illæ lymphæ nerveæ particulæ acidæ, fermenti instar se habent, & advenientem subtilem omnem succum transmutant, & coagulant in pus, vel saniem.

Inter *Causas remotas*, antecedentes, se sistunt *ex classe rerum naturalium*, *temperamentum humorum*, ex particulis seri acrioribus, crassis, & tardis conflatum, vulgo frigidum humidum, sive melancholica, scorbutica, serosa dispositio.

Ut & tubulorum, sive canaliculorum fibræ & pori contorti, & malè figurati, vel à natura vel ex accidenti, sicque mala & depravata organorum huc requisitorum constitutio, liquoribus perreptantibus viam denegans, vel in totum vel pro parte.

Hisce vero causis ancillantur *ex nonnaturalium censu* primò *Aer* vel impense calidus, subtilium perditioni ansam ministrans, vel nimis frigidus, corporis constipans poros, & sic transpirationi obicem ponens, sicque succorum tam crassiorum, aquosiorum, sive lymphaticorum, quam subtilium, debitæ excretioni locum haud relinquens: unde isti tum stagnando, & acescunt & crassescunt.

Ex

Ex alimentorum familia ſymbolum addunt, & ſuccorum jam ſtagnantium agrimoniæ, multum contribuunt nimis calida, & acria, ut cæpæ, raphanus, ſinapi, caſeus præſertim acris, caro fumo indurata, ſaccharata & ſimilia.

Quomodo reliquæ nonnaturales res huc ſuum contribuant ſymbolum, de Catarrhis, Dolore capitis, & alibi, latius reperies traditum.

Ex præternaturalibus rebus omnibus aliis his palmam præripit, ſcorbutica circulantium humorum diſpoſitio, acribus ſeroſis ſuperfluitatibus notata, de qua videri poterit *Dravviz de Scorbuto*.

Sic & non raro vermes in excavatis carie, & exeſis dentibus, nidum ſibi ſtruunt ſat commodum, & dolori dolorem addunt, ſicque odontalgiam inferunt non rarò immanem.

Quantam item *noxam uſus mercurii* dentibus *afferre ſoleat* lue venerea affecti, & per mercurium tractati, vel metallarii, docere poterunt.

Sic & *corroſiva acida*, & ab his haud longè diſtantia *olea ſubtilia*, *cariophyllorum* præcipuè, *dentibus admodum ſunt infeſta*, & caſum ac cariem illorum admodum accelerant.

Quid tandem periculi portendat hoc malum, & quantum ſpei ſuperſit pro everrendo

hoc

hoc malo, *Prognosis* nos erudiet. Et hæc quidem hoc malum per se non adeo periculosum esse indicat: Sed si contumacior fuerit, & lymphæ nerveæ stagnatio se latius extendat, tum convulsionibus, & similibus gravioribus symptomatibus ansam addere posse denotat.

Confirmato *scorbuto*, *lueque venerea laborantibus*, *contumacior* & curatu admodum difficilis *esse solet*, sæpiusque recurrere, donec primarium malum sublatum extat.

Si vehemens excruciat dolor, nulloque antea in gingivis vestigio apparente, tumor jam in iisdem, aut in malis oritur; tum lymphæ stagnantis, ab interna dentis cavitate ad exteriora derivationem, sicque malum eo citius dissipabile, denotat.

Vel notat lymphæ simul stagnantis, & acres fuliginosas fluidi nervei particulas imbibentis, & cicurantis effectum, dolorem sic sensim lenientem, & auferentem, vel in pus transmutatum aut corruptum excernere laborantem.

Vel si ab aëre frigido incuriè admisso in suo frustretur effectu, tum in tumorem scirrhosum tandem terminaturum esse malum indicat.

In Cuartione hujus mali, causæ primariæ respectus

respectus habeatur, videlicet acrimonia stagnantis subtilis fuliginosi aliquando fluidi nervel, subitò, quantum quidem possibile, cicuretur, stagnantique lymphæ viæ liberæ reddantur, hæcque à decubitu revocetur, sive acciderit mora hæc fluido nerveo advecto, vel lymphæ in suis vasis, & glandulis, aut sanguini in suis arteriis & venis; vel omnibus successivè simul.

Si massa sanguinea, sive *circulantes humores, videantur abundare particulis serosis*, quæ utpote flexiles, acres sibi implicatas particulas facilè penetrare concedunt, tum pro quantitate minuenda, ante omnia *prugans unum aut alterum, ex jalappa*, vel simili commendetur; antequam in usum vocentur particularia evacuantia, aliàs irrita.

Affluxu sic paulisper mitigato, accessus fiat ad resolventia, & impacta libero suo motui restituentia, inter hæc omnia alia antecellunt *Tinctura anodyna* cum *Bezoardica* remixta, vel *Tinctura anodyna sola* cum vehiculo idoneo ad gutt. xx. xxv. noctu tempore somni propinata, rem expediet.

Eo ipso etenim dum ut spirituum impetum refrenat, simul particulis stagnantibus resolvendis insistit, & oleoso suo volatili sale, acrimoniam illarum acidam infringit, inducto-

ductoque ſubtiliori æthere, ad motum eas rurſus concitat.

Si *ſanguinea maſſa* in genere *exſuperare obſervetur*, ex ſignis ſupra breviter notatis, tum *ut preſſio mitius ſe habeat*, quantitati quid detrahere conſultum erit.

Ubi verò tum dolor non adeò exſuperare amplius atque ſtagnatio ſuccorum ſive humorum, haud multũ urgere videntur, id quod tumores cedentes, vel ſe haud jungentes, obiter teſtari poſſunt; tum omiſſis ceremoniis purgatoriis, ac V. Sectione, ſolum particularia evacuantia, dolorem auferent; utpote quæ in ipſis cavernis dentium latitans acre ſerum, fluxile rurſus reddunt, & ad motum illud rurſus concitant. Inter hæc verò excellunt ſequentia. Sic v. g.

℞. *Radic. pyrethri.* ℥ß.
Fol. nicotian.
Cortic. rad. mandragor. aa. ʒij.
Fol. Sabin. perſicar.
Herb. Serpill. aa. m. ß.
Cubebar. ʒß.
Aluminis. ℈j.

Inciſa coque in vini & aquæ q. ſ. ad tertias, & de hoc decocto contineat patiens ſæpius quid in ore calidè.

Solent aliàs vulgò decocta hæc fieri mediante aceto, ſed cum hoc dentibus noxium

valdè

valdè sit, & non minus quam (etsi non adeò promptè,) spir. ⊖li &c. eos corrodere, & friabiles reddere soleat, hinc consultius omittatur acetum, vel admodum aquâ dilutum addatur.

Præter decoctum laudatum optimè etiam resolvunt olea sale volatili turgida, qualia sunt *oleum ligni buxi, juniperi*, aut *Savinæ*, huic uni vel alteri si *camphora* additur, penetrantiores præstabit effectus, si cum bombace denti dolenti applicetur.

Similes vires exerit *Essentia mea succini* cum *camphora* remixta, & syr. papav. errat. paulisper temperata, ne gingivas adeò adurat.

Penetrant enim hæc subtilissimos coarctatos porulos, & stagnantem inibi, in obstructis canaliculis succum acrem extrahunt, sicque dolorem auferunt.

Nec minores vires exserit *petreolum cum camphora*, cum bombace denti dolenti impositum.

Nec minùs acrem lympham temperant, externè temporibus, vel retrò aures posita sequentia.

Sic gummi elemi in forma emplastri temporibus applicatum, dolorem optimè mitigat. Vel:

℞. *Contharid. pulveris.* ℈iß.
Rad. pyrethri pulveris. ʒß.

Pi-

Piperis longi ℈iß.
Extract. Savin. ℥j.
🝆 *Succini* gutt. x.
Camphoræ ℈ij.

Fiat s. a. Emplastrum, de quo q. s. inducatur alutæ, & retro aures ponatur: vel pulsibus applicetur, & alligetur.

Vel si odontalgia hemicraniam junctam habet, ℞. *Theriac. Andr. Tacamahac.* cum quarta sui parte *Balsamo Peruviano* malaxat. aa. ℥ß. m. s. inducatur linteolo, & applicetur universæ dolenti maxillæ.

Si vero Phlogosis adsit erysipelacea, tum omissa Tacamahaca, *theriacæ* ʒvj. adde *salis absynth.* ʒj. subige, & applica.

Præter jam laudata selecta, dantur alia, quæ per magnetismum quendam dolorem auferunt: inter hæc excellit *Persicaria*, hæc namque per aquam tracta, tum dolenti denti imposita, donec incaluerit probè, postea verò in fimo sepulta, ut putrescat, citò, dolorem cedere facit. Præstare item hunc effectum os dextri femoris bufonis, à carne separatum, si hoc dentis dolentis gingivæ fricentur fortiter, præter *Helmont*. *Heurnius* in secretis habuit.

Præter hæc in habitualibus Odontalgiis *transplantatio* insignem opem præstare perhibetur; Sic v. g. *ex corylo, sambuco, aut salice*, separato paulisper cortice, festuca exscindatur, & cum hâc dentis dolentis gingivæ pungantur, donec

sanguinolenta fiat festuca, hæc verò ita cruenta reponatur ipso in loco à quo excissa fuit, & cortex rursus desuper circumligetur, sic omnis dolor sensim evanescet.

Si cavus est dens, & acres nonnullæ alimentorum particulæ inibi derelictæ dolorem excitant, & nervulum compungunt denti insertum, tum immittatur hoc vel simile: v. g.

℞. *Olei nucistæ expr.* ℈j.
Extract. croci gr. v.
Camphoræ.
Fuligin. splend. pulveris. aa. ℈ß.
Sem. hyosciam. pulveris. gr. viij.
Olei ligni buxi gutt. vj.
Opii correcti gr. iij. m. f. fiat massa duriuscula, de qua pillula una intrudatur denti cavo.

Postquam dolor sopitus est, tum ne amplius ingrediatur quid acris, quod dolorem excitare de novo queat, cavitas dentis repleatur mastiche mollita.

Aliàs agyrtæ subitò dentis evulsionem urgent, sed pessimo consilio, quia, etsi dolor aliquando remittit, interim alium aggredi solet, causa ab intus advecta.

Quin imo sæpiùs dentis evulsio, maximum periculum secum trahere potest, præcipuè si instituta fuerit eo tempore, quo fluxio subsistit, caput dolet, aut gingivæ tument.

Præterquam enim quod violentam extractionem sequatur maxima cerebri concussio, & ossis

ossis maxillæ disruptio, etiam magna sæpiùs hæmorrhagia, febris, & mors insequi solent, testante id *Riverio Prax. l. 6. c. 1.*

Sic refert *Sennertus*, se meminisse, in puero dentem incautè extractum, & procul dubio in extrahendo nervum fuisse læsum, hinc fungum enatum, totum os opplentem.

Securius itaque erit hoc in casu sequi veteres, qui in templo Apollinis, Odontagogum plumbeum suspendisse leguntur, significaturi, dentes nisi ita cariosi, ut vel blumbeo instrumẽto cedere velint, minimè temerè evellendos esse: Nisi ut supra indigitatum, propè radices tubercula recidivent, & fistulas efficiant, hoc in casu malum vix cedit, nisi dens exstirpetur.

Pro suppuratione vero tuberculi talis duri intensè dolentis, frustum ficus vel crudæ, vel parum assatæ imponatur, ut sic eo citiùs suppuretur tumor; vel in hunc finem *lac tepidum cum meliloto decoctum* in ore sæpiùs teneatur.

Pro tumore vero maxillæ vulgari minuendo, *suffitus* fiat ex *succino*, *mastiche*, *sabina* &c. pannisque calidis foveatur tumor, ut sic lympha stagnans eo citiùs resolvatur, vel *sal in sartagine torrefactum*, sacculoque inclusum imponatur calidè.

Si vermes dentem cavum occuparint, fiat *suffitus ex sem. hyosciami & cera* mixtis, qui recipiatur per infundibulum, & denti cavo applicetur.

Vel & ex *fructibus haliaacab.* contusis, & cum cera in pastam formatis, inque laminam ferream ignitam injectis, fumus simili modo excipiatur.

Vel & supra laudatum decoctum intentioni satisfaciet, in ore detentum.

Si in specie noster hic dolor scorbuti symptoma suspicatur, ex signis supra traditis, tum *lac tepidum, cum succo cochleariæ*, vel *sedi minoris* mixtum, in ore teneatur.

Vel fiat *ex summitatibus pini decoctum*, hocque cum *Spiritu cochleariæ* acuatum simili modo in usum veniat.

Vel si dolor integram malam & tempora occupavit, tum *Spiritus cochleariæ secundarius & lumbricorum* aa. mixtos, & cum linteis externè applicatos calidè, insigne levamen attulisse, *Dravviz* confitetur. Ego *Essentiam meam succini* vertici instillatam, sæpe levamen dedisse scio.

Præter hæc *scarificationes* scapulis adhibitas, ægros immanissimis doloribus unicè liberasse *Excell. Wedelius* notat; eas namque serosi humoris abundantiam auferendo, summe proficuas esse, quotannis repetitas, statuit.

In hunc finem & *vesicatoria pene aures posita*, egregiam etiam præstant opem.

Plura huc spectantia vide de Dolore capitis, & Catarrhis.

Den-

Dentium Vacillatio.

QUandoque item hæc accidere solet, vel cum, vel absq; dentium dolore, scorbuticis, aut mercurio utentibus, in lue venerea.

Scorbutum vero constituentes, corrosivæ acidæ, & volatiles particulæ, cum mercurialibus in eo conveniunt, quod, uti illæ, sanguinis mixturam admodum destruant, & debitam connexionem invertant, sicque serum se à reliquis nimium separare faciant, lymphamque tam attenuent quàm acuant; unde in os continuò deposita hæc acris lympha, particularum suarũ flexibilitate, gingivarum poros nimiùm quantum penetrat, & spiculis suis connexionem cum dentibus debilitat, & vacillare dentes facit, nec non sæpe ipsos dentes, quoad exteriorem corticem, excedit, & gelasino privat.

Et si malum eousque progressum fecit, tum omittantur ea, quæ *dentes denigrare possunt*, & austeri quid junctum habent, ut sunt *Tinct.* vel *Sal. lapid. hæmatit. vitriolum, galla, balaustica, cortic. granator. &c.* hæc namque adstringentibus suis & austeris particulis, dentes exteriori suo & duro cortice orbatos, penetrant altius, & alcalinas dentis particulas aggrediuntur, nigredineque eos plane obducunt, quousque penetrant, sicque acidis volatilioribus, jam in poris hærentibus, au-

fleras suas & terreas particulas jungendo, dentes planè defœdant, neque laxitati gingivarum opitulantur

Recipe autem *Herb. cochlear.*
Veron.
Salv.
Prunell. aa. m.j.
Polypod. q. ℥ß.
Mastichis.
Myrrhæ aa. ʒij.
Alumin. ʒß.

Incisa & contusa coque cum ▽*a Salviæ* ℔. ij. colaturæ expressæ adde *mellis rosarum* ℥iij. mf. S. Mund-Wasser fleissig warm im Mund zu halten. Si hoc vel simili scorbuti acidæ particulæ cicuratæ, & putredo maximam partem cessasse observentur, tum

℞. *Oxymellis scillitici.*
Mellis rosarum aa. ℥j.
Myrrhæ pulveris. ʒß.
Alum. usti ℈j. mf. S. Zahn-Safft.

Si vero exterior cortex dentium nondum est corrosus, sicque gelasinus vel candor adhuc adest, & interim gingivarum laxitas, eos vacillare facit, neque firmiter retinent alveoli, tum

℞. *Flor.*

℞. *Flor. malv. hortens.* m. j.
Balaust.
Rosar. rubr. aa. m. ß.
Herb. Salv.
Veron.
Cochlear. aa. m. iß.
Mastichis. ℥ß.
Alum. crudi ʒii.

Incisa coque cum ▽. *Veronic.* ℔. ij. vel iij. colaturæ adde *oxymellis squillitici*, ℥iiij. mf. & contineantur calidè in ore.

Vel Recipe *hoc Ettmülleri* v. g.
Aq. Sedi maj.
Prunellæ.
Salviæ aa. ℥j.
Mellis rosar. ℥j. ʒij.
Alum. usti ʒß.
(*vel Spir.* ⊖*is* pro grata aciditate:)
Spir. cochlear. ʒij. mf. & teneatur diligenter in ore.

Joel commendat *Mel squilliticum* cum *Spir. vitrioli* acuatum. v. g.
℞. *Mellis squillitici* ℥j.
Spir. vitrioli non adeo fortis ʒß. mf. hoc ad omnes oris affectus utilissimum esse prædicat; sed ne quid nimis.

Quando gingivæ putredine absumuntur' tum admodum commendat hoc *Kornthauer*' v. g.

℞. *Cortic. interior. flav. radic. acatiar.* m. iij.
Piperis grossè cantusi ℥ß.

Coque cum ▽æ & cerevisiæ aa. & de hoc decocto sæpiùs cochlearia aliquot contineantur in ore, tam calidè, quàm ferri poterit, & donec pituita, vel lympha acris plurimam partem extracta exstet.

Postea recipiatur *Nasturtii aquat.* q. v. contuso adde *vini generos.* q. s. & cum hoc diligenter os eluatur, *tartaro* diligenter à dentibus prius separato, si adsit.

Quo verò dentes ab omni præserventur carie, fœtore &c. *Ettmüller* commendat *Salarmoniacum* aquâ solutum, pro dentium ablutione ab omni pastu.

Si verò jam nigredine infecti sint dentes, cave à corrosivis spiritibus acidis, sed eorum loco tibi commendo hoc v. g. post tartari ablationem

℞. *Cinerum stirpium roris marin.*
Nicotianæ. aa. ℥ß.
Aluminis usti. ʒij.
Sang. Dracon. ʒß. ms. fiat Pulvis dentrifticius.

Interim omnibus his haud indiges, si *Ettmülleri* sequi velis monitum, & ab omni pastu aquâ solutionis salis armoniaci dentes abluere haud negligens fueris.

Qui plura desiderat, evolvat *Medicum meum præsenti secul, accommod. de Odontalgiis p. 567. & seqq.*

Dia-

Diabetes.

HY*drops ad matulam*, item *lienteria nephritica, urinæ profluvium* &c. ab aliis vocatur. Quoniam vero sub Diabetis nomine vulgò duo vitia, & quidem non absque confusione, comprehendi solent, hinc *B. Cl. Ettmüller in sua Praxi*, affectum hunc distinguit in verum, & nothum.

Est verò ejus ut & aliorum consensu, Diabetes vera velox assumtorum potulentorum immutatorum per vesicam excrctio; sitim urgentissimam, æstum, p. n. & totius contabescentiam comites sibi assumeus; exorta à viarum, per quas urina potus ad loca urinaria amandatur, immutatâ ordinariâ textura &c.

Notha verò Diabetes est, in quâ plus excernitur urinæ, sive liquidi, quàm aut assumta potulenta, aut serum in massa sanguinea, propotiornaliter fundere possunt, cum intensissima siti, febre continua lenta, virium debilitate &c exorta, non tam à viarum urinam exterminantium immutata textura, quã à sale quodam, cantharidum instar, humores liquefaciente, & renes ad excretionẽ stimulante continuam.

 Sub-

Subjectum Diabetes veræ, præter ventriculum, officium haud administrantem, vulgò sunt canaliculorum, vel viarum ex intestinis rectà ad vesicam tendentium, & insalutatis renibus, (uti quidam credunt,) potulenta deferentium, immutata singulariter textura.

Admodum patentia oportere esse facta hæc vasa, fortè non in omnibus obvia, vel admodum exilia, testantur planè inepta aliquando per vesicam emissa, etiam solida, v. g. Semen anisi, acini uvar. frustula radicis apii, lactucæ, muscæ similia.

Sed fortè in quibusdam non in omnibus obvia esse hæc vasa, vel non adeo, aut rarò patentia ipsius affectus raritas testari obiter poterit, quippe ipse *Galenus de Loc. aff. c.* 3. se bis tantum affectum hunc vidisse refert.

Esse vero vias breves, per quas sine substantiæ mutatione cito meatu pertranseunt potulenta, *Th. Bartholinus c.* 6. *&* 9. *de lacteis thoracicis*, te erudire, & *Hautonianum experimentum* veritatem adstruere, non absque ratione poterit, quod *Johann. Daniel Major de ærumnis gigant. c.* 6. *& c.* 8. citat. Autor namque ille, ligatis ordinariis viis ex renibus ad vesicam tendentibus, ureteribus videlicet, in cane, nihilominus in vesica collectam urinam vidit.

Et sane, vix alias vias quis sibi imaginari deberet

beret, extra has, per quas vinum rubrum, ut *Hoefferus in Hercul. Med.* notavit, vel lac amygdalarum dulc. &c. ita immutata, transierunt: In sanguinem enim delàta hæc & ei haud fuisse permista, sicque absque ulla alteratione tot alterationum loca percurrisse, vix sanum sibi imaginari debere, sunt qui volunt.

Nothæ Diabetis subjectum, præter renes, cum *Willisio* totam credo massam sanguineam: quæ vi cujusdam salis acrioris liquefacta; tantam fundit urinosi liquoris copiam, quæ potulentis assumtis minimè respondet.

Sic refert *Schenck* exemplum cujusdam, qui quotidie ultrà 4. cantharos minxit, etsi vix quadrantem biberit: alii alia talia producunt exempla.

Signa affectuum horum in quibusdam conveniunt, in nonnullis differunt; ambo communem habent intensissimam sitim, totius corporis tabem, instar Hecticæ confirmatæ, sicque virium debilitatem, & æstum præternaturalem.

Humido namque necessario evacuato, non potest non sitis urgere, sic & egresso eo, quo sanguis in fluore conservatur, certissima coagulationi, sternitur via, & æstui p. n. sive pressioni, & coacto motui additur ansa.

Item deficiente eo, quo chylus sive succus alimentarius diluitur, & ad dissitas angustissimas vias ducitur, quid mirum sensim contabescere totum hominem.

Aliàs

Aliàs *vera diabethes*, *differt à notha* in hoc ſcilicet *in vera*, ſolùm aſſumta liquida aut potulenta nimis citò excernuntur rurſus, & vel parum, vel planè non reperiuntur immutata, ita ut non raro color, odor & ſapor liquidorum aſſumtorum, in excretis ſint ſenſiles: ſolet tamen in initio mitior, hincque cognitu difficilior eſſe, donec ſic ſenſim, magis magiſque affligit.

Notha vero plus excernit, ut ſupra dictum, quam potulentorum fuêre: & quoniam quandoque critico motu natura circulans, tales etiam copioſas inſtituit excretiones, ut ſe ab incumbentibus morbis liberet, hinc ab initio item vix cognoſcitur, niſi quando cum euphoria haud amplius talis accidit excretio, ſed ſenſim increſcit, donec uberior excernitur quantitas liquoris tenuis, aquoſi, crudi; hancque excretionem longè exſuperantem ſitis intenſa, oris ſiccitas, viſcerum internorum ardor, & virium defectus inſequuntur ‘ & ſi urinam aliquando contineant ægri, lumbi, coxæ, & teſtes cum gravitate intumeſcunt. Cùm ideò Diabetis tanta ſit differentia, non ſubjecti tantum, ſive partis affectæ, ſed & cauſarum, ut ſequetur, modique afficiendi ratione, hinc neceſſariò diſtinguendus pro meliori rei intelligentia affectus.

Cauſa verò Diabetis veræ primaria eſt tam fruſtrata in ventriculo potulentorum alteratio,

teratio, quam & viarum ſupra dictarum ſi quæ dantur ſingularis immutatio, liquorem haud alteratum adeò promtè tranſmittens.

Mediata verò *proximior cauſa* fruſtratam potulentorũ alterationem fovens, eſt lymphæ nerveæ ſingularis, & depravata diſpoſitio, ſtomachi fibras haud debitè intendens, ſed flaccidas eas relinquens, & motui continuò ſuſtinendo, pro incidendis aliis craſſioribus ingeſtis, haud adaptans; neque potulentis imprægnandis ſufficiens, ſed imprægnata illa, debitoque ſubtiliſſimo alcali oleoſo deſtituta, tranſmittens, viiſque extraordinariè conſtitutis, excernenda ea tradens.

Ex nonnaturalium cenſu, ſenſibilem cauſam addunt fructuum horariorum, melonum, cucumerum &c. videlicet eſus, & liquidorum aliquando copioſius ingurgitatorum copia, aquarum nimirum thermalium, acidularum, potuſque alius diuretici, vini videlicet meracioris, & ſimilium, ut & diureticorum aliorum continuus uſus.

Hæc & ſimilia videlicet, cum alterationi in ſtomacho minus ſe ſubmittant, hinc integris qualibus viis traduntur vitioſè contextis, quæ ea ſubitò tranſmittunt, nec ad ordinarias vias migrare eas permittunt, ſed præoccupant has, veluti in limine poſitæ. Hoc verò incommodi hæc ſecum trahunt, ut vias in ſequentibus

adaptent,

adaptent, & sic sensim malo confirmando ansam addant.

Nothæ Diabetis causa primaria est circulantium humorum, in consistentiam laticis serosi resolutio, & viarum ordinariarum mediante illo latice inversa, & vitiosè contexta dispositio.

Mediata proximior causa absque dubio est lymphæ nerveæ sive stomachalis singularis acrimonia alcalina, cantharidibus haud adeò absimilis, vel paulisper analoga, chylo, statim in ipso limine, stomacho videlicet communicata, debitam commixtionem, & cohærentiam tum in circulantibus humoribus sensim auferens, & ad majorem resolutionem hos disponens.

In subsidium hisce veniunt *ex rerum naturalium serie, temperies circulantium humorum*, ex contentis magis serosis, facile alterabilibus constans, ætati senili præcipuè accidens, & muliebri aliquando sexui communis.

Ex nonnaturalium classe præ aliis eminent diuretica, hæc namque lympham nerveam stomacho advectam ita acuunt, ut is tum chylo immixtus, & ita circulantibus humoribus delatus, tantas excitet turbas.

Non verò alcalicam volatilem acrimoniam lympham dictam ita acuere, sed & acida volatilia hanc ei imprimere posse texturam & vim, Practicorum aliorum observationes testari videntur.

dentur. Sic notavit *Willis* Diabetem incurabilem, ex vini Rhenani abusu *Pharmaceut. Rat. P.* 1. à nimio succi betulæ usu, lethalem diabetem habent, *Miscell. A. N. C. Ann.* 2. à muria fœniculi marini, *Amatus Lusitanus Cent.* 2. recenset; à spermatis ranarum potu *Lossius in observ.* communicat; alii aliàs producunt historias Diabetis Nothæ, à diureticis variis excitatæ: prout nimirum hoc aut illud diureticum, lympham nerveam, principalius ventriculi fermentum, alteravit & aliter texuit, hic vero insigniter alteratus, tum diuretici illius copioso liquido adjutus, circulantibusque humoribus advectus, colliquefactionem majorem instituit, sicque Diabeten fortiorem aut debiliorem excitavit.

Cum enim ex primæ dissolutionis sive digestionis vitio, indeque enato acri colliquativo quasi fermento, fluxum alvi colliquativum oriri non rarum sit; Cur simili ratione, aliud fermentum circulantium humorum colliquefactivum inde enasci haud poterit.

Acre hoc colliquans fermentum, ex primis viis, fermento nimirum ventriculi digestivo, (quod ego lympham esse credo,) quâvis ratione vitiato, aut alterato, oriri suspicor, adeò prout ventriculi prima digestio basis est reliquorum omnium, ita & hujus ratione vel macri, vel pingues reddimur, & consequenter ex alterato eodem, rursus pingues emacirari denuo

uuo possunt, prout scilicet *fermentum* ejus *spirituosum*, plus minus acre, vel temperatum fuerit, indeque similis notæ chylum corpori undique distribuit, *Ettmüller in Praxi* de *Diabete p.* 190.

Ex præternaturalium rerum classe huic malo symbolum suum confert singularis simul renum vitiata textura, & tali modo adaptata, ut liquefactis humoribus facile viam concedat; in colliquefactorum humorum transitu verò, acres in illis contentæ particulæ, membranosas renum fibrillas pungendo, dolorem & ardorem in eis, & circa lumborum regionem sentiri faciunt: quæque instar fermenti se habent, & mediante circulatione illuc delatos humores eo magis resolvunt, & suo nexu privant, & ejiciunt, non aliter ac ex purgantium particularum acrimonia in intestinis, humores illuc appellentes resolvuntur, & extra corpus proscribuntur.

Spectant huc Febres pestilentiales, aut morbi alii chronici, quos non rarò malum hoc insequi solet:

Prognosin quod concernit, notandum, Diabeten veram, modo in prima statim herba cognoscatur, vel acidulas, thermas, aut similes liquores diureticos, copiosè haustos, insequatur cum euphoria, parum habere periculi.

Sed si quemcunque potum ita inalteratum transmitti notamus, tum quoad possibile, suffocetur

focetur hoc malum, ne sic virium lacturam, & tabem tandem contrahat.

Notha verò Diabetes periculi plena est: præterquam enim quod difficulter aliquando cognoscatur, *an critico quodam motu, natura circulans, superfluum amandet serum*: etiam sic facillime eundo vires acquirere, & habitum nancisci solet, difficillimæ tum curationis, & Tabis certissimus prodromus.

Sic post Febres chronicas utplurimum incurabilis pronunciatur.

In *Cura* Diabetis veræ, digestionis primæ vitiatæ, ut & viarum supra dictarum brevium, si quæ sunt, nimis dilatatarum, respectus habeatur.

Et si vitiosa reliquia, in ventriculo lymham decollare, sicque fibrillis stomachi emolliendis, causam suppeditare notentur, tum ea pillulis aloëticis, cum mastiche & myrrha compositis, vel rhabarbara aut similibuse, liminentur.

Postea roborantia, adstringendi vi prædita, in usum veniant, interna & externa. Sic v.g.

℞. *Corall. r. præparat.* ʒij,
Conserv. rosar. r. ℥ij.
Syr. corallor. ℥j. m. f. Elect.

de quo sæpius sumatur.

Vel ℞. *Aq. plantag.* ℥iij.
Tinctur. myrrhæ ʒj.
anodyn. gutt. xxx.
Syr. corallor. ℥j. m. detur à 3. m.

Vel ℞. *Corall. r. præparat.* ʒj.
Theriac. cœlestis gr. x. mſ. detur à 3. m.

Externè ventriculus inungatur *oleo maſtichino*, & emplaſtrum imponatur ſtypticum, vel ſola *theriaca* alutæ inducta applicetur.

Quoad Diætam hic abſtineat æger quantum poſſibile à copioſo potu, ſed moderatus is admittatur, ut ad ſitim ſaltem moderatè explendam ſufficiat, ſitque potus ille *Decoctum C. C. uſti*, vel vinum, in quo *ſal Martis ſaccharinum, Medico præſent. ſecul. accom. de Marte doctum*, ſolutum ſit, vel aquâ ſaltem C. C. ſi æſtus jam adſit magnus, hoc diluatur ſal, & in potum cedat.

Diabetis Nothæ curam quod attinet, potiſſima hic ſit intentio mitigandi & corrigendi ſal illud ſive fermentum diureticum, acre, colliquefactivum.

Excellunt verò pro intentione hac omnia ea, quæ in Hectica conducunt; quæ refrigerando confortant, ſcilicet quibus poteſtas eſt circulantibus humoribus talem conciliare conſiſtentiam, & particulis quos ſubtilis æther non adeò promptè in motum rapere, nec adeò copioſè penetrare poteſt, ac fundere,

Experta eſt pro hac intentione *mixtura Sylvii* ſequens, v. g.

℞. *Aq. plantag.* ℥iij.
Aceti vini deſt. ʒvj.

Corall.

Corall. r. præparat. ℈j.
Laud. opiat. gr. ij.
Syr. portulac. ℥j. mſ. capiatur cochleatim.

Præter hanc potiunculam *Sylvii*, *Willis* experimentum communicat, *aquam calcis vivæ* videlicet, hanc in ſpecie hic admodum convenire *Pharm. Rat. P.* 1. *p.* 174. aſſerit, modo, ſicuti Comiti cuidam præſcripſit, ter de die ſumatur ad ℥v.

Præter hæc inſignis etiam uſus hic eſt Emulſio talis, v. g.

℞ *Decocti C.C. & hordei* ℔. ij.
Amygd. d. excort. ℥ij.
Sem. 4. frig. maj. ℥iß.

fiat ex his emulſio, quæ ſæpius de die propinetur ad ℥v. vel *in Decocto hordei* & C. C. ſolvatur *ſalis Martis ſaccharini* ſupra laudati q. ſ. & continuum in uſum cedat.

Zacutus Luſitanus lacte chalybeato, cum philonio Perſico Diabetem curavit deſperatam, ſicut legere eſt in ejus *Prax. admir. lib.* 2. *obſerv.* 71.

Supra in vera Diabete & interna & externa laudata, etiam hic ſpecificè conducunt, præcipuè opiata, externa vero adſtringentia confortantia, quæ ibi ventriculo adhiberi debere diximus, hic renum regioni applicentur.

Diarrhœa seu Alvi Profluvium.

LAtè si sumitur, quemcunque denotare potest alvi p. n. fluxum. Sed nobis strictâ significatione sumta Diarrhœa, *est frequens & copiosa alvinarum fœcum humorumque vitiosorum, tum quantitatis, tum qualium ratione peccantium excretio, ab irritatis intestinorum glandulis & fibrillis, citra tamen earundem excoriationem excitata.*

Subjectum principale sive affectus intestina ministrant, tenuia pariter ac crassa, horum namque officium cum sit, in naturali & sano statu, continuo suo motu, à ventriculo (post segregationem utilis:) vel aliunde transmissa inutilia, exterminare, & è corpore proscribere quis eis in præternaturali statu hanc functionem negabit?

Et cum illa, præter cibos in stomacho solutos, & transmissos, etiam succos alios, bilem videlicet, succum pancreaticum, lymphamque aliam ex miliaribus glandulis recipiant, qui intimiori dissolutioni & attenuationi chyli, separationique utilis ab inutili, stimulationique & excretioni inutilis insudant, non mirum si succi illi vario modo justo acriores facti, poris intestinorum se insinuanres, ad fortiorem motum

tum & ejectionem stimulant, sicque tam bonum, quam excrementitium succum, simul expellunt.

Minus principalia subjecta, sive partes mandantes, vel subjecta causæ plura dantur, non enim ventriculus solùm, sed & Hepar, vel tota circulans massa, & hinc mesenterium, acres possunt continere, vel transmittere, vellicantes succos.

Signis plurimis hunc dilucidare morbum, vix necessum videri posset alicui, dum præsentiam ejus, frequens & copiosa dejectio, in definitione expressa, satis produnt: sed cùm ad majorem causæ cognitionem plurimùm contribuere soleant, hinc omitti haud debuere.

Et quidem *Hippocrates* quibusdam in aphorismis ipse imminentis Diarrhoeæ signa tradidit: Quibus ructus, inquit, adsunt, & flatus, strepitus ac elevationes ventris, hypochondriorum murmura, & lumborum dolor, his fit alvi perturbatio. *Coac. prænot. c.* 1. *tit.* 201. *& sect.* 4. *aph.* 73.

Cujus vero partis mandantis vitio, intestina afficiantur, notari meretur. Sic ventriculi ipsius depravato officio præsente, & causam suppeditante, adsunt, appetitus prostratus, nausea, prava ingestorum dissolutio, sive digestio, ructus nidorosi &c.

Si hepar fomitem alit, & bilem ſuppeditat vitioſam, tum præter gravitatem, & tenſionis ſenſum in hypochondrio dextro, excrementa etiam excernuntur, pro bilis conſtitutione, mox flava, mox viridia, mox nigricantia, prout nimirum acidum magis minus corroſivum ſeſe in inteſtinis huic immiſcuit.

Si lien, vel pancreas, & ita deducta acris lympha, culpam ſuſtinet, tum gravitatis in hypochondrio ſiniſtro ſenſus, vel tumor, aut durities, hoc prodere videntur.

Si circulans maſſa, materiam miniſtrat acrem, tum fluxus copioſior, febrilem diſpoſitionem aliquando inſequi ſolet.

Si verò ex chylo rudiori, non admodum acri anſam ſibi ſumit malum, tum materia craſſior, abſque fœtore rejicitur: pro ſigno, bilem inopia peccantem, reliquiſſe chylum minus ſubtiliatum, & diſſolutum, poris vaſorum lacteorum haud reſpondentem,

Quæ Diarrhœæ ſpecies infantibus, obſtructione meſenterii laborantibus, familiaris, & aliàs cœliaca paſſio, ſive Diarrhœa chyloſa vocatur.

Colliquativam Diarrhœam quæ & ſymptomatica eſt, patefacit à poſteriori extenuatio, & atrophia corporis; à priori vero hectica, vel acuta, peſtilens febris, Phthiſis confirmata, &c.

Si Fructus horarii, & alimenta acria, vel medicamina, vim proritandi habentia, ſint in cauſa, ægri relatione id patebit.

Si epidemicum eſt malum plures in vicinia hoc correpti, ejus argumentum poterunt dare.

An criticum ſit, tolerantia ejus, ſive euphoria docebunt, quando videlicet in declinatione alicujus morbi ſuperveniens morbum ſolvit.

Præter *Differentias*, quas ex jam dictis ſignis haurire poſſumus, ubi hanc vocamus *bilioſam*, *chyloſam*, aliam *ſeroſam colliquativam*, aliam *ſymptomaticam, epidemicam, criticã* &c. Dantur etiam aliæ adhuc differentiæ, quibus hoc malum ab aliis alvi profluviis diſtinguitur.

Sic diſtat à Dyſenteria, cum neque ſanguinolentas habeat excretiones, neque dolorem, niſi admodum tolerabilem reſpectu ejus, neque etiam cum exulceratione, inflammatione, aut tenaſmo affligat.

A Lienteria differt, quod in hac cibus immutatus, & prout eſt aſſumtus, per alvum etiam rurſus, & celeriter excernatur.

A fluxu Hepatico, & hæmorrhoidali, quod in his ſanguinolenta fiat excretio, ſine humorum aliorum admixtione &c.

Causæ affectus nostri *immediatæ* sunt innumeræ, per alimentorum vas dispersæ glandulæ, & intertextæ fibrillæ intestinorum nerveæ, ad excretionem tam copiosam stimulatæ, & irritatæ.

Mediatam proximiorem causam suppeditant humores acidi, & acres varii, vel in ventriculo ex assumtis geniti, vel lege circulationis ex aliis partibus eò deducti, vel biliosi, serosi, in ipsis viis intestinorum, dictisque glandulis jam contenti, vitiosi, acres &c. non aliter ac purgantia colliquefaciendo, morsicando, & stimulando, suum producentes effectum, & sic diarrhœæ artificialis loco, præter naturam excitantes, tum quantitate humorum excretorum, tum qualibus; utpote si sunt vel crassiores, vel tenuiores, vel magis minus acidis acrioribus particulis enati, & sic vel viriditate, vel nigredine, flavedine &c. imbuti, peccantes &c.

Inter *remotiores causas*, & quidem *ex Naturalibus*, eminet *temperamentum* vulgo *humidum frigidum*, quorum videlicet humores abundant pluribus serositatibus, crassis, vel *humidum calidum*, ubi homo gaudet serositatibus leviter mobilibus copiosis, quæ ceu admodum fluidæ, acres varias particulas salinas sibi facillimè associant, & diarrhœæ leves authores existunt.

Ob talem vero temperiem malo hoc corripiuntur utplurimùm infantes, præcipuè dentientes, & senes.

Spectat item huc *hæreditaria dispositio*, quæ Balbis communis esse solet, quippe hos alvi profluvio utplurimùm obnoxios esse, *Hippocrates S. 6. aphor. 32.* suo tempore notavit: Scilicet ob debile eorum genus nervosum, Spiritus nerveos minus nimirum vigorosos, utpote quibus (tanquam activos aliàs principalioribus in dissolutione, vulgo digestione ciborum,) in his minus validis, etiam alimentorum in ventriculo dissolutio haud ritè peragitur, unde tum chylus haud ritè dissolutus & subtilisatus, venas lacteas trajicere haud potest, sed ceu crudus, & improportionatus rejicitur, & excernitur continuo.

Ex Nonnaturalibus rebus primum obtinet locum *Aer*, hic enim diebus canicularibus, copioso subtili æthere, massam nostram circulantem trajiciens, & perfluens, bilem & alios humores subtiliores, nimium exagitat, subtilissimisque particulis orbat, remanentes vero ita acuit, ut tum facillimè irritationi majori intestinorum ansam addant.

Sequuntur *cibus & potus*, magnis pollentes viribus in malo hoc excitando, præcipuè quali, utendique modo peccantes. Ubi tamen præ aliis excellunt fructus horarii, mala persica, melones, cucumeres, pruna &c. venenosis acri-

oribus particulis aliquando nutrita, ſicque epidemicorum alvi fluxuum non raro feracia, ut & *potus* ſimilis, muſtum videlicet recens, cerevisia haud defœcata &c. & inde conſtans utplurimum inordinata militum victus ratio, præprimis ubi cibos abſque ſale, etiam alios, carnes videlicet, &c. comedere in ejus penuria, & defectu, coguntur.

Quid purgantia, & venena, ad accelerandum hoc malum contribuere queant, per ſe patet.

Reliquæ res nonnaturales non excluduntur, prout humores magis minus exagitant, & acrimoniæ cauſam addunt, ſtimulumque ſic ſuppeditant.

Præternaturales aliæ cauſæ, hunc excitantes morbum, non raro ſunt febres peſtilentiales, Phthiſis deſperata, hectica febris, vermes &c. & tandem venarum lactearum anguſtia, vel obſtructio, à natura, vel & inteſtinorum paralytica diſpoſitio, ſive reſolutio &c.

Quoad *Prognoſin* ſe primo loco ſiſtit *Hippocrates aphor.* 2. *S.* 1. qui dicit, quod ſi in turbationibus alvi, & vomitibus, quæ ſponte fiunt, purgentur ea, qualia oportet tunc conferre, & facilè etiam ferri, & contra.

Critica ergo Diarrhœa, de qua intelligendus eſt hic aphoriſmus, à natura iuſtituta circulante, ſpontaneo motu ſuperflua amandante, & proſcribente, ſæpe pro valetudine eſt, modo febris

febris absit, maligna præsertim , & intra septimum diem remittat.

Tendit ergo ad salutem, ubi est mitis, nec adeo vehemens , & ubi excrementa haud adeò dissimilia excernuntur naturalibus, & vires facilè tolerant, nec tormina percipiuntur.

Sic & aliis morbis superveniens eos solvit, v. g. opthalmiam, leucophlegmatiam, surditatem &c. quemadmodum *Hippocrates* hoc notavit *Sect.* 6. 7. Sic levamen affert dentientibus, Kochiis retentis , & mensium suppressione laborantibus.

Quando verò symptomatica est, præcipuè morbi cujusdam magni principio, v. g. Febribus malignis, pesti &c. superveniens , ut & si tabidis, & phthisicis accidit, vel quando ægri cum pauco alimento varia ejiciunt , cum sensibili corporis & virium resolutione, vel & pleuritidi, peripneumoniæque tandem accedens, utplurimum deprehenditur lethalis.

Neque periculo vacat Diarrhœa epidemica, maligna, item quando *excreta* sunt nigra, *livida, fœtida, æruginosa,* fermentum admodum acre , corrosivum acidum significantia. Præprimis si antea fuerint melioris conditionis, & in deterius sic sensim mutari conspiciantur.

Sic & prægnantibus, abortus periculum incutere hoc malum, *Hippocrates* reliquit *Sect.* 5. *Aph.* 34. Repertæ tamen sunt, quæ toto gestationis tempore hoc malo affectæ fuêre, cum tole-

tolerantia, nec quid mali eis portendit, ut notavit *Platerus in suis observat. l.* 3. & alii.

A vermibus modò bona modò mala, prout circumstantiæ aliæ adesse solent, deprehendi solet.

Hydropicos Diarrhœa affectos, sæpe evadere, sæpe tamen etiam mori, itidē observavit *Platerus l.* 3. *obs. p.* 657.

Debilitatem viscerum insequens malum, diuturnum esse solet, & molestum, uti & ea quæ scorbutum insequi solet Diarrhœa, nec non hæreditaria, utpote quæ ad mortem comitari solet.

Tandem à mitiori statu, in majus malum abiens, v. g. si in dysenteriam abit, vel surditas supervenit, plerumque malè cessit. Et si à maleficio ortum traxit, raro curatur, sed doloribus consumtos, tabe plerumque perire facit, *Mercato teste.*

Ad *Curam* devoluti, notemus, Diarrhœam criticam, ac spontaneā, à circulante natura dependentem, non temerè sistendam, neque corrigendam esse, nisi excedat, si vero ultra debitum perduret tempus, tum prospiciendum, ne protrahatur in symptomaticam.

Sed cum aliquando periculum sit, ne, nisi sistatur, nimius fiat fluxus, propterea cautè considerandum, an permittendum ut fluat, an movendus magis.

Pro norma vero sint tolerantia, & modus fluen-

fluendi: Si enim ut confert, & cum tolerantia bene fluit, permittendum, sed si cum illis signis lentè fluit, paulo movendum, si vero absque tolerantia affligit, sistendum.

Sic etiam suggerunt normam, ventriculi appetitus, & coctio, hæc si sunt salva, permittendum ut fluat, nil namque nocet fluxus talis: nisi ventriculum roborantia, vel ad concoctionem ciborum, sive dissolutionem concurrentes succos, lympham nerveam, bilem, &c. corrigentia, & confortantia, in usum vocare velis, qualia sunt amara, uti *vinum absynthites*, utpote quod post horariorum fructuum usum, contractam levem diarrhœã corrigere valet; vel & *theriacalia*, hæc namq; sola sufficiunt in diarrhœa, quæ spotaneum humorum motum, vel externum quendam insecuta fuit errorem; corrigunt enim particulis suis volatilibus oleosis, rudes acidas, alvi fluxus talis causas.

Non vero in levioribus, sed in omnibus Diarrhœis, acidi magis minus corrosivi, degestionem, sive dissolutionem ciborum turbantis, & ad tantas exorbitantias intestina irritantis, respectus habeatur.

Si vero in specie *nausea, appetitus prostratus, ructus* &c. ventriculi depravata contenta, malo materiam ministrare indicant, neque sic Medicum diu spectatorem esse permittunt, tum ante omnia convenit *vomitus*, absque hoc nam-

namque in longum tempus protrahitur morbus.

Si verò adsint, quæ prohibere possunt vomitum, signa, propinetur *Rhabarbarinum* aliquod, hoc etenim non tam purgando, quàm corrigendo simul agit. Sic v. g.

℞. *Rhabarb. el.* ʒj. vel ʒiß.
C.C. sine igne. ℈j.
N. mosch. pulveris. ℈ß.
Olei macis gutt. ij. mſ. pro dosi.

Si vero nulla adsunt signa, quæ ventriculi contenta in specie alicujus causæ accusare possunt, tum in principio morbi & vomitus, vel evacuatio per alvum omittantur, neque aliquid moveatur, nisi correctis acidis irritamentis, & sic sufflaminato humorum impetu, (intelligenda vero hæc sunt de diarrhoea fortiori;) postmodum verò si necessum visum fuerit, vel clysmate, vel rhabarbarino blando, reliquiæ saltem abstergantur.

*P*ræmissis vero, vel, pro ratione circumstantiarum jam præmissarum, omissis evacuantibus, statim fiat accessus ad ea, quæ quovis modo succos ad digestionē concurrentes, ante dictos, ab acidis magis minus corrosivis, vindicandi, corrigendi, roborandi, obstructosque viarum chyliferarum in intestinis porulos, reserandi vim habent.

Non vero instituatur hoc adstringentibus, quâ talibus, qualia sunt plurima austera, cydo-

nia

nia videlicet, meſpila, granati, nuces cupreſſi &c. utpote quæ auſteris ſuis particulis inteſtinorum fibrillas contrahendo, ſicque poros conſtipando, contenta verò acida acria retinendo, acuendoque, graviſſima alia ſymptomata inducere poſſent, quale exemplum nobis *Ballonius* reliquit, qui ex cydoniatis in diarrhœa exhibitis, hacque ſic intempeſtivè ſuppreſſa, Ileon lethale obſervavit.

Sed abſorbentia ea ſint, dulcificantia, & confortantia, cuilibet liberum ſuum motum reſtituentia. Sic v. g.

℞. ▽ *menthæ* ℥iiij.
Cinam. cydniat. ℥ij.
Tinct. bezoard. abſque acido ʒj.
Anodyn. gutt. xxx.
Unicorn. foſſil.
C. C. ſine igne aa. ʒß.
Syr. è nuce moſchata ℥ß. mſ. pro tribus doſibus.

Si excrementa æruginoſa, nigra, acidi corroſivitatem majorem, & ex hac bilis caſtrationem, indicant, tum v. g.

℞. *Cryſtall. præparat.* ʒj.
Unicorn. foſſil.
C. C. ſin. △*e aa.* ℈j.
▽. *papav. errat.*
menth. aa. ℥iij.
Tinct. anodyn. gutt. xxx. mſ. pro tribus doſibus.

Si

Si Diarthœa epidemico charactere sit contracta, tum paulo magis urgeatur diaphoresis, sic v. g.

℞. *Unicorn. fossil.*
C. C. sine igne aa. gr. xv.
Salis viperar. volat. gr. vj.
Theriac. cœlestis gr. ij. ms. pro dosi.
Vel ℞. *Unicorn. fossil.*
C. C. s. igne aa. ʒj.
Theriacæ opt. ʒiß.
⊖*is C. C. volat.* ℈ß.
°°*macis.* gutt. vj. ms. fiat pulvis pro 4. 5. dosibus.
Vel ℞. *Tinct. Bezoard.* ʒj.
Anodyn. ℈j. ms. dentur pro dosi gutt. 50. cum mixtura *ex* ▽. *menth. cinam. cydoniat. Syr. è nuce moschata*, vel *papav. errat.* constante, mane & à meridie, noctu vero semper detur *opii correcti* gr. j. ut sic quantum possibile humores stagnari incipientes, in vasis, liberum recuperent motum: Propterea, in febribus malignis, potentiora sint diaphoretica, magna dosi exhibita, & sæpius repetita, ex *Bezoard. minerali, martiali, C. C. s. igne, theriaca, cum spir. vitrioli* &c. Hæc namque momento quasi cohibuisse tales alvi fluxus perniciosos, *Riverius de Febribus Pestil. habet. p.* 144. & ut *Herc-Saxon. Præl. Pract.* c. 25. p. 2.

Si ergo fluxus videtur malignus, statim pugnandum contra venenum: poterit vero fieri formula, præter jam dicta, hunc in modum v. g.

℞. ▽.

℞. ▽. *tormentillæ.*
Fl papav. errat. aa. ℥iß.
Tinct. Bezoard. cum acido gutt. 40.
Anodyn. gutt. 15.
Bezoard. martial. ℈ß.
Corallor. præparat. gr. viij. mſ. pro doſi ſæpius reiteranda.

Si Diarrhœa ſimplex, à nimia bilis acrimonia volatili, dependere videtur, tum in uſum poterit venire *Helmontii* euporiſton, quod etiam *Cl. Ettmüller* à ſe expertum eſſe aſſerit, & quidem in diarrhœa quæ per 4. dies pertinaciter theriacalibus reſtiterat, (fortè ab aromatica, acrimoniam bilis, volatilitatemque magis ſtimulantia:) conſtituunt verò expertum illud, ovi vitella bina ad duritiem aliqualiter cocta, acetoq; roſaceo temperata, & comeſta, quibus ego nucem moſchatam admiſcere ſoleo.

Si diarrhœa, ſive hypercatharſis, à purgante fortiori excitata ſit, detur *theriacæ* ʒß. *cum* ▽. *cinamom. cydoniat.* ℥j. pro doſi, Vel & *Tincturam anodynam ſolam* ad gutt. xx. aut cum *Tinct. Bezoard.* ut ſupra remixtam exhibe; hæc namque omnem in hoc caſu abſolvent paginam.

Si habitualis & antiquus ſit fluxus, tum thermis concredatur cura. Sic *Sanctorius de remed. invent. cap.* 16. aſſerit, ſe non ſemel antiquos ſanaſſe fluxus, Balneo, quos multi, ceu incurabiles, reliquerant.

Aliquando correptus ſum diarrhœa bilioſa, tantâ acrimoniâ præditâ, ut anum eroderet, dyſuriamque pareret, translata materiæ portione ad urinas: dyſenteria erat in procinctu: ingreſſus tepidum ſemicupium illicò liberatus ſum, *Riverius refert cent.* 2. *obſ.* 69. ſed debet notari, ne cacochymia major adſit, ne ſic eliquaris ſuccis, & laxatis humectatiſque inteſtinis, ac vaſis ad ea pertingentibus, alvus effuſius ſolvatur.

Colliquativa diarrhœa, in Hectica, Phtiſi &c. cum non niſi curato primario morbo cedat, temperantibus ſaltem, quoad poſſibile, coërcenda eſt.

Tandem diarrhœâ diuturnâ curatâ, pro fibrillarum nimis laxatarum, & debilitatarum confortatione, in uſum poſſunt venire adſtringentia, propriè dicta, *ex cydoniis, meſpilis, myrtillis, granatis, cornis, ſyr. de agreſta, de ribeſiis conditis, conſerv. roſar. vitriolat. marmelada diacydon.* &c.

Inter externa, quæ in omni diarrhœa, nullo modo negligi debent, primum locum tenent *olea*, v. g. *ſtomachal. maſtichin. macis deſt. abſynth. menth. carvi* &c. uno vel pluribus ſtomachus & venter illinantur, & tum ſuperimponatur *Empl. ex theriaca cum terra ſigillata, nuce moſchat. Balſ. Peruviano* &c. factum; Vel & *cruſta panis toſta, nucis moſchatæ* pulvere conſperſa & ▽. *menthæ, vel cinamomi* irrorata, calidè applicata optimè conveniet: *calidus enim fotus,*

tus , *& calidus potus* optima sunt hujus morbi antidota.

Diætam quod attinet, in hac cibus sit paucus, & moderatus, ne ventriculus oneretur, carnes juniores concedantur & assatæ; Pulticulæ veniant in usum ex oryza, vel milio, & lacte; vel & ipsum lac bubulum, cum vitellis ovi, ex *Borelli* commendatione concedatur, modo febris, & ejus causa acidum, non adsint.

Si cydonia patiens desideret, in declinatione ea concedi poterunt, & quidem ante cibum alium, aliàs post eum data, alvum laxant: quemadmodum cautelam hanc *Ex. Wedelius de simpl. Med. facult. p.* 42. notavit.

Ova sorbilia, cum tragacanthi pulvere hausta, etiam commendant authores.

Quid tandem *mespila immatura*, in nonnullis alvi profluviis possint, *Forestus lib.* 22. *obs.* 1. pertractat, ubi inter alia refert, ægrum quendam, cum nullis aliis remediis curari potuisset, tandem mespilis comestis convaluisse. Sic & decoctum eorum insignis efficaciæ æstimat *Jonstonus.*

Potum quod concernit, is cum fotu calido pari passu ambulat, *quamprimùm* enim *ægri potum ingerunt frigidum, mox alvi sentiunt stimulum*, propterea potiùs sit calidus quàm frigidus, vel saltem temperatus.

Quantitatis ratione parcus sit, commendante etiam id *Foresto l.* 22. *obs.* 4. ubi potum parcum

in quavis diarrhoea, alvi solvere fluxum asserit.

Ubi cerevisia expetitur, vel aliàs in usu est, concedatur ea, neque vetustior nimis, utpote plerumque acescens, neque recens, sed mediocris ætatis, *cum pane tosto* & *nucis moschatæ* pulvere medicata.

In fine vero, vel si febris abest, aut in leviori diarrhoea, *vinum* detur *absynthites*, aromatisatum, *Elix. propr.* vero cum jusculis propinetur.

Vel si febris adest, & vigiliæ exsuperant somnum, *emulsiones amygdalatæ* propinentur.

Aut detur potus ex *aqua C. C.* cui mensuræ uni *mastichis* ℥ij. ac *macis* ℥j. incocta sint, cui tum addatur aliquid ♂ *sacchari ni*: Vel crocus hic, cum sola ▽a panis concedatur.

Dysenteria.

VIx à Diarrhoea differt, nisi quod cum torminibus, & fluxu magis minùs cruento, excruciet, ubi è contra hæc, absque torminibus, ac sanguineo fluxu quandoque saltem molestet; utque adeò non nisi *gradibus differre videantur*, cùm præterea facilis unius in aliud sit transitus.

Quando etenim corrosivæ, acidæ particulæ, (quæ in diarrhoea magis minus fortiter saltem irritarunt, & plorare fecerunt intestina, contentos tam, quam transmissos succos vel humores) adeò sunt vel fiunt acres corrosivæ, ut cor-

corpus nostrum penetrantes, tum in intestinis præter glandulas & fibras nerveas, etiam ipsa sangviveha vasa corrodant, vel concitent ad sanguinis profusionem usque, tum Dysenteria fluor ille audit, secus quam si absque sanguinis profusione, & torminibus, corrosivæ istæ mitiores particulæ, saltem ad exitum magis paratos succos stimularunt, sicque Diarrhœam excitarunt. Est propterea Dysenteria nil nisi Diarrhœa torminosa, vix singulari capite pertractari digna, cũ ex præcedenti capite simul curatio peti posset; nisi cum accidentibus quibusdam magis molestis, aliter ac diarrhoea excruciet, hincque fortè seorsim tractari mereatur.

Est verò Dysenteria dejectio alvi frequens, plus minus cruenta, ventrem magnis doloribus, & torminibus affligens, & ab intestinorum continua forti irritatione, quandoque cum exulceratione juncta, trahens originem.

Affectus *Subjectum* uti in Diarrhœa, sunt intestina tam tenuia, quàm crassa, modò separatim, modò conjunctim, cum suis glandulis & vasis aliis. Subjectum causæ suppeditant non tantùm ventriculus, sed & quandoque totum corpus cacochymicum, sive acrioribus humoribus repletum.

Signa quæ malum hoc adesse significant,

sunt ut in definitione, maxima *intestinorum termina*, hæc quæ *agmen ducunt*, subsequuntur dejectiones, & quoties dejicitur alvus, ingens sentitur cruciatus, & intestinorum depressio, cum dolore, & molestissimo viscerum sive interaneorum quasi descensu, ac tenasmo!

Dejectiones vero non sunt stercorosæ, sed nunc simpliciter mucosæ, nunc intermixtim sanguineæ, nunc vero simpliciter sanguineæ; Ubi sanguis plus minus simul excernitur, *Dysenteria* audit *cruenta*, si vero mucosa superabundant, vel solitaria sunt, vocatur *Dysenteria* alba, sive incruenta.

Aliquando adest febris magis minus ardens, & tum lingua mucilagine densè obsidetur, quæ si vehementius æstuat corpus, nigrescit, & sicca fit.

Præterea prosternuntur vires, ægri sunt inquieti & anxii, sitis admodum torquet.

Tandem procedente morbo, & corrosione progressus majores faciente, ac vasa majora erodente, sanguis copiosius effluit, & ramenta quædam decernuntur, & tum pluribus disruptis vasis, & fibrillis intestinorum variis, in cincinnos resilientibus, humores ibi circulantes subsistere coguntur, unde inflammatio & gangræna sensim acceleratur.

Quæ verò intestina in specie affecta sunt, qualitas non tantùm doloris, sed & species eorum quæ dejiciuntur, & ipse dejiciendi modus, docebunt.

bunt. Quò major vero malignitas, eò atrociora ſunt dicenda, vel dicta ſymptomata.

Quod *ſi* enim *tenüia inteſtina ſint affecta, dolor adeſt acutiſſimus* ac vehementiſſimus, non rarò junctam habens *febrem perpetuam*, *ſitim*, *nauſeam* &c. Sic & circa umbilicum & in regione hypogaſtrica, magis percipitur dolor: Neque alvus ſtatim poſt tormina excernit, magiſque permiſta ſunt invicem excrementa, ſanguis mucus: *cruor* ſcilicet *cum omnibus fecibus permixtus eſt*, propter longius iter, quod unà perfecerunt.

Aliter ſe res habet, *ubi craſſa ſunt affecta, dolor* etenim *non eſt adeo vehemens ac diuturnus*, ſed remiſſior & obtuſior, quia inteſtina hæc ob carnoſitatem ſenſu non ita pollent exquiſito, nec tot vaſis referta ſunt ac tenuia: Fit & *excretio ſtatim poſt tormina*, quoniam tantis non gaudent circumgirationibus inteſtina craſſa, ac tenuia: Sic & cruor materiaque purulenta, ac alvi excrementa facilè ab invicem diſtingui poſſunt, & dolor in infimo ventre percipitur, proptereaque quia inteſtina hæc magis diſſita ſunt à ventriculoq;, *non adeo nauſea aut vomendi conatu*, qui admodum reddit anxios, *excruciantur*, ac aliàs fit in inteſtinis tenuibus, ventriculo propius adhærentibus.

Si vero fluxus ſanguineus & purulentus, abſq; ulla ſtercoris admiſtione obſervatur, indicat

omnia laborare intestina, vel totum ventrem.

Differentiarum aliarum ratione, alia Dysenteria *vel benignior* est, *vel maligna omninò*, aut *pestilens*, vel *epidemica*, magis aut minus maligna, raròenim absque contagio est, secus quàm aliàs diarrhoea esse solet.

Sic & differt ab aliis sanguineis alvi fluxibus, uti hæmorrhoidalis ille est, vel quando consuetus sanguinis fluxus suppressus, in quibusdam locis, per alvum sibi viam quærit, ut accidit mulieribus quandoque, suppressione mensium laborantibus.

Differt etiam à fluxu hepatico, qui tamen species quædam est Dysenteriæ, sed absque exulceratione.

Alia item est Primigenia vel Symptomatica, ut est in peste, febribus malignis &c. alia critica, quando alios insequitur morbos, &c.

Causa immediata sunt ut in Diarrhoea, non tantùm varia intestina constituentia vasa, ad excretionem irritata, sed & ipso actu quandoque corrosa, vel ad sanguinis profusionem etiam stimulata & concitata.

Mediatam proximiorem causam constituunt acres, corrosivæ, acidæ humorum variorum, vel circulantium, vel in intestina jam, pro alimentis ritè dissolvendis, depositorum partes, variis occasionibus nonnaturalium rerum enatæ, & acres factæ.

Non

Non vero *semper dolor* ille qui dysentericos excruciat, *à corrosis est intestinis*, sed consistit utplurimum *in convulsivis, spasmodicis intestinorum motibus*, mediantibus quibus, intestina ad tantas stimulantur, & coguntur excretiones: Spasmo enim tali irritata intestina se contrahunt, & mirè contorquent, ac quasi exprimunt contentos humores, & *vi quadam exprimunt*, *unde tenesmus*, & intraneorum quasi descensus sentiuntur.

Propterea etiam sanguis qui excernitur non semper est ex corrosis vasis, sed ex non corrosis expressus: & hinc est, quod specificis remediis tam citò quandoque obediat, quod fieri aliàs haud posset, cùm videamus quàm longum tempus pro cura requirant membranosarum partium exulcerationes. Vide pluribus de his agentem *Holderhoff. tract. de erroribus Med. p.* 33.

Non ergo nisi *in graviori dysenteria exulceratio fortè accidit*, ubi ad interitum etiam fere semper deducit; *mortis* enim *causam* in hoc malo præcipuam esse *intestinorum gangrænam* præter *Riverium* testatur *B. Ettmüller*.

Mucus qui excernitur nil est aliud quàm ex intestinorum innumeris glandulis expressa, & ab acido castrata & coagulata lympha, aliàs in naturali statu, chylo diluendo tam, quàm excrementis fluidis magis reddendis, ac lentore suo sensibilem intestinorum substantiam, à præterlabentibus acrioribus fecibus, ac aliis cruditatibus acidis, tuendam, dicata.

Inter humores, veluti proximiorem affectus propositi causam supra indigitatam, hic præ aliis se sistunt *naturalia solventia, sive menstrua*, dissolutioni sive concoctioni aut digestioni alimentorum dicata, lympha stomachalis *intestinalis, & bilis* videlicet; uno horum vel altero vitiato, & ab accedente quodam acri, acido, in tantam texturam posito, ita ut cum purgante quodam fortiori similem producat effectum, non contemnenda; quin imò ferè omnium frequens, huic malo excitando, exoritur causa.

Succis vero illis, sive menstruis naturalibus vitiosis reddendis, insudant.

Remotiores aliæ, ex triplici rerum serie depromptæ *causæ*: & *ex Naturalibus* quidem, non minimam ansam addit *Temperamentum* vulgò calidum & humidum, sive constitutio hominis humoribus valde mobilibus, acribus, & serosis sive fluidis, ortum debens.

Hisce vero motum addunt *Nonnaturales aliæ causæ*, inter quas primum tenet locum *Aër*, hic enim particulis acrioribus, acidis repletus, occursans similibus in corpore contentis, motum addit præternaturalem, hisque acres suas jungendo, tum singulari gaudet Idea, mediante quâ tantas instituit turbas: semel vero inductus peregrinus talis æther, humoribus junctus, se instar mineræ malignæ habet, & effluviis suis

alio-

aliorum adstantium humores, in similem motum rapere valet, ut & non raro loco sostri, hoc contagium ex ægrorum visitatione, Medici recipiant : & hæc est epidemici cujusque mali ratio.

Non verò aërtantum, sed & *cibus & potus*, affectus nostri, vulgares sunt causæ, quippe vix alia datur, quæ affectum hunc in cineribus latitantem, magis in luculentum perducit incendium, quam prava victus ratio, in quâ tamen præ omnibus eminent *fructus horarii*, *pruna varia, cucumeres, melones, uvæ, potus musti* &c. præprimis ubi peregrino hæc nutrita fuerunt æthere, vel maligna aqua & aëre, hæc namque ceu in sinu acrimoniâ singulari acidâ prædita, ineptum pro chylo succum suppeditant, qui acrimonia sua non succum nerveum, sed & bilem, & lympham invertit, acuit & vitiosè contexit, & sic aptissimum generat fermentum depravatum pro dysenteria generanda.

Sub censum hunc veniunt purgantia, vel majori nimis dosi data, vel commissus, post propinatum purgans, singularis error.

Sic Studiosum quendam Danum, cum ritè præscriptæ & assumtæ potioni purganti, cerevisiam secundariam acidiusculam copiosius, ad extinguendam sitim superbibisset, ex hypercatharsi in gravissimam dysenteriam eodem die incidisse, refert *Cl. B. Straus Palæstræ Med. p.* 189. Ipse memini insignē hypercatharsin accidisse

disse Reverendo cuidam viro ex dimidia saltem dosi pillularum leniter purgantium, post epotas acidulas ad mensuram dimidiam præter propter, & quidem finito per tempus pillularum leni effectu: utque adeò constet, quantum valeat diversarum acrium particularum miscela, & hinc inducta, singulariterque alterata succorũ in corpore contentorum textura.

Ex præternaturalium rerum classe dantur etiam nonnulli affectus utpote cœliaca, lienteria, ac diarrhœa, quæ, progressum faciente acri fermento, nonnunquam in ipsam degenerant dysenteriam.

Prognosin abominabilis nostri affectus, *Hippocrates* quibusdam in locis *lib. 3. de Diæt. sect.* 19. *ut & l. de affectibus Sect.* 24. brevissimis tradidit, vocat enim morbum magnum, & periculosum, item morbum longum, laboriosum & lethalem.

Interim majorem futuræ salutis spem promittit, si robur adest circulantis naturæ, ac crassa saltem affecta sunt intestina, neque malignitas, & corrosio adsunt, neque singultus, convulsiones, deliria, vomitus biliosus, excreta viridia, nigra &c. se adjungunt, in genere si omnia symptomata observantur mitiora.

E contra verò ubi jam dicta conspiciuntur symptomata, v. g. Ubi dysenteria affligit cum vomitu, præprimis singultum comitem

assu-

assumens, & sic stomachum simul affectum esse denotat, tum periculosa admodum est.

Nec minus periculum indicant excreta viridia, nigra vel varia & fœtida admodum, ab atra namque bile incipientem dysenteriam exitiosam esse *Hippocr. sect.* 4. *aph.* 22. *&* 24. reliquit.

Sic & convulsiones ac deliria supervenientia, mortem in olla esse significant.

Neque minori subjecta est periculo, si variolarum, Febris malignæ &c. symptoma est.

Lienteria superveniens, & digestio abolita, appetitus planè prostratus &c. pessima præbent indicia, ut & *singultus in progressu morbi demum se adjungens*, qui in principio aliàs non ita funestus esse solet.

Citam mortem annunciant tubercula, & maculæ nigræ, post unam vel alteram aurem.

Et si tenasmus excruciat cum hiatu ani, ubi clysteres injecti elabuntur statim, ob paralyticam intestinorum constitutionem: vel ubi ob tantam obstrictionem, ex tumore plerumque planè intromitti haud potest enema, plerumq; mortis sunt signa.

Tandem hydrops superveniens, lethale signum, teste *Hipp. S.* 6.

In genere notandum, quod, quo magis tenuia affecta sit intestina, eò periculosius laboret æger, & contra: item quo magis maligna sit

epide-

epidemica dysenteria,& cum febre juncta, eò periculosiorem exitum notare soleat.

Ratione ætatis plus periclitantur senes, & infantes, quam in media ætate constituti, observante hoc itidem *Hippocr. S.* 2.

Mortis vero in omnibus præcipuam causam, gangrænam intestinorum esse denotat interiorum intensissimus æstus, ubi aliàs toti sentiuntur algidi: vel & dolor planè tandem cessans, & absque symptomatum reliquorum remissione, mortem accelerans.

Curam quod concernit, in hac omnia illa' quæ de Diarrhœa notavimus, huic trahi possunt.

Sic v.g. in Dysenteria exulent laxantia, nisi cacochymica cõstitutio, & fructus horarii, mali causa fuerint, ac nulla præsens malignitas rhabarbarinum in principio exigant, vel in specie vomitorium, utpote quo solo Dysenteriam à principio curabilem existere, experimeento, casu quodam facto, comprobat *Cl. D. Albrecht in notis ad Chyrurgiam Cl. Bontekoe p.* 814.

Nec clysteres nisi rarò usurpentur, nisi in Dysenteria benigna, ubi malum est in crassis intestinis, vel ubi in fine & declinatione morbi consolidatio necessaria requiritur, & restitans acrimonia temperanda venit.

In principio verò exhibiti, ceu peregrinum quid, & stimulans, stimulo jam in intestinis

præ-

præsente, juncti, malum augere & exasperare possent.

Cautè propterea in principio primæ viæ abstergantur, ne ut in Dysenteria solutum est, dato, purgante, in deterius ruat malum.

Ubi verò ab initio necessarium videtur purgans, detur illud mistum cum opio, vel præmisso laxativo statim propinetur opiatum. Inter purgantia verò solam *Rhabarbaram* tutam esse *Cl. B. Ettmüller* habet.

Circa adstringentium propriè ita dictorum usum, observentur ea, quæ de Diarrhœa diximus, non enim relaxata, sed irritata sunt intestina.

Ad specifica ergo Anti dysenterica ab initio statim accessus fiat, præcipuè talia, quæ diaphoretica, attenuante & aperiente vi, humoribus circulantibus aliis impeditis, & suum ad intestina motum dirigentibus, vias ordinarias commonstrant rursus.

Quantum enim conducat, corpus calidum, & blando madore irrrnratum conservare, præsertim pedes, experiuntur illi, qui tantulo refrigerio admisso, acerbiores mox sentiunt dolores.

Propterea que & calidus fotus, & calidus potus, non minus quam in Diarrhœa plurimum conducunt, & admodum necessarium sunt requisitum.

Quò vero eò melius corpus ita continuo calore & madore perfusum teneatur, eo quietius oportet ut jaceant ægri, ne mulctis jectigationibus corpus & extrema refrigescant.

Præter modo dicta requisita, remedia antidysenterica, insigni dulcificante absorbente vi prædita sint, quo in intestinis latitantes humores acres corrodentes infringere efficaciter queant: & his ceu universale in hoc malo, semper opium combinetur, præcipuè noctu, ubi ordinariè exasperari solet Dysenteria.

Neque vero iniquæ ab aliis de opio factæ commendationes hic attendantur, cum tutum ejus, & præstantem usum satis experti sint *Lindanus, Willisius, Hæfferus, Barbettus, Wedelius*, & innumeri alii.

Non enim ille dolor gravativus, obtusus, & compressus sub umbilico, cum sensu quodam, ac si materia ibidem incarcerata hæreret, est & accidit ex suppressis per opium secessibus, ut suspicio oriri posset; sed à continuato intestinorum spasmo, in quodam loco pertinacius contractorum, cum sensum ducere originem *B. Ettmüller* in prax[illegible] te[illegible]s est, qui calidis externè abdomini applicatis fotibus, illum sensum cedere asserit.

Quamprimùm ergò tibi occurrerit Dysentericus curandus, ejusque Dysenteria benignior, fructibus horariis vel similibus diætæ erroribus originem debet, tum detur de Diarrhœa laudatum *lavans rhabarbarinum*, si copia crudo-

crudorum humorum ventriculum obsidere observes

Postea *Essentia absynth. elixir. polychr.* ▽. *cinamomi*, *menthæ* &c. propinata, levi modo malum auferunt, etiam absque præmisso purgante, si cruditas humorum non adeo abundare videtur.

Si vero aliquo modo pertinaciter instare velit, detur *Tinctura Bezoardica* cum *anodyna* remixta, vel pulvis alius anti-dysentericus, ex absorbentibus, & bezoardicis aliis, quales modo dabimus, si Dysenteria epidemico charactere contracta fuit; in tali enim fortiori Dysenteria, omisso omni purgante vel laxante, statim accessus fiat ad generosiora hujus morbi antidota. v. g.

℞. *Unicorn. fossil.*
Crystall. præparat.
C. C. s. △*e.*
Theriac. A. aa. ʒj.

misce, fiat pulvis pro 4. dosibus. Nocte, uni dosi adde opii correcti gr. j. Vel

℞. *Laud. opiat.*
Theriac. cælest. aa. gr. j.
Extract. tormentill. gr. iiij. mf. fiant Pillulæ pro dosi.

Ubi Bilis sua volatilitate, in Dysenteria maligna, vim addere comperitur, poterit fieri talis mixtura, qualem *B. Cl. Ettmüller* etiam admodum utilem expertus est.

v. g. ℞. *Aq. tormentill.* ℥ij
cinamomi ℥ß.
Aceti rosacei ʒiij.
Diascord. Fracast. ʒj.
C.C. s. △*e.*
Corall. r. præparat, aa. ℈j.
Tinct. anodyn. gutt. xx.
Syr. corall. ʒvj. mſ. pro aliquot dosibus.

Porrò *Cl. Ettmüller* admòdum commendat *pulv. hepatis viperarum* in Dysenteria maligna, si ritè exsiccatū ad ℈j. propinatur, vel per se aut aliis remixtum. Sic v. g.

℞. *Pulv. hepat. viper.* gr. xv.
Crystall. præparat. ℈ß.
Laud. opiat. gr. j. mſ. pro dosi ter de die reiteranda.

Præter hæc ferè generosiora, plura alia dantur ab aliis tanquam specifica commendata, quorum ingentem numerum vide apud *B. Cl. Ettmüll. in Praxi*, & selectiora alia in *meo Medico Præs. Secul. accommodand. p.* 665.

Si quis sit, qui Electuarium expetit

℞. *Conserv. rosar.* ℥iij.
Diascord. Frac. ʒvj.
Rasur. priapiceti subtiliss. pulveris. ℥ß,
Trochisc. de charabe ʒij.
Corall. r. præparat.
Crystall. præparat. aa. ʒj.

Extract.

Extract. tormentill. ʒiß.

Essent. s. Tincturæ cinam. cum spir. vin. 🜄 *sat. fact.* ʒiii.

Miv æ cydon. aromatic. q, s. f. s. a. Electuarium, de quo sumat ter de die dosin ad ʒij. vel iij.

Hisce vel similibus mitigato malo, & in declinatione constituto, pro consolidandis intestinis, si exulcerata fuere, vulneraria veniant in usum, v. g.

℞. *Radic. symphyt. maj.* ℥ij.

Herb. hæder. terr.

plantag. aa. m. ij.

Summitat. hyperici m. j.

Sem. herb. sanguin. dracon. ʒii.

Rasuræ priapiceti ℥iß.

Coque cum s. q. aquæ simpl. colatura serve-tur usui, v. g.

℞. *Colaturæ* ℥iiij.

Syr. è nuce moschata ℥ß.

Balsami locatelli ʒij.

misce, pro dosi bis vel sæpius de die reiteranda: cera enim, Balsamus Indicus, hyperici, & reliqua Balsami locatelli ingredientia, optima sunt consolidantia, & vulneraria, antidysenterica.

Præter hæc interna verò, jam clysteres non sunt negligendi consolidantes, & anodyni. Sic v. g.

℞. *Lactis dulcis* ℔. j.

Rad. symphyt. ℥j.

Flor. chamomill. m. j. coque & colaturæ adde

Sevi hircini vel pingued. caprill. ℥j.

Balſ. locatell, ℥ß. mſ. detur.

Inter externa, quæ hic minimè negligi debent, vide ea, quæ de diarrhœa commendata ſunt, inter quæ inunctiones ex *oleo abſynth. nuciſtæ, ſtomachali* &c. ſuperpoſito, deſuper aluta theriaca illita, aliis palmam diſputant.

Vel ex commendatione *Kornthaueri*, fiat fotus talis, v. g.

℞. *Herb. abſynth.*
menth.
Fl. verbaſci aa. m. ij.
Calam. aromat.
Galang.
Zedoar. aa. ʒij.
Maſtich. ℥ß.
Thuris ʒij.

Inciſa includantur ſacculo, qui tũ aceto incoctus & expreſſus, calidè applicetur abdomini, & ventriculo.

Vel ad imitationem *Rulandi*

℞. *Fol. querc.*
Furfurum aa. m. iij.
Fl. chamomill.
verbaſci aa. m. ij.

Ex conciſis fiant ſacculi aceto incoquendi, & applicandi calidè.

Si *Tenasmus* excruciat, modò dictæ species cum lacte coctæ, sacculo inclusæ, vel linteis multiplicatis mediantibus, aut spongiâ applicentur ano: vel solo florum verbasci Decocto foveatur anus: & post fotum, per linteum subtile, inspergatur pro exulceratione ani impediendа, pulvis ex *C.C. ust. & mastiche* subtilissimus.

In *Diæta* palmam omnibus disputat oryza, & ex ea parata juscula & pulmenta, ut & cremor hordei, vel pulmentum cum lacte coctum.

Sic & *lac bubulum*, cum *corticibus quercinis* & *cinamomo acri* coctum, & percolatum: cum *vitello ovi* uno vel altero sumptum, optimè conducit in progressu morbi, præprimis inter carnes concedi possunt vitulina, agnina, gallinarum & avium.

Potus sit parcissimus, neque siti respondeat, ejus vero loco juscula calida, decoctionis gallinarum, licet minus grata, sæpius sorbeantur, vel & lac calidum modò laudatum, nec *herbæ Thea decoctum* non concedatur, commendante hoc *Mandesloh in suo itinerario*: vel & *crocus Martis solubilis* meus *saccharinus* potu solutus detur, neque *lac amygd. d.* denegetur.

Motus, etsi morbus inducias det, vitetur, sed ut quiescat & dormiat patiens, omni studio procuretur.

Excrementa deponantur super ⊕ vitrioli, admodum hoc commendante *B. D. Michaele ac Knofelio.*

In fine morbi pro appetitu reducendo

℞. *Elixir polychr.*
aromatici aa. ℥ij.
Tincturæ lap. hæmat. gutt. xx. mſ.
detur ad guttas xxx. vel ultra, ante quemvis pastum, in juſculo.

Dysuria ſeu ardor Urinæ.

Est frequentior urinæ excretio, cum magno conatu, & ægri labore, ac dolore, ardoris ſenſum imprimente, ſed ſine interruptione accidens: exorta ab acrioribus acido-ſalſis urinæ conſtitutivis, in vias per quas tranſit, ſua ſpicula infigentibus, vel effluendo ſaltem compungentibus.

Subjectum doloris conſtituunt veſicæ collum, & meatus urinarius.

Signa, ut in definitione expreſſa, ſunt excretio urinæ dolorifica ardoris ſenſum inducente, es brennt als wann heiß Waſſer durch die Röhr lieffe / inſtituta cum conatu ac labore unde cognatus videtur eſſe hic affectus cum *ſtrangu-*

ſtranguria, ſed *differt* ab hac triplici modo; *in ſtranguria enim guttatim exprimitur urina*, quæ hic ſine interruptione, debita ſæpius quantitate effluit: ſecundo, *non ut in ſtranguria, ante vel poſt mictionem, percipitur dolor*, ſed inter mingendum ſaltem: tertio, *in ſtranguria interna patitur veſicæ ſuperficies*, ubi hic orificium ſaltem ejus, vel meatus urinarius plus minus afficitur.

Cauſa immediata eſt orificii veſicæ, aut meatus urinarii roſio, vel ipſa excoriario, ad quam excitandam

Inter *cauſas proximiores mediatas* adſtant acres acidæ urinarum particulæ, ſtagnando quodammodo acriores factæ: Propterea *quo frequentius veſicam exonerat æger, eò minus malo hoc obnoxius fit*, quamprimùm verò excretionem negligit, & per horas ſaltem aliquot retinet urinam, ſtatim querelæ adſunt.

Acrimoniæ verò dictæ generandæ incumbunt chylificationis inſtrumenta jam vitioſa, lympha ſtomachalis ruditatibus obruta; vel bilis oleoſa ſua volatilitate privata, chylum præterlabentem pro ſua parte haud ritè penetrans aut diſſolvens, nec acidas in eo contentas particulas traſnmutans.

Vel ſimul jam nimis acris, cum acrioribus acidis chyli particulis, in acido-ſalſum concretum abiens.

Necnon succus pancreaticus acido-austerus, vel crassus, chylum non rite diluens & attenuans, sed crassum eum vel denuò reddens, vel dimittens.

Chylus horum instrumentorum ope, nunc ita crudus sanguini vel circulantibus humoribus transmissus, nec per intima dissolutus, varias adhuc acres retinuit particulas compositas salinas, quæ cum sero renes transeuntes, in vesica verò moras nectentes, & fibras vellicantes, & contrahentes, difficultatem primo sentire faciunt, absque interruptione vero exeuntes, acrimonia, vel acutis suis cuspidibus dolorem cum ardoris sensu imprimunt, in anteriore præcipuè fistulæ urinariæ parte.

Causis his enumeratis materiam suppeditant *remotiores* plurimæ *causæ*, inter quas circulantium humorum *Temperies* primo ponitur loco; si enim illi, à primo ortu, particulis acrioribus, acidis vel similibus vitiosè contextis, constent, facile accedente alia ex *nonnaturalibus rebus* causâ, deducuntur in actum: sic cibi infumati, sale & aceto conditi, crudi, acidi, comesti; vinum acidum, cerevisia acida nimis, & recens nimium, bibita, levi negotio dysuriæ causam addunt, &c. Nec cantharidum hic est contemnendus effectus.

Ex

Ex præternaturalibus rebus frequentiorem causam ministrat calculus, hic enim attritu suo, & continuâ orificii vesicæ vellicatione abradit, & lædit orificii membranas, ut urina etiam naturaliter constituta, & Dysuriam, & Stranguriam inducere valeat; semper enim se instar lixivii habet urina, pro copiosis particulis vel absentibus vel præsentibus, minus magis acris.

Nec minus hujus mali causam addit Lues venerea, in hac enim glandulæ prostratæ exulceratæ, loco blandioris lymphæ elaborant succum acrem corrosivum, qui in ipsis glandulis non tantum dolorem excitat immanem, sed & per urethram exiens excoriat, & lædit, sicque dysuriam crudelem, *Chaudepisse* tum dictam, urina effluens excitat.

Quoad *Prognosin* notandum, Dysuriam tam, quàm & alios vesicæ ac renum doleres, testante hoc *Hippocrate S. 6.* in senibus difficilis esse curationis, propter digestionis negligentiam, vel labem, unde non tantùm vesica exulceratur, aut facta excoriatio exasperatur, sed & ipsa urinæ incontinentia generatur.

Si calculus, vel Luis venereæ principium, causam sustinent, tum non nisi primario morbo sublato cedit, aut curam admittit.

Curatio pro ratione causarum instituatur. *Paschal. monet. Pract. c.* 50. ne tytones connniventibus oculis hujus mali causas inspiciant, decipiuntur enim quandoq;, inquit, dum à cal-

culo vesicæ oboriri malum credunt, sicque medicamina comminuendis calculis accommodata præbentes, malum exasperant.

Sic cum Sexagenarius quidam, multos annos vehementi laboraret dysuria, causam alii in vesica, alii in renibus collocabant: eo vero Apoplexia mortuo, nil vitii in renibus aut vesica repertum, sed hepar duriusculum fuit, ita ut manifestè constaret, id vitii ortum esse ex nimia acredine humorum, ad vesicam defluentium, urinæ enim satis tinctæ erant & puræ. *Hessus apud Schenckium.*

Propterea si ruditatum in primis viis hospitantium vitio dysuria sive ardor urinæ enata sit, *Hildanus l.* 6. 52. tanquam præstantissimum præsidium, à viris doctis non tantum laudatum, sed & ipsâ experientiâ propriâ comprobatum, commendat vomitum: Vomitus enim humores biliosos ex hepate, inquit, & venis mesariaicis potenter revellit & evacuat.

Ruditatibus acrioribus sic ex primis viis rejectis, humores circulantes acrimonia varia peccantes, dulcificantibus & attemperantibus optimis corrigantur. Sic v. g.

℞. *Antimon. diaphor.*
Oss. Sepiæ.
Ocul. ♋ aa. ℥j.
Lap. percar.

Suc-

Succini subtiliss. pulveris. aa. ℥ß.
Opii correct. gr. vj. fiat Pulvis de quo ter de die detur ℈j. cum vehiculo idoneo.

Hisce vel similibus paulisper cicuratis humorum acrioribus particulis, accessus fiat ad ea quæ simul vias urinarias, ab acrioribus particulis læsas vindicare valent.

Excellunt vero inter hæc *Succinata*, ut *Bals.* 🜍. *succinatus*, *Ess. succini*, item therebintina, in pilulis præcipuè data, quia spiritus nimis acris deprehensus fuit: nec oleum *amygd. d.* omittatur: vel similia demulcentia, lenientia veniant in usum. Sic v. g.

℞. *Olei amygd.* d. ℥ß.
Vini malvat. ℥iij.
Essent. meæ succini gutt. xxv. mf. pro dosi sæpius reiteranda.

Vel ℞. *Syr. de althea* F. ℥ß.
Bals. 🜍. *succinat.*
mei ☿*ialis aa.* gutt. vj.
Peruviani gutt. iij. mf. pro dosi

Præter hæc optimam etiam præstant opem. emulsiones, ex *amygd. d. semin. frig. papav. alb.* cum 🜄. *melon. papav. err.* &c. factæ, cum *lap. percar.* commixtæ, & *syr. alth. edulcoratæ.*

Nec absque optimo effectu copiosè assumitur *lac*, cum *radic. alth. decoctum* præcipuè si à cantharidibus ortum traxerit malum: lacticinia

nia namque omnia in dysuria admodum conducere *B. Cl. Ettmüller testis est.*

Ad magis liberum reddendum urinæ exitum, fiat semicupium, quo si per tempus insedit æger, tum regio pubis inungatur hoc unguento experto, quo inuncto subitò urinā fluere asserit *B. Cl. Etmuller.* v. g.

℞. *Unguent. martiat.*
Agrippa.
Olei lauri aa. ℥j. mſ.

Sic & clysteres ex lacte puro, vel mucilaginibus mixto, ita efficaces esse, ut quosdam viderit ægros, qui in dysuriis diuturnis, ex solo hoc remedio, & semicupio levamen receperint, *Rivorius de dysuria refert.*

Si excoriatio orificii vesicæ, vel urethræ jam facta est, fiant injectiones ex lacte, cum *radic. alth. herb. malvæ, melilot. parietar.* &c. cocto: Species vero à decoctione & colatura remanentes, pubi calidè imponantur, ad promovendam urinam.

Pro eodem scopo dolorem leniendi, & excoriationem rursus consolidandi, injiciatur etiam *Oleum amygd. d. cum Balsami* guttis aliquot, v. g. *hyperici*, *Peruviani*, vel alius vulnerarii mixtum, aut illo locatelli, ceu præstantissimo vulnerario addito.

In *Diæta* vitentur omnia nimium salita, acida, acria, cruda, infumata, vel & horarii fructus omnes, concedantur verò ea quæ acrimoniam aci-

acidam obtundere quovis modo possunt, & chylum minùs sapidum suppeditant, qualia sunt *lac*, *ova sorbilia*, *oryza*, *hordeum* cum lacte coctum, ex carnibus vero agnina vitulina, columbina &c. chylum laudabilem nullo admodum sensibili sapore aut salso, aut acri constantem, suppeditantia.

Ratione potus omnibus aliis hic antecellit *aqua Theæ* calida continuò sorpta, quippe hæc particulis suis volatilibus oleosis, omnem noxam ab acri urina præcavere apta est.

Quibus Thea deest, ex *Veronica* similem sibi possunt parare potum calidum.

Vel, fiat decoctum ex hordeo, jujubis, sebesten, baccis alkekengi, liquiritia &c. quod pro ordinario potu insigniter etiam & ardorem & dolorem ex urina lenire valet: modò calidus omnis bibatur potus, quia frigidus nocet, & malo pondus addit.

Interdum *dysuria laborantibus materia alba* & lactea ea copia *emittitur*, ut dimidiam matulæ partem, ubi subsedit, occupet: Causa est tum debilitas ventriculi chylum malè elaborantis, tum renum debilitas, recensente ita *Hoffmanno*. Sic *Hollerius* refert se vidisse quendam, qui cum dysuria laboraret, tandem excreto per urinam humore albumineo, dysuria liberatus est. Confirmare hæc videntur ea quæ supra circa causas diximus, ubi chylum haud ritè dissolutum, proximiorem hujus mali causam esse statuimus.

Em-

Empyema.

Est puris intra cavitatem thoracis, vel in utraque, vel in alterutra parte, collectio, respirationis liberæ organa in sua actiore sufflaminans, sicque admodum molestam respirationem inducens, cum tussi continua.

Continens *Subjectum* est una aut altera, mediante videlicet mediastino divisa, vel utraque, thoracis cavitas, inter pulmones, thoracem, & diaphragma, reperibilis. Patiens vero, sunt respirationis liberæ organa, in suo motu præpedita.

Signa quæ empyema in fieri prænuntiant, sunt pleuritis, peripneumonia, angina, aut sanguis intus post vulnus &c. suffusus, haud benè soluti aut judicati, quibus si post unam aut alteram Septimanam, sine prægresso sputo copioso, rigores, & febris, spirituumque languores superveniunt, suspicio empyematis secuturi major erit.

Et tum post dies XIV. aut XX. empyematis nunc facti signa sunt, *respiratio difficilis*, cum tussi quidem continua, sed *sputo magis suppresso*, item circa diaphragma potissimum gravitas, materiæ fluctuatio, & corporis situ mutato, molestus sensus, sitis, *febricula constans*, & tertia aut quarta *post pastum* hora, *genarum rubor*, totius inquietudo, & *vigiliæ*.

Dif-

Differt vero empyema ratione præcedentis affectus cujus soboles est. Sic v.g. quando *pleuritidem succedit*, tum ab apostemate in latere suppurato & disrupto oritur, & sæpissimè purum pus in pectoris cavitatem decidens, empyema hoc constituit.

Si vero *Peripneumoniæ soboles* est, tum materia ichorosa circa phlegmones locū congesta, & stagnando putrescens ac crassescens, tandem membranam investientem & sic pulmones perforat, in cavitatem thoracis vero tum delabens purulenta materia potius, quàm pus merum, empyema producit. *Willisio* ita sentiente.

Post lapsum autem, aut casum gravem, vel post vulnus, sanguis in cavitate suffusus, empyema efficit sanguineum.

Causa affectus nostri *immediata* ex definitione patet.

Mediatam proximiorem ministrant supra dicti affectus, pleuritis videlicet, peripneumonia, angina, casus, vulnus &c. nunquam enim per se incipit hic morbus, sed semper ferè illorum haud ritè judicatorum effectus est, & productum: atque sic causam efficientem constituit materia purulenta, aut sanguis in thoracis cavitatem effusus.

Quomodo vero purulenta illa materia generetur, & ex quibus causis, vide de pleuritide vel phthisi.

Hoc

Hoc ſaltem hic *notetur*, *pus illud, ſive purulentam materiam, non eſſe ex ſanguine*; cum enim nulla puris fiat generatio, abſque prægreſſa inflammatione : hæc vero à ſanguine non fiat; hinc nec pus inde ortum ſumens à ſanguine erit: *Sed coagulans illud acidum* in ulcere vel inflammato loco ſtagnans, *adductam coagulat lympham*, non aliter ac acetum forte, oleum olivarum, certa encheireſi immixtum, coagulat in materiam albam. *Cl. Pechlinus* in certa diſſertatione quadam, mentionem facit vulneris cujusdam in pectore, è quo curationis durantis tempore 120. unciæ puris effluxerunt.

Non vero credibile, hoc pus à ſanguine ortum traxiſſe, quippe qui ab initio ſaltem copioſè effluxit, conſolidatis verò rurſus venis, ſubſtitit, interea attamen pure poſtmodum ſingulis diebus ad uncias tot exeunte.

Prognoſis hic nobis ſiſtit affectum admodum periculoſum, quippe is curam non tantum requirit periculoſam, ſed & eandem non ſemper admittit, quin ad tabem, & mortem tandem ducat ægrum; prout enim rara ſunt empyicorum exempla, tanto rarior eſt eorum cura.

Curatio vero vel *empyema factum*, *vel illud in fieri* reſpicit : illud nulla niſi Chirurgi opera curabilis exiſtit ; hoc medicaminibus

ex-

expectorantibus, nec non evacuationem per urinas, & sudores blandè moventibus, qualia pro peripneumonia curanda aliàs exhiberi solent, tentetur: quibus tamen nil proficientibus, & empyemate adhuc vel manente, vel aucto, ad paracentesin progrediatur, (modo vires constent:) cùm melius sit anceps experiri remedium quàm nullum, in desperato aliàs malo: suadente ita *Willisio*.

Optimè verò considerentur hujus morbi jam facti indicia, ne eo nondum facto, frustra, & cum sensibili noxa paracenthesis celebretur.

Si ergo à pleuritide vel peripneumonia effuso in cavitatem pure, vel à sanguine post vulnus, aut casum suffuso intus, fluctuatio percipitur, cum sputo nullo, vel diminuto, tum alvo subducta, & humoribus circulantibus per anodyna & similia ritè contemperatis, sectio instituatur, modò virium robur non quidem ex pulsu, sed indiciis aliis constet: utpote si æger vel adhuc sedere, vel ambulare queat. Pulsus namque in hoc casu fallit, quippe qui ob respirationem difficilem, fit inordinatus, celer, vel parvus, etsi æger satis adhuc sit validus.

Si verò empyema post pleuritidem, vel peripneumoniam, non ante 30. aut 40. diem, demum perficitur, quando vires nimium sunt attritæ, pulmonesque jam læsi, vel simul hectica adest, ac respiratio laboriosa ac brevis, pulsus debilis ac celer, sudor frigidus, cum diarrhœa

colliquativa quaſi, & crebris ſpirituum deliquiis, ſtatum deploratum adeſſe annunciant; intermittatur ſectio, ne Medici ſuaſu, qui aliàs morti proximus eſt, occiſus eſſe dicatur.

Sectione verò tandem facta, ſi pus album, aut aliàs laudabile cum euphoria exit, & inde pectoris gravitas, ac diſpnœa remitti, ægerque quoad alia ſymptomata melius degit, de optata cura vix dubitandum. Secus quàm ſi pus nullum, aut malum, vel tenue, ſubcruentum, fœtidumque effluit, tum curta erit, pro concipienda ſpe, ſuppellex.

Operationem verò ipſam quod concernit, hanc alii commendant; alii ceu periculoſam eam rejiciunt. *Van Horn* in ſua *microtechne p.* 2. judicium hoc eſt; Paracentheſis, inquit, magis eſt periculoſa, quàm vulgo creditur, cùm enim pulmo ſemper lambat internam thoracis ſuperficiem, & ab eadem in exſpiratione admodum parum recedat, vix poterit ſcalpelli aciem idem effugere; deinde non poterit commodè pus exire.

Tandem ſi pus prodeat, probabile mihi fit, ex ipſo pulmone, poſt vulneratam ejuſdem tunicam, provenire: quæ cauſa eſt, cur raro optatum ſcopum conſequatur Medicus, ſed æger plerumque paulò poſt intereat.

Deinde etſi operatio ex arte inſtituatur, nullus tamen percipitur aliquando puris egreſſus, quia illud hæret, non ſupra diaphragma fluctuans,

ans, ſed incluſum ſacco cuidam, efformato à connexione pulmonis cum ſuccingente membrana.

Sat ſanè rationum pro explodendo tam periculoſo, quàm dubioſo, vel ancipiti remedii genere.

Si tamen occurrat quidam Scipio, valentis admodum circulantis naturæ, qui potiùs in ſuo corpore anceps cupiat experiri remediũ quàm nullum, is juxta methodum à *Barbette in ſua chirurgia* traditam tractetur. Aperiatur nimirum pectus intra 5. & 6. coſtam ab inferiori parte numerando, ſi enim altius ſectionem inſtitueres, pericardium; ſi inferius, diaphragma læderes. Plura vide apud ipſum *Barbette*, in Chirurgia, & *de Diemerbroeck in anatom. l.* 9. & alios.

Epilepſia.

CUm nil aliud ſit quàm periodica, habitum nunc adepta convulſio, propterea ejus cauſa, ac curatio ex capite de convulſionibus petatur.

Pro majori verò ibi traditorum confirmatione, lubet hic experimentis & phænomenis aliis, ejus curationem pauliſper fuſius dilucidare.

Venæ ſectionem quod attinet, *Hippocrates, ut P. Salius Diverſus l. de affect. partic. cap.* :. probat, cauſam hujus mali credidit fuiſſe

sanguinis ad partes superiores irruptionem, cerebrique vasorum affatim factam repletionem; hincque eandem epilepsiæ assignavit curam, ac Apoplexiæ, sanguinis scilicet copiosam eductionem, in ipso paroxysmo.

Cum vero præsentibus convulsionibus, vel alias ob causas, vix commodè institui aliquando queat V. Sectio, ac *Barbette in sua praxi* præterea benè distinguere doceat, an in paroxysmo V. secanda an non? cùm in paroxysmo aliquando levem V. sectionem profuisse: aliquando verò tam in quam extra eum institutam adeo nocuisse, ut graviores indies paroxysmi redderentur, referat: Propterea tutius videtur *Zacuti* consilium, qui si ex ubertate sanguinis enata esset epilepsia, ac ea æger periculū incurrat, venam secare jubet, inter accessionem & accessionem. *Prax. hist. lib.* 1. *cap.* 6.

Cum verò ex nostris principiis Epilepsiæ causa acrimoniam lymphæ nerveæ & spirituū nervos in fine potius constringentem, & vix in principiis nervorum talia phænomena producentem, ac si nonnisi veluti causam secundariam etsi antecedentem sanguinem agnoscat, hinc raro etiam sanguinis eductionem proficuam esse posse, nisi ex accidenti ferè credo.

Accidit enim aliquando ut non tantum fluidum nerveum in suis vasis stagnet; & convulsiones excitet, sed & simul sanguis circulans in suo motu libero præpediatur, illo stagnante, tum

tum sanguinis missio ex accidenti poterit esse ex usu. Casum recenset *Bonetus indic. Med. Pract. p.* 168. Anno 1675. refert; Nobilis puer Bernensis, ex terrore panico sævissima corripiebatur Epilepsia, rubebat facies & tumebat: cùm paroxysmus jam ad tertiam horam esset protractus, ex consilio meo & *D. D. Crameri*, aperta cephalica brachii sinistri, unde tanto impetu erumpebat sanguis, ut intra XX. horæ partem, totum exhaurire licuisset: illicò remansit paroxysmus, sanusque, citra recidivam, postridie factus.

Sane non in hoc casu tam stagnans sanguis, quàm fluidum nerveum ex terrore stagnans, convulsionum fuit causa. Commoto verò rursus sanguine, & ille liberum recuperavit motum, cessante terroris idea, & constrictiva vi, quæ sanguinis motum simul sufflaminaverat.

Puella XII. annorum epilepsia frequenter corripiebatur, pleuritide autem ea correpta, pluries ei secta fuit vena, & ab eo tempore epilepsiam nunquam passa fuit, inde colligi *Riverius cent.* 4. *obs.* 38. inquit, sanguinis missionis in hoc morbo efficaciam.

Sed videtur non tam sanguinem stagnantem aut copia peccantem produxisse epilepsiam hanc, quàm nervei fluidi, vel circulantium aliorum humorum adstringens austerum, quod tam fluido nerveo in suis vasis viam præcludere, & sic convulsivos motus excitare,

quàm reliquis humoribus aliis in locis, v. gr. in pectore, pro inducenda pleuritide, vias constringere potuit. Morbo verò hoc, pleuritide scilicet excitatâ, non tàm adstringentis austeri copia sanguine emissa, quàm à lympha stagnante absorpta & alterata fuit, sicque causâ epilepsiæ sublatâ, effectus cessavit.

Si rem exactius paulò trutinamus, comperiemus in tot & innumeris allegatis casibus, causam redire ad adstringens aliquod austerum, vel vitiosum acidum, sive hoc jam sanguini solum adhuc reperiatur immixtum, sive à nervis jam vitiosè contextis illud sit cum lympha admissum, & à sanguine, ob pororum convenientiam segregatum, aut à visceribus aliis jam reperiatur genratum, & ex eis, veluti ex minera maligna, circulantibus humoribus, & sic nervis transmissum. Ubi tamen non omninò negamus, aliquando ex accidenti, V. sectionem admodum conducibilem posse esse.

Vomitoria in hoc morbo quod concernit, de his notavit *Septalius*, se nullum illis vidisse levatum, sed omnes gravatos, quod vomitus caput jam affectum amplius concusserit.

Sed hæc ratio valet ubi cerebrum primariò laborat, & vitium in principio nervorum vitiosè latet contexto, vel ubi fomes in aliquâ habitus corporis parte delitescit.

Quando verò epilepsiæ primi natales sunt in

in ventriculo, aut partibus vicinis, vel humor peccans huc facilè se trahere queat, ac æger ad vomitum aptus, tum sanè non præstantius dari remedium vomitorio, insigniores hujus seculi Practici confitentur, & *Massarias* suo tempore asseruit, nullam aliam esse causam quod epilepsia rarò curetur, quàm quod in levioribus semper hæreant Medici.

Propterea *Riverius* per plures menses purgationes esse continuandas suadet, imò ad fortiora aliquando transeundum esse injungit chymica. Et ille quidem, illud remedium, à quo felicem eventum speravit, *Mercurium cum auro calcinatum* longo ignis regimine, esse dicit. Qui mercurius mihi videtur nil aliud esse quam *Azoth* illud *Heslingii*, quod ego aliquoties in aliis meis opusculis communicavi.

Sed cùm antimonialia securioris sint operationis, mercurialibus vomitoriis haud indigemus: non verò in, sed extra paroxysmum dentur; nisi à venenis assumtis paroxysmi trahant ortum, in hoc casu namque quam celerrimè in ipsis etiam motibus propinetur vomitorium.

Willis in sua cerebri pathologia c. 3. admodum in eos invehitur, qui præsentibus convulsionum paroxysmis, affectos erigunt, & brachia, crura eorum à motu convulsivo cohibent, aut in hoc vel illo situ constringunt: item quod

ſternutatoria naribus inflent, cardiaca fortiora ori ingerant, aut cucurbitulas vel ſcarificationes adhibeant &c. hoc enim modo duplicem naturæ moleſtiam inferri ait, tam à morbo nimirum, quàm ab adſtantibus: Propterea præſtare dicit paroxyſmum juxta morem ſuum tranſire permittere.

Et verum eſt, non minus ſtagnantem, & ſufflaminatum fluidi nervei motum, in epilepſia, quàm à tarantulæ morſu, ac ſingulari lymphæ nerveæ & ſpirituum conſtitutione, inductum, motu rurſus curari oportere: quem in epilepſia, ipſa circulatio humorum, in extremis vel minimis vaſis impedita, per majora vaſa forti propulſione compreſſioneq; protruſa efficit: quæ in tarantiſmo mediante ſingulari ſono demum in actum deducitur.

Sternutatoria quod attinet, de his notandum, quod, cum in quibusdam Epilepticis obſervatum ſit, ſternutatio modò paroxyſmum præcedat, modò ſequatur, adeò quidem frequens per dies, vel horas aliquot, ut etiam lactis calidi applicatione mitigare eas neceſſum fuerit, ſubſequente nil minus paroxyſmo; propterea malè adhibeantur, cùm non tam diſcutiant acrimoniam moleſtam, quam excitent & actuent: niſi quis ad ipſam excitationem in paroxyſmo vel in declinatione ea in uſum ducere velit, ubi ſternutatorium ex nervinis conſtans v. g. *Pulv. liliorum convall. caſtoreo, ac ambra* conveniet.

Idem

Idem esto judicium de odoriferis, fœtidis volatilibus, quibus non nisi paroxysmo ad plures horas protracto, levioribus nil juvantibus, locus esse potest: præprimis ubi malum per essentiam, & non ex utero &c. suum habet originem, in hoc enim casu *oleum succini*, *spir. *ci succinatus*, *castorisatusque* malum admodum pessundant, & paroxysmum obtundunt.

Sic *Sylvium* Spir. *ci urinosum semper secum gestasse dicunt, ut in hystericis motibus ad manum esset: Subtiles enim horum subtilium liquorum, volatiles particulæ, nervorum poros impeditè penetrant, & acres constringentes succi nervei particulas infringunt, & ad motum concitant, sicque vias illi liberas reddere intentant.

Specificam aliàs remediorum antepilepticorum vim in eo consistere credit *Willis.* nimirum inesse eis v. g. *pæoniæ, visco querc. liliis conval. &c.* particulas adstrictione præditas, quæ mediante circulatione humorum ad cerebrum, ac nervorum sic principium delatæ, poros nimis laxos & apertos occludere & coarctare rursus valeant, ut sic particulis heterogeneis ingressus denegetur.

Et sanè *Willisius* hâc in parte rem acu tetigisse mihi videtur: Vel enim à primo ortu nervorum pori ita sunt dilatati, vel successu temporis ab appellentibus & fortiter propulsis subtili-

lioribus etiam acrioribus particulis, vim eis inferentibus, ita dilatantur, & aliter disponuntur, ut tum leviter etiam acres subtiles contrariantes particulas admittant.

Testes possunt esse illi, qui ex nimio baccho vel podagram, vel epilepsiam sibi contraxerunt: Sane subtilis talis liquor, quidni & sibi vias paret successu temporis fortiter propulsus quidem, à circulante humorum motu: quemadmodum enim gutta cavat lapidem, etsi non vi, attamen sæpe cadendo: sic pori viscerum & canaliculorum subtilium invertuntur, non quidem semper vi, sed humoribus continuo appellentibus, & fortiter propulsis.

Febris.

ADeò intricata hactenus restat febrium in genere essentia, & vera causa, ut vix unicum ex tot insignioribus nostri seculi Practicis, alteri in omnibus consentientem reperire liceat: dum hic calorem accusat p.n. vel auctum sanguinis circulum; alter affectum eundem sive febrem, fermentationis, alter effervescentiæ nomine effert; alius in bile, in pituita, melancholia, diu explosis illis ac fictitiis sanguinem constituentibus humoribus, variè alteratis aut putrefactis, Causam sive Esse Febrium, quærere intendit: ut adeo, cui in tanta dissentientium turba adhærendum, & cujus vestigiis insistendum, vix decidendum sit. In-

Interim attamen, cum, etsi illi in tot sibi differentibus creditis Febribus, quoad causam sint discordes, in medicaminibus verò ferè unanimes, dum antifebrilia propemodum omnia, in tot quoad symptomata saltem differentibus febribus convenire, & acido magis minus acri, & vitiose circulantibus humoribus infuso, dicata reperiamus: hinc in hoc quidem passu *Cl. Bontekoëus* plurimam partem veritatem acu tetigisse videbatur, quando *unicam statuit Febrem* non nisi accidentibus inter se differentem, & hanc quidem ab alterato circulantium humorum ordinario motu originem trahentem.

Et sanè, omnis in genere Febris nil est nisi effectus, circulantibus humoribus ab acido magis minus acri & corrosivo sive singulari veneno inductus, unde Febrium omnium esse unicum resultat, etsi acidi variè differentis, ac individui hujus vel illius, humorum circulantium singulari texturâ, ab alterius differentium, ratione, diversimodi notentur effectus & intervalla.

Est ergò, ex mente Bontekoei, Febris magis minus lentus, & tardus circulantium humorum motus, causatus originaliter ab acido, plus minus acri, sive singulari veneno circulantibus dictis humoribus vel horum

rum spiritibus p. n. advecto, & eorum poros replente, sicque consistentiam eorundem fluidam, rigiditate sua indurante, & incrassante, inque motu suo retardante, caloremque p. n. pulsum celerem, frigus, rigorem, vel horrorem, & innumera alia symptomata post se trahente, spiritibus, à veneno Febrili quasi in furorem, vel intestinum p. n. motum versis.

Subjectum sunt circulantes omnes humores, tam crassiores quam subtilissimi, non exclusis solidis corporis partibus.

Subjectum causæ *primæ suppeditant viæ* plerumque, ubi diætæ nimirum vitio Febris ortum traxit.

Cum enim sanguis per totum circuletur corpus, exque eo spiritus nervei tam, quam alii humores sive succi, inde segregentur, rursusque in illud regrediantur, fieri non potest, quin simul fluidum illud nerveum cum aliis succis æque, ac partibus solidis afficiantur: utque adeò ferè subjectum suppeditet totus homo: ubi tamē partes fluidæ præcipue subtiliores proximius illud constituunt: & prout hoc vel illud magis afficitur, ita variare solent Febrium symptomata, & mille accidentia.

Sed quoniam lentus circulantium humorum

rum motus, & craſſities, in plurimis aliis etiam morbis præſens, attamen non æqualia Febrilia ſemper ſolet inducere ſymptomata, ob circulantium humorum motum haud univerſaliter affectum, nec craſſitiem ex omni parte æqualem, hinc quibus ſignis in ſpecie Febris ab aliis dijudicatur, hic brevibus tradere neceſſum eſt.

Principaliora verò *Signa* Febrem in genere indicantia; ſunt frigus, horror, vel rigor, tum æſtus plus minus intenſus; deinde Pulſus admodum immutatus, ſolito videlicet frequentior: Id quod ſignum, ceu inſeparabile cujusvis Febris, nunquam abeſſe poſſe, ſtatuit etiam *Piens de Febr.*

Cum enim Eſſe Febrium in ipſa conſiſtat circulantium humorum maſſa, non aliter pulſus quam ejus motum prodere poteſt Febrilem.

Hactenus verò ab omnibus etiam plurimis neotericis, receptum fuit, Pulſum celerem eſſe ſignum citioris circulationis, id quod & febricitantis æſtum confirmare, ſibi fuêre perſuaſi.

Sed cum videamus liquorem aliquem, vel aquam, particulis ſubtiliſſimi ætheris, vel igneis, velociſſimè commotis, ita poſſe incaleſcere, ut non aliter ac ipſe ignis adurat; non tamen eò magis moveri, vel ad motum fluminis inſtar cieri: hinc & ſimili modo ſanguis fervidum æſtum animæ deferre poteſt particulis igneis, vel ſubtiliſſimi ætheris, aut lucis, vel corde ipſo ſuo pulſu in ſanguinem velociſſimum ſuum mo-

motum imprimentibus, etsi massa per se vel lentè moveatur vel subsistat planè.

Sic videmus aquam celerrimè fluentem, vel de vase in vas transfusam, non minus manere frigidam, nec ullum caloris sensum nobis imprimere posse, ac ante immota.

Ut hinc certum sit, calorem non esse consequens liquoris velocissimè agitati.

Sic & obstructiones, vel particulares humorum stagnationes, v. g. in erysipelate &c. pulsum reddunt celerem, & æstum gravem, etsi sufflaminata ibi extet sanguinis circulatio.

Pulsus itaque celer, est effectus, sanguinem crassum & coagulatum plus minus, insequens.

Cum enim crassus sanguis, difficulter admodum, per arteriarum ramulos in venarum minimos transit, hinc forti compulsione, vel propulsione, opus est: Propterea, ne sanguine copiosè in arterias propulso, eo vero in minimis vasis moram diutius nectente, & sic versus cor quasi undam instituente, hoc suffocetur, hinc loco unius pulsus cor tres vel quatuor instituat oportet, ut sic frequenti hac expressione sanguinem crassum eò fortius propellat.

Sic & frequenti expressione præsente, fortè non minus frequens est dilatatio cordis, & sanguinis ex altera parte receptio, præprimis in continuis, quâ parum saltem recipit, ut eò citius expressio facta sit.

Et

Et ſic citus hic cordis motus reſarcit ſuâ frequentiâ ſanguinis haud legitimè conſtituti debitum, motum qui jam tardus eſt ob craſſitiem ex admixtis particulis rigidis, poris tam circulantium humorum, quam vaſorum & viſcerum, admodum contrariantibus, nec eos penetrantibus libere. Quæ vero particulæ rigidæ, cum de ſalis ſint proſapia, ac à ſeroſis & liquidioribus ſanguinis conſtitutivis, facilius abſorbeantur, urinam craſſam, & colore ſaturatam reddunt, & varia alia innumera accidentia producunt.

Sic nervis & membranis forti alliſione frigus, rigorem, horrorem, calorem, dolorem varium &c. animæ deferendum, inducunt.

Ventriculo & inteſtinis ſua impingendo ſpicula, vomitum, diarrhœam &c. concitant; glandulas ſalivales obſtruendo, & obturando, ſitim producunt; Ipſo fluido nerveo ſe immiſcentes, Phrenitidem: Cor vero continuo ſuo tranſitu laceſſantes, continuam debilitatem homini adſciſcunt.

In ſumma, tot hinc dependentia & excitata ſymptomata, plurimis nominibus Febres donarunt, prout particulæ dictæ acidæ, rigidæ, magis huic quam alteri corporis parti ſe inſinuarunt, vel commodum diverſorium nactæ fuerunt; item prout vel copioſæ, & continuò, vel per intervalla circulantibus humoribus transmiſſæ fuerunt.

Propter-

Propterea namque denominationem inde receperunt, *Continuæ*, ubi paroxysmus alter ingruit, priore nondum omnino prætergresso. *Quotidianæ*, ubi singulis diebus quædam percipitur remissio. *Tertianæ*, ubi intra tres dies, unus medius vacuus est. *Quartanæ*, ubi intra quatuor dies, duobus diebus cessat Febris &c.

Ab accidentibus vero aliis, vocantur *siticulosæ*, *famelicæ*, ab inexplebili fame, *cardiacæ* ex dolore cardialgico: *Torminales*, *syncopales*, *asthmaticæ*, *tussiculosæ*, *catarrhales*, *vomitoriæ*, *cacatoriæ*, *sudatoriæ*, *diureticæ &c.* Omnes verò hæ differentiæ, non nisi ab unica causa, modo fortiori, modo debiliori, modo hic, modo alibi, commodum nactâ locum, pro effectu suo exserendo, originem trahunt, quemadmodum id notum facient Febris causæ, inter quas.

Immediata omnis Febris *causa*, est tardus quidem & lentus progressivus, sed intestinus circulantium humorum motus, quem induxit prægressa &

Proximior causa singulare venenum, ex acido, plus minus acri & coagulante, vel corrosivo existente, & spiritibus animalibus immediate infecto.

Acidum hoc circulantibus infunditur humoribus, diversis ex locis, præprimis mediante chylo ex primis viis, vel ex aëre.

Ab eo tamen in primis viis stabulante, magis inter-

intermittentes, ab aëre vero inducto illo, magis continuæ sumere solent ortum.

Focus vero, & locus acidi, pro intermittentibus febribus semper ferè est in primis viis, isque omnium ore præcipuè in pancreate, quemadmodum hoc dolores hypochondriorum in pluribus febribus admodum molestans symptoma, indicare videtur.

Sic & sectiones cadaverum, post mortem febribus insecutam, pancreas induratum, obstructum, tumidum obtulerunt, visceribus aliis satis laudabiliter adhuc constitutis.

Patet etiam, nullum in corpore humorem, ad salia heterogenea dissolvenda ita esse idoneum ac lympham, & serum: propterea nulla magis vasa acido tali humore possunt esse repleta quam lymphæ dicata, inter quæ principaliorem sibi vindicat locum *pancreatis corpus*, ex pluribus conglomeratis constans glandulis, propterea maxima in toto corpore glandula, conjunctim sumpta, *insignis quantitatis lymphæ capax.*

Hæc cùm potissimum sit menstruum ferè, pro magis dissolvendo & diluendo chylo destinatum, non mirum, si eâ vitiosâ, acidâ & crassâ, chylus maneat crassus, acidusque, & aptum suppeditet febribus pabulum.

Febris intermittens.

PRæter lympham bene acidam & crassam, ex pancreate, chylo præterlabenti immixtam, ad aciditatem ejus non minimum contribuere solent bilis crassa, minus volatilis, sed ex acido alterata jam: cùm enim succi hujus bene esse consistat in volatili alcalica oleositate, pro chylo magis dissolvendo, & contentis particulis acidis infringendis, non mirum si eâ haud bene constitutâ, chylus maneat crassus, acidus, per succum pancreaticum acidum, magis crassus reddendus, & sic duplici vitio mactandus, pro inducenda febre tanto citiùs remittente, & eòcitiùs rursus incipiente: hac ratione namque plerumque tertianas oriri observamus, bile videlicet simul acida facta & crassa.

Ubi èontra succo pancreatico solùm acido & crasso facto, quartanæ originem trahere solent.

Prout nimirùm vel omnia digestionis instrumenta sunt vitiosa, pro eo chylus magis crassus, acidus relictus, sanguinem citò magis crassum, & pro sua circulatione brevi tempore minus aptum, sed pro Febribus magis continuis, vel acutis generandis idoneum generat; secus quam si hic saltem aut ille succus digestioni dicatus, vitiosus vel acidus est factus, neq;

ideò

ideo chylus ex omni parte redditus est vitiosus, unde tunc etiam febrem saltem generat benigniorem, sive leviorem, longius post intervallum redeuntem.

In his sane succis, vel omnibus,, vel uno aut altero saltem affecto, & vitiosè acido, latet omnis febris ferè principium, & intermittentium in causa proximior.

Non verò semper adeò brevi temporis intervallo sanguis ex adducto acido chylo ita redditur crassus, ut uno quasi momento febrẽ inducat; sed quandoque labes non adeo sensibilis est, & sensim fabricat febrile fermentum.

Sic fluidum illud nerveum, bilis, ac succus pancreaticus, principalissima illa digestionis instrumenta, non statim in primis viis redduntur vitiosa, licet ibi sæpius subigantur, & castrentur, ingestis vitiosis crassis acidis: sed cum ex sanguine eorum dependeat bene esse, hinc & vitiũ eorum non aliunde ortum trahere potest.

Vitioso itaque reddito sanguine, & crasso, producta non possunt esse melioris conditionis, ex eo enim acido facto tam fluidum nerveum quam bilis ac lympha crassescunt & generantur sive segregantur vitiosa: his vero jam vitiosis, digestionis negotium non potest non administrari vitiosè, & inde resultat vitiosus circulus, & febribus & plurimis morbis aliis chronicis, ministrans certum pabulum.

Videtur ergo hæc intermittentium periodorum verior ratio : videlicet jam dictis ſuccis, vel omnibus, vel uno aut altero ſaltem vitioſo reddito, & acido, ac maſſa ſanguinea iſtis particulis ſimul repleta , & quoad conſiſtentiam craſſa, non ita liberè amplius ex arteriolis minimis, à venarum minimis ramulis acceptatur, propterea verſus cor ſenſim magis moram nectit ſanguis, & ſic in toto corpore, præcipuè extremis partibus quaſi ſtagnando , & ſpiculis ſuis acidis membranoſas partes vaſorum convellendo, & contrahendo frigus menti offert, donec ſenſim cor ſuo fortiori motu , validius ſanguinem propellit , ad ſuffocationem propriam avertendam , ubi validâ hac ſanguinis compreſſione, vaſa turgida conſpiciuntur , & tum inſtante forti hac propulſione, calor incipit, & ſenſim ſudoris eruptio, extenſis namque admodum arteriolis minimis, ſimul protenſæ, & cutis porulis ſubjectæ glandulæ, dilatantur, & ad ſudoris tranſitum aptantur.

Hâc vero actione, liquor ille ſubtilis nerveus ſuam recipit portionem , ita ut non raròdelirium inde exſurgat paroxyſmi tempore, dum forti propulſione etiã heterogeneæ ſimul particulæ tranſmittuntur , quæ poris nervorum vim facientes, ſua preſſione forti animam perturbantes, delirii phænomenon producunt.

Sic bilis, ob ſuppreſſas oleoſas volatiles in ſanguine particulas, ſaltem, paucis vel rudioribus

bus resarcitur, hepate nullas alias separabiles recipiente, & reperiente.

Sic vasa lymphatica, loco lymphæ dulcis, separant & recipiunt salinas sive acidas copiosè adductas, quarum etiam sunt specificum solvens.

Per poros verò cutis, magis volatiles amandantur rursus acidæ particulæ, odore se acri satis prodentes.

Paroxysmo sic ad multas horas protracto, massa circulans, peregrinis suis hospitibus se liberat rursus: Nonnullas extra corpus proscribendo, volatiliores; reliquas ordinariis suis receptaculis amandando rursus. Quæ verò cùm ad sanguinem eas rursus derivent, sic sensim rursus reddunt crassum, poros ejus obstruendo, unde tum de novo resurgit paroxysmus.

Prout vero acidum hoc plures occupavit succos, vel prout copiosè inest sanguini, eo citius regreditur paroxysmus.

Quoniam vero certum requiritur tempus, pro veneno illo rursus colligendo, & sanguinem, ac spiritus de novo eo exagitando, sic periodi inde & intervalla exsurgunt adeo exacta & certa, pro qunatitate vero, vel brevius vel longius, post tempus reversura.

Fundamento verò semel jacto, succis nimirum vitiosis redditis, hi tam diu paroxysmos statis horis repetere faciunt, quam diu sunt vitiosi,

tiosi, circulatioque durat, & quo plus nutriveris, eò in longius tempus febrem protraxeris, quo majori vero inedia sanguineam depauperaveris massam, eò citiùs vitiosum illud acidum subigi comperies, quovis namque paroxysmo, mediante sudore, urinaque quid vitiosæ amandatur febrilis materiæ.

Cibus namque omnis ingestus, vitioso illo acido, primas vias modo contingente, crudus transmittitur & acidus, minus videlicet dissolvitur & attenuatur; sicque nutrimentum & pabulum febri addit copiosum.

Quamdiu vero aliquid, etsi parum, acidi illius febrilis, circulum suum absolvit, dum nimirùm hoc à sanguine, nervis, vasis lymphaticis, glandulis, ac aliis visceribus & eorum succis adducitur, ab his vero rursus communicatur, ac sanguini denuo advehitur, tamdiu febris repetit: & quoniam natura circulans jam inordinato hoc motu, per tempus fuit assueta, hinc assuetudinem hanc servat tamdiu, quamdiu etiam momenti istius acidi febrilis ei advehitur, etsi paroxysmis admodum levibus & brevibus: hinc & amuleta, terror, aut appetitus singularis, non raro talem febrem levi modo planè tandem proscribere solent.

Quo copiosius ergo acidum illud febrile cor-

corpori ineſt, vel communicatur, eo citiùs etiam febris ſuum paroxyſmum repetit.

Sic multiplicari febres videmus, quando Febricitantes intermiſſionis diebus copioſa aſſumunt alimenta, præprimis ſi fructus horarios comedunt, aut ante perfectè abſolutum paroxyſmum præmaturè cibis ventriculum onerant, vel antè paroxyſmum lacticinia bibunt.

Melius ergo illi ſibi conſulunt, qui pertinaci inedia, acidum hoc ſuperare intentant, hac enim methodo plures ab hac moleſtia ſe eripuerunt.

Diverſa ergo febrium indoles, (etſi omnes unicam agnoſcant cauſam eſſentialem:) & tot diverſa ſymptomata, pro cauſa etiam ſpeciali habent, *ex remotioribus*, tot & tantas Naturalium, Nonnaturalium Præternaturalium rerum varietates.

Ex Naturalium rerum cenſu Temperamentum prius conſiderandum ſe ſiſtit, & licet nulla temperies ita ſit exlex, ut non hac vel aliâ febre corripi aliquando queat, vel continuâ ſcilicet vel intermittente, eaque vel maligna, vel benigna; attamen Temperies circulantium humorum, conſtans ſuccis volatilibus, oleoſis, acribus, magis ſebribus

 ſub-

ſubjacet continuis, ſive ardentibus, quàm craſſis & acidis coflata, quæ intermittentibus magis ſubjacet febribus, vel longioribus, vel brevioribus intervallis notatis, prout vel magis vel minùs craſſa ac acida exiſtit circulantium humorum maſſa, & inde ſegregati ſucci neceſſarii, vel unus aut alter, vel omnes.

Ex Non naturalibus Aëris magnum hic eſt pondus, hic enim variis, vel craſſis, vel ſubtilioribus, acidis, acribus, vere, æſtate, autumno &c. particulis turgidus, magnam ſanè pro ſubjectorum, & eorum circulantium humorum temperie, differentiam febrium inducere valet.

Sic verè & autumno, mediante humiditate, acidas copioſas, circulantibus noſtris humoribus addit, & inibi latentes augendo, febres inducit intermittentes varias.

Æſtate magis acrioribus corroſivis turgidus, ardentes adfert febres, illis, quibus circulantes humores jam magis acres, & volatiles exiſtunt.

Quid *cibus* & *potus* hic valeant, ſatis patet, in ſpecie verò cibus crudus, leviter aceſcens, cucumeres, melones, fructuſque alii horarii, copioſè ingeſti, fertiliſſimam produnt febrium meſſem .; nec mihi unquam per vitam excidet memoriâ annus 1678. ubi

ubi per tres ſeptimanas copioſius delectatus u-
vis, febre quartana corripiebar, per novem
menſes vix curabili.

Sub hunc cenſum veniunt alimenta alia, humido-frigida, piſces, fungi; tum & nimium ſalita, difficilioris diſſolutionis, ut eſt caro infumata ſalita &c. his & ſimilibus originem debens chylus craſſus, acidus, minus intimè diſſolutus, & correctus, omnium intermittentium Febrium eſt pabulum, & ſanguinis craſſi, circulationi inepti, cauſa.

Quomodo verò hic reliquæ nonnaturales res poſſint addere ſymbolum, reperies de dolore capitis, Anorexia & alibi.

Ex Præternaturalibus rebus, acidum aliquando pro inducendis Febribus infunditur humoribus circulantibus, ex ulcere quodam interno v. g. Pleuritide, eryſipelate, ſcabie retropulſa, Phthiſi &c.

Sic & tranſpiratio prohibita, non raro hujus aut illius cauſa exiſtere ſolet.

Nec hinc excludimus viſcerum, chylificationis inſtrumentis recipiendis, & ſegregandis, vel generandis, dicatorum, præternaturales conſtitutiones, obſtructiones, vel alias pororum ordinariorum contorſiones &c. fluidum illud nerveum videlicet, aut bilem, vel lympham haud ritè tranſmittentibus.

Prognosis nobis indicat Febrem magis minùs periculosam existere, prout coctionis ac cruditatis signa (sicuti vulgo vocare solent particularum acidarum mediantibus serosis resolutionem, & è corpore proscriptionem, quales urina copioso sedimento, & sudor continere solent paroxysmo finito;) hic observantur bona aut mala.

Quò magis enim, & quo citiùs in urinis hæ heterogeneitatum proscriptiones observari solent, eò citiùs Febrem finituram asserunt, quo minùs, eo in longius tempus febrem non solùm protrahi contendunt, sed & in alios diuturniores morbos degenerare, dicunt.

Quod si acidum Febrile, & circulantium humorum crassities, hoc aut illud viscus, vel receptaculum tanta obstructione notârit, ut scirrhum incurrat, tum præter Febris diuturnitatem, si non immediatè, attamen mediante cachexia, vel hydrope, vel simili malo tenaci, mortem accersit.

Non raró *icterus superveniens*, Febrem solvit, texturâ acidi Febrilis in circulantibus humoribus immutata, & inversa modo sequatur evacuatio aliqua vel per alvum, aut urinam.

Quotidiana, quia majorem sive copiosiorem chyli, ac acidi ruditatem pro causa habet, non solùm solet esse pertinax, sed &

& magis ad Cachexiam, vel hydropem deducit; quo breviores tamen ſunt paroxyſmi, & quo citiùs, ut dicunt, coctionis ſigna apparent, ac in principio vomitus adfuerit, eò breviorem fore exitum, aſſerunt Practici.

E contra ſi acceſſiones, vel paroxyſmi ſint longiores, abſque ſudore, appetituſque admodum dejectus, tum parvam ſupereſſe ſalutis ſpem dicunt. In tertianam mutata, materiæ Febris imminutionem, & ſalutem promittit.

Circa Quartanam notandum, eam quidem ob longiora intervalla eſſe tutiſſimam, ſed ex eo, quod ob errorem vel in diæta commiſſum, vel quoad methodum medendi negligenter tractatam, facilè in alios etiam morbos degenerare queat, æquè periculoſam eſſe.

Sic quoad potum malè ſi tibi proſpexeris, vel præterea viſceris vel glandularum obſtructio pertinax ſe aſſociaverit, hydropem vix declinabis.

Vel ſi humidum, vel lympha non adeo abundet à natura, tum acidum, reliquam leviter coagulando, & canaliculos multos obſtruendo, & occludendo, tabem facilè inducit. Sic raro diſcedit, quin ſui relinquat memoriam per longum tempus, vel multos annos.

Si autumno accidunt, longiores esse solent, neque inveteratæ nisi vere solvuntur. Aliàs omnium Febrium longissimæ sunt & ad annos sæpe plures extenduntur : vulgo tamen non ultra annum durabiles existunt.

Ubi vero Senes sexagenarii ea corripiuntur, vel in continuam hæc Febris mutatur, desperata est.

In genere hyeme urgente, autumno, aut tempestate frigido humida, intermittentium curatio difficilior est.

Frigus extremarum partium præsente æstu mala ominatur, indicat enim vel ruditatum magnam copiam, & contractionis pertinaciam, vel cordis sufflaminatum vel obrutum motum, quo circulantes humores vix propellere valet.

Quo magis crassa ac sedimentis onerata urina exit, eo citiùs crassitiem circulantium humorum cedere, ac Febrem cessaturam denotat, quo magis vero tenuis ac rubra; eo periculosius ægrum laborare indicat.

Curatio Febrium, vel soli committitur circulanti naturæ, vel arti, vel utrisque simul.

Circulantis naturæ initio eo collimat, ut sibi vias & vasa, à crasso & acido sanguine occlusa, rursus reseret, & libera pro suo continuando motu ea reddat, obstruentesque

que humores, vel per ſudorem partim, vel per urinam amandet; partim vero viſceribus, & receptaculis ſuis rurſus recipiendas adducat.

Artis intentio hæc ſit, ut Febrile fermentum ſive venenum in illis viis enervet, & corrigere intendat, in quas natura circulans nullam evacuatoriam, vel expulſoriam actionem inſtituere potis eſt. Sic v. g. in primis viis, in pancreate, in bile, nullam in ſe inſtituit actionem evacuatoriam, niſi ars ſuccurrat, & medicamina idonea in uſum veniant.

Pellit quidem & propellit in has partes ſuas ſecernendas particulas, ſed non propterea expellit è corpore, ac facit in extremis partibus per poros cutis, & in renibus: propterea fermenti ſive acidi, vel cauſæ febrilis proximæ correctio, hic medicaminibus ſolis relinquitur.

Utrorumque opera curantur Febres, quando naturæ circulanti in ſua expulſoria actione, vel per ſudorem, vel urinam promovendo, ſuccurrimus.

In omnis tamen Febris initio, ubi primæ viæ ſaburra acida repletæ ſentiuntur, *vomitorium* propinetur, & quidem immediatè ante paroxyſmum, vel aliquot horis ante eum, ut ante Febris acceſſum vomitus finiatur.

Vel quoniam finito paroxyſmo receptacula, glandulæ, vel vaſa, ſuam portionem febrilis

brilis acidi, quod durante paroxysmo sanguini erat immixtum, maximam partem mediante illa forti propulsione receperunt; hinc sensim rursus ad sanguinem migrantis interceptionem, vomitus finito paroxysmo instituere melius poterit, quàm si ad sanguinem sic sensim amandata rursus est ejus major portio.

Non enim unâ vice sanguini infundi acidum hoc sive venenum febrile mihi persuadeo, sed successivè hoc fieri credo, dum post singulum paroxysmum, ea acidi febrilis portio, quæ à pancreate, vel aliis glandulis, vel ab hepate segregata fuit, sic sensim continuo in sanguinem migrat; vel partim per se, partim chylo immixta; unde rursus nova colligitur materia in sanguine, pro Febre excitanda.

An vero exhibendum sit vomitorium, indicabit inter alia, *nausea*, *oris amarities*, *angustiæ circa præcordia*, vel *vomitus*, in tertianis nonnunquam accidens, qui cum bilis acris & acidæ factæ copiam indicet, leni vomitorio promovendus.

Inter hæc vero omnibus aliis præfero *sulfur emeticum*, vel *tartarum emeticum*, ritè elaboratum.

In Quartanis si ab initio nimis crassus videtur succus pancreaticus, tum plus in Febris declinatione repetitus sæpius vomitus conducet,

ducet, quàm ab initio, acido nimirum succes-
su temporis, & mediis idoneis adhibitis, ali-
quatenus cicurato, & viscidâ lymphâ attenua-
tâ.

Sunt enim qui in principio quartana-
rum, nullum ferè medicamentum adhiben-
dum suadent, præprimis purgans: Vomito-
rium tamen *Freitagius* specificum quartanæ
remedium esse dicit, etiam in principio exhi-
bitum, modo nil sit, quod prohibere possit:
in quo casu aliàs ex *Mercurio dulci ac vita*, velu-
ti insignibus lymphæ coagulatæ resolutivis,
fiat lene evacuans, repetitis vicibus propinan-
dum.

Quoniam etiam ob lymphæ crassitiem,
tam pancreatis, quàm & reliquæ intestinalis,
alvus utplurimùm in Febribus his est obstru-
cta, & non nisi flatus generantur, hinc cly-
steres emollientes, cum carminativis facti,
non raro insignis sunt effectus: sic *Crato in suis
Consil.* gloriatur pag. 770. se solis clysteribus
quartanam curasse.

In Quotidiana cùm insignis ruditatum co-
pia, & acidi quantitas, semper in primis viis
deponatur, hinc per intervalla instituatur vo-
mitus, ut sic sensim fiat evacuatio.

Reliqua omnia purgantia, vegetabilia in
specie acriora, in his febribus vitentur, præ-
primis in statu, ubi copiosa sedimenta in u-
rinis se offerunt, invertunt enim tum circu-
lantis

lantis naturæ motum, & febrem diuturniorem reddunt.

Ubi vero ab initio, vel fine, aut declinatione, simile aliquod expetitur purgans, præsertim in illis qui motibus hystericis levi de causa sunt obnoxii, illis conficiantur pillulæ purgantes, cum additione *chinæ de china*, ac *opii* grano, sub lecti ingressum assumendæ, & reiterandæ, quoties opus fuerit.

Sed cum rarò solis evacuantibus primas vias, Febres cedant, hinc alia requiruntur attenuantia, acidumque febrile corrigentia, ut sunt specifica Diaphoretico Diuretica, non tamen nisi exsuperantibus ruditatibus evacuatis, in usum ducenda.

Non enim tuta potest fieri curatio absque sudore: qui tamen nisi naturæ operâ fiat, non provocetur ante quartum paroxysmum, præcipuè in tertianis *Cl. Ettmüll.* suasu. Quantum verò conducat *sudor*, experientia docuit, ubi observatum fuit, quod Febres, quarum paroxysmi singuli *cum sudore fiunt*, *longè breviores* sint & facilioris curationis, quàm illæ quæ absque eo desinunt.

Sint vero Diaphoretica, vel Diuretica, non nimis volatilia, ne motu subtilissimis potiùs inducto crassiores relinquant circulantium humorum acidas particulas, & subtilissimis serosis particulis eductis, salinas rudio-

rudiores lymphæ magis infigant, & sic recepta-culis hujus ostruendis causam addant : *Temperata* propterea *sint specifica*, absorbendi & dulcificandi vi prædita , roborandique efficacia dotata.

Non etiam *constent ex solis fixis*, vel calcinatis, utpote quæ febrile acidum quidem absorbent, sed non educunt ; propterea, nisi post profligatam Febrem, leni purgante, præcipitata illa Febrilis materia evacuetur, (id quod ipso die paroxysmante aliàs commodè fieri debet :) facilè febris recidivabit , vel insuper multiplicabitur.

Fiat verò simile purgans ex *Ammoniaco*, cum *Extr. Absynthii* ac stimulo idoneo combinato, in forma pillularum ; quale reperies de dolore capitis , & alibi ; Vel ex *mercurio dulci* cum *resina jalappæ* , *&* *scammonio* , ex *Riverii* tanta commendatione , concinnetur.

Magis ergo conducunt Febrifuga, tam alcalia fixa , quàm volatilia, cum calcinatis , item aromaticis, amaris & similibus , inter se combinata, vel in pulveribus, &c. aut forma liquida. v. g.

℞. *Flor. ✱ci ♀isat.* ℈ß.
⊖ *antifebr. alb. Mæb.* ℈j.
Cent. min. vel absynth. vel card. ben. ʒß.
Conchar. præp. ʒj.

Piper. long. gr. xv.

Camphor. gr. viij. mſ. fiat pulvis, cujus ʒß. detur ante paroxyſmum, & paroxyſmo finito.

Vel ℞. *Unicorn. foſſil.*

♁. *diaphoret.*

Ocul. ♋. *aa.* ʒij.

⊖. *urin. volat.* ʒj.

Theriacæ ʒiß. mſ. fiat Pulvis, de quo detur ter de die ʒß. pro doſi. His aliquoties quartanam profligavi. Ubi verò ſudor magis urgendus eſt, quippe vix febricitans perfectam ſibi polliceatur curam, qui ſudare non poteſt; is ſequenti utatur v. g.

℞. *Tinct. Bezoard. absque acido* ʒij.

Anodyn. ʒß. mſ. & propinentur de hoc bis in die gutt. 50. cum *aq. cent. min.* vel cum *vino abſynth.*

Tandem] materia Febrili multum imminuta, craſſitie ſcilicet attenuata, & acido ferè proſcripto, ad conſuetum circulantis naturæ motum inhibendum, quo paroxyſmum aliquando repetit, absque inſigni Febrilis acidi quantitate, conducunt etiam optimè empyrica, quale hoc eſt v. g.

℞. *Nuc. moſchat.*

Nitri puriſſ.

Alumin. aa. ʒj. mſ. & detur pro tribus doſibus tribus paroxyſmis ſucceſſivis, aſſumen-

mendis, dum imminent, expectando sudorem.

Eundem affectum per sudorem præstat *Sem. pastinac. sativ.* ℨß. cum *vino* vel *aq. card. ben.* decoctum, & ante paroxysmum ita calidè haustum.

Alias & *theriacæ* ʒj. cum *succi absynth.* ℨß. cum haustu vini ante paroxysmum assumta, quasvis profligat intermittentes, modo æstus non adeo fuerit nimius, prægressis paroxysmis.

Quod si specificis his fermentum febrile se debellari haud patitur, accessus fiat ad decantatum illud antifebrile specificũ *Chinam de China*: hæc, cruditatum febrilium quantitate prius convenienter evacuatâ, omnem aufert intermittentem Febrem, sed efficacius in substantia quàm in infuso.

Si itaque post repetitas evacuationes, & signis coctionis vulgò vocatis, in urinis observatis, vel adhibitis aliis, haud tamen cedere vult Febris tum v. g.

℞. *Chinæ de Chin. pulveris.* ʒß.
Salis armon. ℈j. mſ. pro dosi.

Vel ex commendatione Blengii

℞. *Chin. de Chin pulveris.* ℈ij.
Salis viper. vol. ℈ß.
Laud. op. gr. j mſ. pro dosi.

Hoc vel simi'e exhibeatur ante, & post

 par-

paroxyſmum, donec emaneat, & poſtea adhuc aliquoties propinetur ad recidivam avertendam. Conſultius tamen eſt in paroxyſmi declinatione exhibitionem auſpicari, ubi febrile acidum corticis alterationi faciliùs pareat.

Alii in infuſo hanc exhibent corticem, & tum quidem vinum auſteriuſculum corticis vim expeditius elicere *Jones de Febrib. aſſerit.* Poterit ergo infuſum fieri compendioſius hunc in modum. v. g.

℞. *Chin. de Chin. ſubtiliſſ. pulveriſ.* ℥ij.
Vini rubri opt. menſur. un. vel ℔iiij.

Stent in loco calido per aliquot dies, ſæpiùs agitando: Poſtea decantatus liquor detur ad ℥iiij. & quidem incipiendo à paroxyſmi præcedentis declinatione, ad ſequentis acceſſionem, ita verò, ut in Quartanis ſingulâ quartâ horâ: in Tertianis ſingulis tribus: in Quotidiana verò, ſingulâ ſecundâ horâ: vel quò intermiſſio paroxyſmorum brevior eſt, eò ſæpius & majori quantitate propinetur doſis, niſi ſomnus obſtet.

Poſtquam verò hac methodo paroxyſmi evanuerunt, continuetur adhuc per dies ſex continuos, mane jejuno ventriculo, corticis uſus, ad recidivam avertendam.

Si in ſubſtantia ſumitur cum conſerva roſarum &c. quia ita efficacior eſt, ſufficere poterit, ſi à declinatione paroxyſmi incipiendo, ſin-

ſingulis 12. horis in quartanis quidem doſis detur, vel tantis intervallis, ut non citiùs evaneſcat prioris doſis virtus, antequam altera exhibetur.

Antequam vero corticem in uſum vocas, prius ante illum paroxyſmum, quo prima vice illum propinare vis, vomitorium exhibe, ut ſic tam ex ſuis latibulis & receptaculis adhuc latens febrile acidum exprimas, quàm & poſt paroxyſmum rurſus ex ſanguine ſe huc recipientem lympham acidam craſſam attinues, & dulcifices, ſicque duplici via febrili fermento ſive veneno ad ſanguinem regreſſum rurſus inſtituturo, vim adimas conſtringentem.

Tutiſſimus tamen, & commodiſſimus corticis uſus eſt, in Febribus diutius, & perſpicuè intermittentibus: Sic in Quartanis, Tertianisque tam autumnalibus quàm vernalibus, clarius intermittentibus, & minus exquiſitis, vix optato eventu deſtituet Medicum & ægrum: modo ne præmaturè nimis in uſum veniat, antequam ſcilicet major acidi coagulantis vis, & humorum crudorum copia, à ſua quantitate majorem partem deperdidit, vel per ſudores, aut urinam, aut per evacuantia artificialia, plurimam partem è corpore eliminata extat, ſicuti hoc commendat *Sydenham*, *Jones* ac alii plures.

Sed ſi fugatis hoc medicamine paroxyſmis, ejus uſus non continuatur, tum morbus poſt aliquot ſeptimanas utplurimum recrudeſcit.

Sic & purgantia fortiora, vel vomitoria cavenda sunt, ne recidivas excitent.

Propterea si ruditates præcipitatæ, copiosè post Febrem remansisse notetur, tum post dies aliquot lene saltem evacuans detur, & quidem minori dosi, & si opus est, aliquoties repetitâ, ne forti purgante corticis vis rursus eliminetur.

Porrò paroxysmus à corticis usu imminutus, aut in melius alteratus, in ejus usu persistendum esse annunciat.

Sensim enim lympham attenuat, & acidum transmutat, urinam copiosam & limpidam pellendo, & sudores liberaliores ciendo, ad significandum paroxysmorum discessum.

Aliquando etiam sedes movet, dum lympham in primis viis fundendo, excrementa fluida rursus reddit, & acidi constringentis vim corrigit, vel bilem acuit rursus, particulis suis alcalinis volatilioribus. Et ex hac causa non rarò hydropem, à Febre ortum, depellit rursus. Sunt qui infusum Chinæ de China hunc in modum adornant. v. g.

℞. *Chin. de Chin. pulveris.* ℥iij.
Rad. gentian. ℥ß.
Fl. cent. min. p. iiij.
Piperis longi ʒj.
⊖*is* ♀*i* ʒß. his speciebus superaffundunt vini rubri, vel alius mensuram unam se-

nis,

mis, sive ℔. vj. & *infusione* legitimè peracta, colaturam sensim propinant.

Willis corticis Peruviani usum, tantùm commodum esse ait, quando paroxysmorum assiduitate vires nimium atteruntur, tum enim inducias procurari, quo natura se recolligat, & vix unum è centum hoc remedium in cassum tentasse asserit: Et qui hac methodo sibi inducias procurarunt, toto autumno & hyeme hostem in procinctu detinuerunt, inquit, donec vere ineunte, & tempestatis ope, plane evanescere fecerunt Febrem. Vulgarem verò is exhibendi modum dicit esse, si corticis ℥ij. cum vino per aliquot horas infusis, ingruente paroxysmo, liquor cum pulvere propinetur.

Præter hæc *Vesicatoria*, nuchis & carpis manuum applicata, febres diuturnas aliquando profligant, vel rigorem cessare faciunt.

Applicantur verò intermissionis die, ita ut earum operatio paroxysmum præoccupet.

Sic & huc spectant rubificantia, vel externa specifica alia, & quidem ex selectioribus fiat tale cataplasma, carpis manuum applicandum. v. g.

℞. *Allii contusi* ℥j.
Fuliginis furni splend. ℨj.

Piperis longi ℈j.
Croci.
Camphoræ aa. ℈ß. mſ.

Sic & *Camphora*, collo & ſcrobiculo cordis appenſa, ſenſim exhalando, Febrem tertianam non rarò ſimul exhalare fecit.

In quartanis cùm non rarò pancreas, imo & lien ita obſtruantur, ut ſchirrhum incurrant, præter martialia internè ſimul propinata, externè applicetur eorum regioni *Empl. de cicuta*, cum *gummi ammoniaco* miſtum.

Helmontis illud, quo ſolo plurimos quartanarios curaſſe ſe aſſerit, ex Tabaco decocto, & ſucco inſpiſſato, & cum cera ac oleo comm. mixto, factum fuiſſe, *Cl. Ettmüller* habet.

Poſt quartanam etiam diſcuſſam, ægri paroxyſmi tempus diu adhuc obſervent, & abſtinentia recidivam declinent, & *Elixir Propr. ſine acido*, *eſſent. abſynth.* & ſimilia pro reliquiis acidi planè corrigendis, & volatilioribus exaltandis, in uſum ducant continuum: nec durante Febre hoc vel ſimile reſpuant, ad anorexiam curandam, etiam in aliis intermittentibus Febribus.

Circa *Diætam* hic notandum, quod quo magis nutriveris, eo magis læſeris, cùm enim ob digeſtionis inſtrumenta debilitata & alterata, chylus laudabiliter haud elaborari, & attenuari queat, hinc vitentur omnia, & craſſum chylum,

lum, & acescentem suppeditantia, ut sunt lacticinia, & dulcia alia, carnes salitæ, infumatæ, suillæ, pisces, legumina, fructus horarii &c. Contentus vero sit æger jusculis ex oryza, hordeo, avena, ovis sorbilibus, pullis gallinaceis, avibus montanis, & similibus levioris dissolutionis & laudabilioris non facilè acescentis succi. Ante paroxysmum vero à cibo abstineat æger, vel jusculo eo die contentus sit.

Potum quod concernit, non priùs is propinandus in paroxysmo, quam sub æstus vigore, & quidem calidus, ut sudor eò liberalior promoveatur. Sit vero vel vinum vel cerevisia absinthites, vel cum aliis amaricantibus aromatisatum.

In Quartanis tamen parcè admodum bibatur, quia copiosus potus in paroxysmo hanc Febrem admodum contumacem reddere solet: Propterea *Crato* in quartanario paroxysmo planè potui interdicit; præprimis verò cerevisia hic nocet. Si vero impossibile sit planè à potu abstinere, ad minimum tamdiu id fiat, donec æstus vigeat, & tum quidem calidus sit potus, cujus primo haustu *Spir.* ✱*cis.* gutt. 40. instillatæ sint, ut tam noxa à potu prohibeatur, quàm & sudor largior fluat.

Intermissionis diebus si alvus officium haud facit, optimè conducit talis potus. v. g.

℞. *Passular. min.* ℔j.
Cortic. citri no. j.

Contusa immitte urceo lapideo, & affunde aquæ font. mensuras duas; in quibus prius *tartari crudi*, vel *cremoris ejus*, *coriandri*, & *cinamomi* aa. ℥ij. decoctæ sint. Tum repone per noctem, mane adde fermenti quantitate castaneæ, linteolo inclusi, & parum fermentari sine, postea colaturam serva pro usu.

In Tertianis vero, vel iis ubi æstus admodum est intensus, serum lactis concedatur, vel nitrum potui immittatur, ad aliquot drachmas.

Aliàs copiosum potum in Febribus intermittentibus quartanis præcipuè, vulgò crurum ædematosus tumor supervenire solet, præsertim si parum sudaverint ægri, vel si denique, post curatam Febrem, nimis cito copioso potu se ingurgitent. Leviter tamen cedit hic tumor, *absynthii essentia*, Extractoque, vel simili frequenti in usu; vel & chelidonii majoris recentis, plantis pedum applicatio, eum cedere facit.

Sic & inter effectus, Febres malè curatas insequentes, Colica convulsiva extat, hæc curetur, juxta normam capite de Colica traditam.

Accidentia vero sive symptomata, Febres vulgo comitantia quod concernit, inter hæc frigus, sive rigorem optimè compescunt, olea destillata, juniperi, caryophyll. macis, &c. ingru-

gruente paroxyſmo ſtomacho inuncta, vel lumborum regioni, aut pedum plantis, ſuperpoſito deſuper latere calefacto, infricata. *Kergerus de Ferment.* ſpir. vini cum linteaminibus abdomini applicato ante paroxyſmum, cum averti poſſe aſſerit, neque hoc de nihilo eſſe *Wedelius* confirmat.

Sed ſi Febris ſolo frigore eſt moleſta, ac totus paroxyſmus, aut maxima ejus pars horrore inſumitur, ab acido magis copioſo circulantibus humoribus immixto, eumque ferè coagulante, & eos in pulſu etiam admodum moleſtante, ſanguiniſque ſtagnationem maximè promovente, tum res ferè deſperata eſt.

Veniat vero in uſum *ſal volatile oleoſum*, ex *ſale viperarum* cum *oleo caryophyllorum* & *pipere*, confectum, cum *Tinct. anodyn.* combinatum. Vel

℞. *Theriac. opt.* ℥j.
⊖ *vol. urin.* ℈ß.
Olei caryophyll. gutt. iij.
Extr. opii gr. j. mſ. pro doſi ſæpius reiteranda.

Ubi verò ſimpliciter magis rigor, quam calor, in Febribus urget, tum etiam *piperis* grana xij. groſsè conciſa, & cum aquæ vitæ cochleari hauſta, ante paroxyſmum egregiè calefacient, illitis ſimul ſupra dictis oleis ventriculo &c.

Sym-

Symptomata alia cessante Febre simul cedunt: vel si hoc aut illud nimis urgeat, v.g. si præcordiorum angustiæ, cardialgia &c. magis urgeant, juxta methodum de cardialgia traditam, mediante vomitu, & aliis, vel externis applicatis, præter convenientia febrilia, curatio instituatur.

Febris continua.

Est admodum tarda & impedita sanguineæ massæ circulatio, inducta ab acido, magis minus volatili, & acri ac corrosivo, circulantium humorum poros obstruente; vel constituentes eorum particulas à sua debita connexione & textura ita invertente, ut arteriarum & venarum subtilissimis canaliculis & poris penetrandis haud amplius quadrent, hac ratione verò minus vel magis stagnando, vel benignam, minus videlicet periculosam, vel malignam, ut plurimum lethalem, inducunt Febrem.

Quantum inter se distent continuæ omnes Febres, ex jam data definitione fit clarum: Non enim nisi gradibus inter se differre, ex sequentibus adhuc magis innotescet.

Subjectum vero, non, ut omnium ferè ore, cor est, sed circulantes omnes humores, à quorum continuo motu interrupto dependet omnis sanitas, à quovis verò modo impedito illo motu, morbus, & à planè cessante, mors irruunt.

Non ergo magis Febrium subjectum cor est, quam reliqua omnia vasa, vel viscera, sanguinem recipientia, & rursus transmittentia.

Omnia namque sunt sanguinis circulantis instrumenta, quæ sanguinem tamdiu recipiunt, & transmittunt, quamdiu advehitur proportionatus: nisi singulari aliquo vitio, rupturæ, vel alterius solutionis, mactentur.

Plurima verò nomina, quæ à veteribus Febribus his imposita fuêre ex falsa hypothesi, ac si quælibet Febris symptomatum ratione ab alia longè distaret ratione causæ: nobis non aliter differentes indicant Febres, quam prout sanguinis circulatio, hic vel alibi minus magis impedita, tot accidentia & symptomata concitat: quorum ratione *singulara saltem merentur nomina, pro gradibus dignoscendis*, quales

Signa nobis patefacient.

Sic quando continua ingruit Febris, quæ hujus vel illius intermittentis exiguum, vel aliquale adhuc phænomenon edit, v. g. Si vel singulis, vel alternis, vel quaternis diebus, ubi inter-

termittens aliàs plane remittere solet, hæc saltem remissionem quandam levem concedit, eam appellamus *continuam vel quotidianam, vel tertianam &c.*

Quando vero hæc vel illa, simul gravia juncta habet accidentia, v. g. æstum magnum, sitim clamosam, linguam aridam, dolorem capitis &c. tum *acutam sive ardentem* etiam insuper vocamus.

Sed si symptomata observamus mitiora, & tardiori motu sua percurrere tempora, notamus, *continuæ lentæ* nomen ei imponimus.

Ubi autem symptomata longe adhuc gravia, corripiunt homines plures, quæ brevi tempore morti eos tradunt, *malignam dicimus adesse Febrem.*

Ecce gradus, qui, pro circulatione magis minus impedita, vel sensim plane subsistente, vel citò, causam vel debiliorem videlicet, vel fortiorem adesse indicant!

Sed cum innumera sint graviora symptomata, quæ Febres malignas vel imminere, vel jam præsentes esse significent, & in genere, sive universaliter, vel particulariter, hanc aut illam corporis partem magis affligere denotent, hinc plura recensebimus Febris malignæ signa, ex quibus tum quædam in specie huic malignæ Febri, vel illi, speciale solent conciliare nomen.

Imminere vero sibi *Febrem* malignam comperietur is, qui tali tempore, quo morbi tales præsertim grassantur, ab ægro quodam, terrore concepto, vel absque hoc, sentit aliqualem horrorem, quem mitis insequitur calor, de quo tamen ab initio conqueri haud opus habet.

Vel si absque hisce signis, subitò sentit virium lapsum, citra manifestam aliquam causam, cum lassitudinibus spontaneis, & membrorum omnium quasi confractione, quæ comitari incipiunt agrypniæ, & inquietudines, ut, quo artus vertat, noctu nesciat, appetitusque cessat, notabilis vero sitis urget, cum arida lingua, etsi calor non adeò urgeat, pulsus item debilescit, vel paulò frequentior ferit, aut naturalis manet, vel caput obtuse dolet &c. tum sanè tempus est, ut Medicus accersatur.

Si enim flocci facit æger hæc etsi levia symptomata, tum quarto die Febrem statum formasse, & graviora plurima symptomata pleno impetu irruere, cum vitæ plerumque detrimento experietur.

Et tunc pulsus, qui hactenus à naturali vix abfuit, jam cum æstu magis intenso fit celerior, & durus, aliquando vero vel communiter parvus, debilis, inæqualis, sicque Protheo mutabilior.

Calor verò etsi foris non adeò vehemens observetur, internè tamen magis urit, præcipuè

cipuè circa præcordia vel regionem ſtomachi, inde ægri vomituriunt, es iſt ihnen ſtäts brecherich/ unde & aſſumta medicamina ſæpiſſimè evomunt rurſus.

Appetitus planè dejectus, ſaporque deperditus, ciborum faſtidium, & nauſea inſuper moléſtant plerumque.

Sitis aliquando mitis eſt vel planè deeſt, etſi corpus inſigniter æſtuet. Aliquando verò admodum excruciat & urget, etſi calor non adeò notetur intenſus: Potus vero conceſſus in ventriculo fluctuat, & anxietatem parit, lingua interim exareſcit, nigreſcit & ſcabra fit, faucesque non rarò inflammantur, vel collum angina afficitur, ac ſic articulata perit loquela.

Capitis dolor vel gravitas, ac æſtus magis minus ſimul moleſtant, auditus fit gravis, accedit delirium, nec convulſiones emanent.

Urina, ab initio præſertim, in admodum malignis, etiam ſanorum ſimilis manet, vel cruda & tenuis extat, deinde communiter turbida eſt & craſſa, ſed perſpicua tamen & intensè tincta, rubra, flammea absque ſedimento.

Alvus plurimis eſt obſtructa, plurimos verò moleſtat fluxus colliquativus, & excrementa ſunt fluida, ſpumoſa, viridia, flava, fœtida &c.

Qui-

Quibusdam accidunt hæmorrhagiæ vel salutares, vel lethales.

Nonnullis sudor fluit cum levamine, aliis frigidus fœtidus absque levamine prodit, aliis parvus, nullus &c.

In aliis se exerunt maculæ variæ, item bubones &c. & quæ sunt similia hujus farinæ, pro diversa circulantium humorum, hujus vel illius, temperie, & viscerum constitutione, circulantiumque humorum majori minori, hic vel alibi impedito motu, tam varia & gravia symptomata.

Pro anni etiam constitutione variantia, & hoc anno pauciora, & benigniora, alio anno plura, & plus maligna existentia.

Et cum morbus hic, tot & tam variis, dubiis, exitiosisque stipatus symptomatibus prodeat, neque ullo anno iisdem hominem aggrediatur, hinc solertissimos etiam decipi Medicos, *Crato* in suis queritur consiliis.

Pro enarratis vero accidentibus, vel hoc vel alio modo hominem varie corripere solitis plura alia emergunt specialia Febrium malignarum nomina.

Sic quando jam interna quædam corporis pars, utpote *ventriculus*, *vesica*, *hepar*, *lien*, *uterus* &c. magis affecta est, & æger istius partis æstum summum percipit, externum vero corporis habitum algere sentit, & tegi semper cupit, cum siti inextinguibili, corporis insigni

jectigiatione, inquietudine, lingua nigra, delirio, pervigiliis &c. tum *Lipyriam* vocant hanc Febrem Practici.

Ubi verò in specie *dolor capitis* magis vehementer excruciat *cum delirio*, *somnolentia*, *cardialgia*, *ariditate linguæ* &c. etsi calor non adeo æstuet & urat, tum *Hungarica* sive *Castrensis* dicitur.

Si vero præter supra enarrata alia symptomata, maculæ simul variorum colorum sine pruritu, circa dorsum, pectus, collum, brachia &c. apparent, tum vocatur *Petechialis*.

Sed si maculæ lividæ, vel stigmata post mortem demum, vel paulo ante hunc conspiciuntur, & plures in una domo, urbe, vel pago, correpti intereunt, quam salvantur, tum *Febris Pestilens* audit.

Et si *anthraces*, *bubones*, vel *carbunculi* insuper accedunt, vel omnes quos corripiunt, vel plures jugulant, tum *Pestis* adest, gravis vel minus gravis.

Sed cúm jam ab initio vix cognoscatur, quâ in specie Febre maligna correptus æger degat, an Hungarica, an Petechiali Pestilentiali, vel simplici, vel ardente saltem: hoc indicabunt plures in vicinia hoc vel illo morbo jam correpti, juxta quam normam consilia tua dirigere poteris.

Causa

Causa Febrium harum *Immediata* est circulantium humorum major vel minor incipiens stagnatio, inducta à proximiori causa, acido-acri corrosivo videlicet, circulantes humores à sua inter se connexione, vel textura invertente, & poris suorum subtilissimorum caniculorum penetrandis, (varias particulas connexione convenienti antea cohærentes & liberè ubique pervadentes, subtilissimosque etiam canaliculorum suorum porulos expeditè penetrantes:) ineptas reddente.

Acutas vero plus minus esse illas corrosivas volatiles particulas, & scindentes, symptomata sanè omnia demonstrare possunt: unde enim dolor, & sensus ubique molestus? unde anthraces, bubones, & inde dependentia ulcera? unde viscera erosa? ut *Cl. Bartholinus* notavit: sanè hæc & plura alia, non nisi à causa admodùm corrosiva, & scindente, ac tam fluidas quam solidas partes à sua ordinaria textura invertente, originem trahere, quis ibit inficias.

Sic à sanguine in carnosis magis partibus stagnante, & eas ob admixtas corrosivas particulas corrodente, vel conscindente, carbunculi oriuntur.

In adenibus, ob lympham inibi retentam, corrosivis particulis turgidam, coagulatam, & stagnantem, Bubones exoriuntur.

 Ob

Ob capillaria vero vel minutissima ad cutem pertingentia vasa corrosa, & hinc sanguinem guttatim sub cute stagnantem, maculæ apparent rubræ, & *quo magis sanguis stagnans crassescit*, eo magis lividæ, aut nigræ redduntur illæ maculæ.

Capitis dolor à majori minori rosione, magis vel minus etiam excruciat. *Sitis, linguæ siccitas*, ob crassam in illis glandulis lympham, ortum ducit. Imo non datur accidens, quod non majori vel minori corrosivitati debeat ortum, lentè sed forti pressione agendo.

Omnium *pessimum symptoma* est *anxietas, & totius corporis jactatio*, & insensibilitas ferè; humores namque circulantes in universum lentè admodum moveri, vel stagnationi omnimodæ, & morti, proximos esse, sic denotatur.

Aliàs plures circa negotium hoc sunt & dantur sententiæ, dum alii inter alias Febrium harum Esse à fermentatione quadam præternaturali deducunt; ad hanc vero excitandam, aliquando concurrere tam ea sanguinem coagulare, quam alia, quæ consistentiam ejus fundere, ejusque mixtionem destruere, contendunt.

Verùm cùm à liquoribus summè mobilibus, qualis sanguis est, (dum omnis qui corpori inest, intra horam tredecies cor transit,) *nulla fermentatio*, nisi omninò, & per tempus stagnen,

ſtagnent, concipi queat, hinc eam eſſe Febrium proximam cauſam, minimè ſit credibile, *ſed loco* ejus *ſanguinem lente ſed fortiſſima preſſione propulſum immediatam eſſe cauſam*, paulò ante diximus; cujus

Proximior cauſa vel incipiens coagulatio eſt, vel texturæ deſtructio, ſive coagulando hoc fiat, ſive fundendo & liquefaciendo.

Eodem namque recidit negotium, ſive enim coaguletur, ſive fundatur maſſa circulans, à ſua ordinaria textura invertitur, & poris ſuis ac canaliculis penetrandis inhabilis redditur.

Sic videmus ſpiritibus corroſivis, ſanguini calenti emiſſo infuſis, hunc nigreſcere & aduri ac coagulari: Infuſo vero ſpiritu quodam alcalino volatili, vel ſale fixo aqua ſoluto, eundem ſuo nexu planè diſſolvi.

Adeoque notamus duplici hac viâ deſtrui texturam. Obſervamus etiam hoc in ipſis Febribus his, ubi aliquando ſymptomata juncta habent, plus ſanguinis diſſolutioni, quam coagulationi vulgaria, ſicuti ſunt hæmorrhagiæ, fluxus colliquativi, dyſenteriæ malignæ, &c.

Pondus verò hic etiam addunt *remotiores aliæ cauſæ*: & ex iis quidem, quod *Temperamentum* concernit, vix ullum hic excluditur, tam enim illi qui ſuccis abundant minus mobilibus, quam hi, qui acribus & valdè

 mo-

mobilibus gaudent, licet magis hi quam illi, Febribus corripiuntur malignis; utque ideo neque Temperamentum, neque ætas ulla aliquando, ejusdem trunculentiæ non sit exposita.

Ex nonnaturalibus vero *rebus*, ferè communem causam & vehiculum suppeditat *Aër*; hic, quando particulis corrosivis, acribus volatilibus, arsenicalibus, vel similibus, poros suos repletos aliquando nactus fuit, vel ex Solis extraordinario æstu, aut ex telluris gremio, vel ex stagnis, lacubus, speluncis, turpi cadaverum fœtore, præliis interfectorum, maximè vero ex hominibus morbis malignis jam extinctis; non mirum, cùm communem aër suppeditet respirationis massam, absque qua hominibus non minus, ac piscibus absque aqua, vivere possibile est, quod per respirationem, per poros, vel cum alimentis, tanta hauriamus mortalia miasmata, tempore grassantium malignarum Febrium.

Arsenicalia vero & corrosiva miasmata, ex hoc vel illo corpore pestifero exspirata, indolem suam longum per tempus servant illibata, & mediante aëre in dissita loca deferuntur, unde contagium originem sumit.

Arseni-

Arsenicalia vero , vel his similia, esse contagiosa illa miasmata docere poterunt phænomena , qualia *Tackenius* ex inspirata arsenicali aura expertus ipse fuit , ut *in Hippocrate suo Chym. pagina ducentesima decima tertia*, refert.

Quod verò non omnes statim, ab aura simili contagiosa , vel Febribus malignis, aut Peste corripiantur , est ab hujus vel illius circulantium humorum mixtura , & textura, seu particularum eos constituentium conditione , quibus adductæ arsenicales corrosivæ particulæ, castrantur , & in aliud ens, sive tertium , mutantur.

Non minori aliquando , varias continuas vel ardentes , aut magis malignas Febres , producendi vi pollent esculenta , potulentaque.

Etsi vero hæc , ut supra vidimus , plus intermittentibus, & quæ eas proximè sequuntur, continuis , vel lentis vel ardentibus benignis præbeant pabulum : tamen pro malignarum Febrium causa, non rarò item suum addunt pondus, præprimis militibus, fructus scil. immaturos, pira, poma, fungos , pruna , similiaque cruda & rudia devorare, vel & carnes , pisces absque sale & pane requisitisque aliis necessariis comedere : vel & pro potu aquas stagnantes putridas , vel potu-

lenta alia corrupta , pendula bibere coguntur.

Quid tandem, posthabitis hic aliis nonnaturalibus rebus , inter animi pathemata saltem , metus & terror valeant, vel saltem indicent, plurima possent docere tristia exempla, vel enim humoribus coagulandis , & æthere peregrino eò liberius admittendo, occasionem addunt, vel jam admissum hunc significant, Pestis, vel Febrium malignarum regnantium, tempore.

Prognosin Febrium harum quod concernit, quoniam testante id *Hippocr. S.* 2. *aph.* 19. non omnino certæ in illis sunt salutis aut mortis prædictiones , cùm *aliquando ægros cum pessimis signis evadere* , *alios cum optimis perire cernamus* : propterea cautè judicium ferendum.

In genere tamen magnus morbus est Febris ardens, periculosior vero maligna , & quo plures eodem tempore correpti intereunt , eo malignior existit, *omnium vero pessima & periculosa ipsa est Pestis*, veluti Febris extremo gradu maligna.

Vires vero in omnibus his quo fortiores & robustiores, eo major adhuc salutis futuræ spes concipi potest , & contra : & quo plus mens sibi constat, ac somnus decens, eo melius.

Pulsus

Pulſus quo major eſt & æqualior, eo melior, quo minor vero, inordinatus vel inæqualis, eo minus ſecurus extat; præcipuè ſi à principio ſtatim fit debilis; tum ſi frequens ſimul eſt, plerumque funeſtum eſſe Cl. Wedelius cum aliis notavit. Intermittens pulſus, ubi, poſtquam duo vel tres ictus facti ſunt, tertius vero vel quartus demùm quieſcit, vel emanet, non ſemper malum præbet ſignum; quippe *Riverius meth. cur. Febr.* juvenes plures tales pulſus intermittentes habentes, per multos dies, evaſiſſe notavit, & ego ipſe ſæpius hoc in praxi verum eſſe deprehen-di.

Appetitus dejectus, ciborumque faſtidium, non adeo malum exiſtit ſignum, *pejor eſt ſitis inexplebilis*, nullo potu extinguibilis; *Peſſima* verò eſt, & lethalis *planè deficiens*, præſente interim ingenti corporis æſtu.

Vrina quò magis ſanorum eſt ſimilis, & quo longiùs ita manet, *eò peior eſt*. Si verò, etſi cum ſumma virium proſtratione ſe peſſimè habeat æger, *urinæ* excernuntur *craſſæ*, vel fiunt *turbidæ & ſedimentum deponunt* æquale, ſive candidum ſive lateritium &c. plus minus copioſum, *ſemper bonum eſt ſignum*, & neminem cum tali urina interiiſſe, *B. Ettmüller* notavit *in praxi*.

Ubi è contra eos interiirſſe obſervavit, quibus, præſentibus licet melioribus aliis ſi-

nis, urina fuit cruda & perſpicua, etſi craſſa & intenſè exiſteret tincta.

Multos etiam è medio ſublatos vidit, *quibus ſedimenta in urinis quidem apparuerunt, ſed evanuerunt denuo.* Urinam verò laudabili præditam enæoremate, per aliquot dies ita continuante, & in ſedimentum ſenſim abiente, ſalutem certam polliceri, aſſerit. Oleaginoſa lethali ſignum præbet.

Peſſimus etiam eſt alvi fluxus colliquativus, cum inſigni virium jactura ſtipatus: melior eſt alvi obſtructio, ſi non eſt nimia.

Larga hæmorrhagia cum levamine accidens, bona eſt. Aliàs raró evadit æger, ſi cum faciei rubore continuus & intenſus capitis ardor plus ſentitur, quàm alterius cujuſdam partis corporis, cum narium ſtillicidio ſaltem, in capite enim magis ſtagnare ſanguinem denotat.

Auditus difficultas periculoſa admodum eſt, in acutorum morborum principio, circa ſtatum verò & declinationem ſalutem promittit, ſic & parotides declinante pauliſper morbo demum accedentes, ſalutares ſunt, ubi aliàs in augmento & ſtatu apparentes lethales exiſtebant.

Funeſta omninò ſymptomata præbent *ſyncope, lipothymia, exſpiratio frigida, oculi feroces & torvi*, & quando de doloribus

bul-

bulbi in oculis conqueruntur, nulla præsente ophthalmia.

Sic & oblivio, sensus hebetes & stupidi, loquelæ articulatæ amissio, fortes & cōstantes inquietudines, tremores, singultus, convulsionesque aliæ, floccorum collectio, maculæ lividæ, nigræ &c. rarò ægrum emergere denotant.

Convulsiones instare Medicus in carpo pulsum tentans observat, dum tendines, quietis digitis, moveri & subsultare sentit, vel titillationes aut tensiones in vola manus observat.

Frequentissimus *salutaris eventus mediante sudore perficitur.*

Durationis tempus non semper certum definiri potest, *aliquando breviori*, *aliquando longiori termino finitur*, communis terminus peragitur quatuordecim diebus: sed notandum, quod etsi Febris definitum hoc sæpe expleat spatium, & terminum attingat, interim ægri sæpissimè per multos menses decumbant adhuc, etsi nullo amplius vitæ periculo adeo sint expositi.

Aliquando namque Febris talis in hominem incidit antea sanguine minus laudabili præditum, cujus tum sanguis finita Febre, longiori opus habet tempore, ut ad pristinum redeat statum, quàm alterius, sani hominis antea, sanguis, qui textura & consisten-

ſiſtentia laudabili innixus , & vaſa optimè conſtituta pro organis circulandi habens, poſtmodum eò citiùs ſe extricat rurſus, & priſtinam in libertatem ſe vindicat.

Curatio tam dubii morbi, ſi eventum ſpectemus, occupata ſit, *ut particulas peregrinas, corroſivas, varias, circulantium humorum poris rurſus expellat*; ſicque convenientem texturam eorundem conſtitutivis reſtituat, ut ſic canaliculorum ſuorum ſubtiliſſimos poros liberè rurſus penetrent , circulaturi, jam vero plurimam partem in ſuo curſu & recurſu, vel continuo ordinario motu, præpediti humores, ſive ſanguis.

Et quidem *ſi vel per contagium*, ab epidemica quâdam cauſa , *vel* privato contentorum, *bilis præcipuè vitio* ortum fuerit malum, id quod nauſea, vel præcordiorũ anxietates , & ſimilia ſymptomata innuunt, tum ſubito *propinetur vomitorium* antimoniatum, ſed notetur probè, ut maturè hoc fiat, & *in ipſo principio morbi*, ſic enim ad minimum evitabitur , ut durante morbo non adeo inquieti degant ægri.

Sæpiùs obſervavi, *B. Cl. Ettmüller in Praxi* inquit, quod , quibuſcunque vomitorium in primo ſtatim malignarum inſultu propinavi, omnes morbi curſum, ſive ſalutaris is fuerit, ſive lethalis, ſummâ etiam virium proſtratione exiſtente, quieti & tranquilli tranſegerint,

in

in specie si à contagio fuerit malum, *adeo ut in hoc casu unum ex primariis videatur auxiliis vomitus maturè provocatus.*

Ruditates enim acidæ, ventriculi poris impactæ, sed primo statim insultu expressæ, liberas effluviis reddūt vias, quæ aliâs, in membranosis illis partibus stagnantes, & continuo lacessentes & rodentes, inquietudines illas, & anxietates circa præcordia, morbo incrementum sumente, & ad statum properante, instituere solent. Imo cùm milites ex depravata victus ratione plerumque has Febres sibi contrahant, non potest non esse salutaris vomitus in tempore provocatus.

Cùm vero in malignarum initio tantos salutares effectus præstet vomitorium oblatum, multo plus in ardentibus, & benignis, insignis eorundem erit effectus. Præcipuè si in principio vel incremento morbi, nausea, inanis vomendi conatus, cardialgia, præcordiorum anxietates, ructus, sapor amaricans, id postulent. Sic enim diarrhœa, & gravia alia, morbi cursu sensim aliàs accedentia symptomata, præcaventur.

Vomitoria tamen in morbis his non adeo sint valida, ac in intermittentibus, hic enim corporis contenta aliquando fluidiora solent esse, & sic facilius mobilia, quàm in contumacioribus intermittentibus, ubi tenaciora pri-

primarum viarum contenta, nec longè ab illis dissita, validiora subinde requirunt quasi expressoria.

Quam salutaris verò ubique ab initio est vomitus, tam *exitiosa præsertim in malignis existunt purgantia*, nec unquam, vel ullo tempore hic aliquid movendum, vel quid peregrini amplius addendum circulantibus humoribus, quod ad majorem particularum suarum inter se discessum stimulare possit, cum aliàs diarrhœa colliquativa, & laxa alvus, funesto omine se facillimè hic admiscere soleant.

Neque clysteribus etiam blandis hic fidendum, ubi jam excretiones se offerunt cutaneæ, quæ aliàs levissimè in suo motu inhibentur; & præterea difficillimè divortium inter se instituunt circulantium humorum particulæ, à peregrinis illis, per cutis poros, magis genuinâ suâ viâ ejiciendis, & à bonis, hoc veluti apto cribro, separandis.

Aliter se res habet in ardentibus, sive simpliciter continuis, ubi non adeo subtilis, & corrosivus, nec copiosus æther peregrinus, circulantes castrat humores, ab obsedit, sed causa bili magis minùs saltem acri ortum debet, in his toto morbi decursu, libera requiritur alvus, præprimis si æstus urget; sed blando hoc fiat laxante, *quale serum lactis est*, vel solum, vel *cum tamarindis infusum* aut deco-

coctum: vel clysteribus, qui pro alvo fluida servanda, hic optimi sunt effectus.

Sudorifera vero quemadmodum in intermittentibus sanitatis sunt anchora, certè tam *in ardentibus* simplicibus, quam *in specie malignis, primatum obtinent.*

Quod tamen Ardentes simplices attinet, in his minus ad sudorem cogendi sunt ægri, & quidem ab initio ac etiam incremento, circulans namque natura, quæ, quâ viâ ab æthere isto se liberet peregrino, & ab initio adhuc quasi consternata, quâ pellendum, se recollegit nondum, datis statim sudoriferis, plus alteratur, & absque euphoria debilitantur ægri, monente hoc *B. Ettmüllero in Praxi.*

Sic & diaphoretica hic magis sint temperata, salina, terrea minus aromatica, volatilia, sive oleosa & resinosa: maximè namque hic urget *Sylvius*, ut temperatis insistamus.

Quoniam enim hic bilis magis minus acris, & acida facta, utplurimùm inter causas concurrit, quæ volatilibus oleosis magis redditur acris, & acrimonia sua volatili, tum propulsa, stagnando magis, minus, vel longiorem moram in capillaribus nectendo vasis calorem acriorem sentire facit; hinc quæ fixioris sunt, & firmioris texturæ, acida potentius figunt, & sic æstus magis mitigant, vel & cum acidis illis, Febrium constitutivis, faci-

facilius in salsum diureticum facessunt, & ad urinarias vias ea derivant.

Inter absorbentia verò diuretica simul, hic excellunt nitrata, in specie *nitrum* ♁. vel quod meliùs ♁. *diaphoreticum indulcatum*, vel per se vel aliis remixtum: Non satis laudare hoc in ardentibus potest *Krügner* in seinem Chymischen Frühling/ ubi pro sudore & urina cienda ad ℨß. id exhibet, & si simul laxare debeat ℨj propinat, atque hoc semper sibi in arcanis fuisse asserit.

In clysteribus etiam ad ℨß. vel ℨvj. solutum & cum simplici videlicet *Chamomillæ*, aut *malvæ decoctæ* injecto, quid in hisce morbis præstiterit, non satis prædicare potest.

Vel ℞. *Unicorn. fossil.* ℨß.
C. C. sine igne ℨij.
Terræ sigillatæ ℈j.
Cinnab. ♁. ℈ß.
Laud. opiat. gr. iiij. misc. fiat pulvis, cujus dosis ℨß. Hos pulveres in Febribus continuis benignis sufficere *B. Ettmull. Schröder. dilucidat. p.* 92. habet.

Ubi serum in ardentibus & malignis admodum existit coagulatum, ita ut difficulter sudor obtineri possit, & omnia tamen intus uruntur, tum *Cinnabarina* optimè miscentur *Bezoardicis*: Sed ubi ad resolutionem magis inclinat sanguis, tum omninò vitentur, etsi convulsiones adsint.

Vel

Vel ℞. *CC. sine* △.
Unicorn. foss. aa. ℈j.
♁. *Diaph.*
Bezoard. min. aa. ℈ß.
▽. *card. bened.* ℥vj.
Tinct. bezoard. parum acidulat. ʒj.
Tinct. anod. gutt. XX. mſ. pro duabus doſibus in incremento, & ſtatu ſæpiùs reiterandis.

Hæc & ſimilia *cum opiatis combinata*, frequenti ſint in uſu, quippe opium hic, non tam ut vulgo creditum hactenus fuit, furibundo ſpirituum motu coercendo, ſed capillaria vaſa expeditè penetrando, & vias liberas reddendo, ac ſubtili bilis acido infringendo, eamque vigori ſuo reſtituendo, occupatum eſſe credo; *in uſum vero veniat, dum ſymptomata urgent*, vel quamprimùm ſudorifera in uſum venire oportet, hoc, quia eorundem energiam inſigniter exaltat, ſimul combinetur, vel ad tumultum abemetico concitatum ſopiendum, commendante hoc *Sydenhammo*, ſtatim tempore ſomni propinetur doſis; in ipſo initio morbi etiam, v. g.

℞. ▽. *papav. errat.* ℥ij.
Tinct. anodyn. gutt. XV.
Syr. papav. errat. ʒj. mſ. pro doſi.

Sed quoniam non tam ſitis poſt ſudorifera excitata, quàm ſerum exhauſtum, aut

 coagu-

coagulatum, multum liquidi rursus requirit, hinc potus rursus concedatur paulò liberalior, quo major est sitis, & intensior ardor, meliùs tamen est, ut frequentius, & parciùs bibant, quàm ut una vice nimium ingurgitent, omnibus verò aliis hic nitrata antecellunt. Sic v. gr. ⦶i *℥iati* ʒij. in mensura potus ordinarii, aut cerevisiæ solutæ intra diem propinari possunt, modò diarrhœa non obstet: & *si tum propinato nitro, urinæ ardor remittit, urinaque liberius exit*, & excernitur, bono animo esse *Lindanus* jubet.

Admodum etiam conducit *serum lactis, succo citri* paulisper, si opus, *acidulum redditum*, quod æstum admodum mitigat, & hic existit potus revera medicamentosus, commendante ita *Cl. B. Ettmüllero*, modò, ut circa nitrum notatum, diarrhœa absit.

Concedi etiam potest aqua Fontana, cum 5. vel 6. parte vini diluta, si æstus non adeò urget, vel & possunt confici decocta hunc in modum. v. g.

℞. C. C. *ras.* ℥iß.
Herb. & rad. acetos. aa. mj.
Fl. rosar. r.
papav. err.
Bellid. r. aa. mß.

Cum ▽. font. mens. ij. fiat decoctum, quod cola-

colatum pro gratia temperetur *cerasorum acidor. syrupo.*

Vel ℞. *Pom. cit*, no. ij. in taleolos secta conspergantur saccharo, tum coque in aquæ quartariis tribus, ad mensuræ semis remanentiam, colatura frigida detur, vel *Flor. rosar. r.* infusâ, *rosarum Tinctura* inde conficiatur, addito *Spir.* ⊕. volatili.

Vel & ℞. ▽. *Fontan.* ℔. ij.
Rosar. ℥iij.
Cinam. ℥j.
Sy. cerasor. acid. q. s. pro gratia.

Vel. ℞. ▽. *Fontan.* ℔. ij.
Rosar. opt. ℥iiij.
Syr. rubi idæi,
Ceras. acid. aa. ℥ij.
Spir. ⊕. *volat.* q. s. mf. pro Julepo.

Vel. ℞. *Aq. Rosar.* ℔. j.
Cinam. ℥ij.
Confect. Alkerm. ℥j.
Spir. ⊕ *vol. dulc.* q. s. pro gratia.

De qua mixtura dentur subinde aliquot cochlearia.

Optimi etiam usus hic sunt *emulsiones cum* ▽. *papav. errat. rosar. &c.* ac *semin. frig.* factæ.

Nec *Gelatina CC.* cum *succo berber. ribium, rubi idæi* parata hic minoris est effectus.

Hæc & ſimilia ardentibus ſive acutis Febribus, quando adhuc ſunt mites, ſive benignæ, & reſolutionem humorum circulantium magis quam coagulationem pro cauſa habent, ſolum competunt.

Ubi tamen remiſſionis tempus, ſi intermittentem refert, obſervetur: ut paroxyſmo recurrente ſudorifera propines, & eo tempore quo natura circulans motum facit, ſic ſimul opem feras, & hoſtem potentius proſequaris.

Præterea ſymptomatum aliorum reſpectus habeatur, ut videlicet libera ſervetur alvus, & *ad lympham reſarciendam* jam dicta *potulenta, ſiti urgente convenienter propinentur*: circa quæ notandum, aliquando etiam ægro non monente, præprimis deliranti admoveri debere potum, ne delirium intendatur, & æſtus magis accendatur.

Si *Angina* vel *Prunella* ſe adjungit, tum præter raninarum ſectionem, lotiones oris, vel cum vel absque gargariſmate diligenter inſtituantur, quales de Angina reperies formulas, ubi inter alia *ſecretum Gunzmanni* multum valet.

Ubi tamen in graviori malo hæc non ſufficiunt, & poſt collutiones *lingua* denuo exareſcit, & *cruſta obſidetur*, quæ adeo leviter emolliri ſe haud patitur, *früſtum lardi non ſaliti*, vel ſaliti, in aqua rurſus macerati, linguæ impo-

impositum contineatur in ore, & tum crusta decedet coriacea, quemadmodum de Angina pluribus invenies.

Magis verò malignas quod nunc concernit, cum in his circulantes humores quàm longè à sua inter se decenti textura & ordine immutati deprehendantur, quemadmodum sanguis tum tempore emissus docere poterit, qui aliquando ferè nil, nisi crustam refert coriaceam, sanguineo colore planè exutam: aliquando verò particulæ ejus adeo à se invicem secesserunt, & nexu suo ita dissolutæ sunt, ut non amplius coire vel coagulari queant, sicut aliàs in sanguine emisso accidit: Propterea non mirum, humores circulantes vel hoc vel illo modo planè turbatos, vel coagulatos, vel suo nexu inter se dissolutos & confusos, haud amplius capillaria vasa penetrare posse, sed ubique stagnare, hacque ratione non virium saltem subitaneum lapsum, sed & interitum citò maturare.

Exque hac causa duplex emergit Malignarum Febrium facies, vel enim Febris sive perturbata sanguinis circulatio pro causa habet humores nimium coagulatos, vel nimium dissolutos & confusos. Pro diversa verò hac circulantium humorum textura variata, diversa etiam symptomata originem trahere sanè videntur.

Sic quando *Febris à circulantium humorum textura magis dissoluta* & confusa, ac fusa originem traxit, tum quia subtiliores sui juris factas particulas, peregrinus arsenicalis mercurialis æther validius movet & rotat: hinc *æstus summus, sitis clamosa, capitis dolor maximus, delirium, diarrhœa, hæmorrhagia &c.* sunt producta sanè periculosa.

Sed si subtile aliquod constringens acidum coagulat, & rigidos humores reddit, in eis vix percipitur neque sitis, neque æstus, sed omnia potiùs languent, & syncope vel lipothymia accedunt, sensus hebetes & stupidi redduntur &c.

Probè ergo differentia hæc attentanda venit, medicaminum & sudoriferorum ratione, quæ varia sunt & diversa.

Duplicia ea esse, in specie malignis dicata, quando à contagio ortum duxerunt, *Cl. Ettmüller* vult; vel volatilia salina macra videlicet, vel volatilia oleosa aromatica, quæ pro diversa malignitatis causa distinctè adhiberi debere præcipit.

Ubi tamen, si quoad paroxysmos ad ardentes accedere videtur, & dissolutos potius, quàm coagulatos circulantes humores, pro causa agnoscit Febris, tum præter absorbentia, qualia de ardentibus dedimus, potiùs hic conducunt salina fixa s. macra, vel & aromatica acidis condensantibus remixta, minimè verò aro-

aromatica ſola vel oleoſa aut macra volatilia, quia hæc æſtum, cephalalgiam aggravatura eſſent, propterea que in ſpecie ei ſoli convenientia, quæ coagulantes inſequitur venenatas contagioſas particulas.

Hic verò
℞. *Diaſcord. Fracaſt.* ʒiß.
Bezoard. miner. ℈ß.
Unicorn. foſſil. ℈j.
Aceti bezoard. ℥ß.
▽. *Scordii.* ℥iß.
Syr. acetoſ. citri ℥j. mſ. pro doſi.

Vel ℞. *Diaſcord. F.* ʒij.
♁. *Diaphoret. indulcati* ℈j.
Unicorn. foſſ. ℈ß.
▽. *papav. err.*
Scord. aa. ℥iß.
Tinct. anod. gutt. x.
Syr. papav. errat. ℥j. mſ. pro doſi.

Vel ℞. *Diaſcord. F.* ʒiß.
⊕. *♁iati.*
⊖. *card. bened. aa.* ℈ß.
▽. *card. bened.*
papav. err. aa. ℥iß.
Tinct. anodyn. gutt. xij.
Syr. acetoſ. citri. ℥j.
Spir. ⊕*i volat.* gutt. vj. mſ. pro doſi.

Hæc & ſimilia hiſce Febribus dicata ſunto.

Vel si hæmorrhagia se jungere velle videtur ℞. *theriacæ* ℥j. *unicorn. foss.* ℈j. *aceti rosacei* vel *bezoard.* ℥ij. misce & propina pro dosi.

Hisce & similibus sudor promoveatur, ubi tum durante sudore pro siti etiam subinde *cochlear aceti rosacei* propinari potest: vel *Julepus*, aut *Decoctum* ante de ardentibus præscriptum, magis larga quantitate, ut lympha sudore copiosè expressa, resarciatur debitè, in usum veniat.

Ad æstum contemperandum, & hæmorrhagiam præcavendam multum conducit testibus vel scroto applicatum hoc epithema. v. gr.

℞. *Succi semperviv. maj. rec. express.* ℔. ß.
Aceti acerrimi ℥iß.
⊕j. ℥ij.
Camphor. ʒß. mſ. pro epithemate.

Bartholinus Act. Haffn. in deliriis admodum commendat gallinam nigram vivam per medium dissectam, plantisque pedum applicatam, & quando fœtet remotam.

Aliàs etiam *raphanus cum aceto contusus* & applicatus æstum optimè mitigat.

Sed *si maligna Febris, plus coagulatos, quàm dissolutos humores stagnantes pro causa habet*, tum magis volatilia, oleosa, aromatica, humores fluxiles reddentia potiùs veniant in usum: ut sic rigidi fere facti humores, & immobiles, excitentur rursus & actuentur, quo con-

contra hostem truculentum validius insurgere queant.

Et hoc præcipuè urget *B. Ettmüller commentar. Ludov. p.* 71. Cautela est, inquit, ne in Febrium malignarum initiis, & incrementis, volatilia diaphoretica nimis fugiamus, licet urgentia quædam symptomata (puta æstus, sitis, cephalalgia,) aliud suadere videantur: Sola namque fixiora, pergit ex mente *Ludovici*, pro scopo sudorifero in casibus his non sufficiunt, neque solis antimonialibus fidendum: item p. 93. *singularem esse encheiresin* contendit, *mederi statim in principio per salia volatilia, & opiata*, æstu etsi maximo nil obstante.

Aliquando in hisce Febribus, à coagulatione oriundis, non minus excruciat æstus, sitis, dolor capitis &c. quàm in aliis, quod probè notandum, ne sic necessaria omittamus medicamina sudorifera volatilia, putantes magis dissolutos circulantes in causa esse humores.

Interim tamen *multò securius* magis *volatilia, & aromatica*, in illis utuntur, *ubi æstus mitis, dolor capitis haud fortis*, & alia symptomata haud urgent, quàm ubi symptomata magis ad ardentes videntur accedere Febres: Propterea probè mensuranda ea sunt, ut innotescat, quando magis volatilia in usum sunt vocanda: id quod quidem admodum difficile

 hic

hic esse credo, præprimis ab initio, ubi sensim, vel pedetentim serpit malignitas, tam quando coagulando, quam quando fundendo & dissolvendo circulantium humorum texturam corrumpit: Normam principaliorem mihi hoc in negotio videntur dare exempla alia, quæ genium hujus vel illius Febris per symptomata jam notum fecerunt.

Sic si symptomata, lentum humorum circulantium in se motum, ex æstu non adeò intenso, siti non admodum urgente, neque dolore capitis multum molestante, notum fecerunt: Vel etsi symptomata paulò magis intensa, non tamen nimium, ut in ardentibus, exorbitasse comperta sunt, pro signo veneni magis coagulantis quam dissolventis: tum in usum veniant volatilia oleosa aromatica, toties commendata. Sic v.g.

℞. *Tinct. Bezoard. opt. camphorat.* ʒj.
anodyn. gutt. x.
▽. *scord.*
Fl. sambuc. aa. ʒiß.
Syr. card. bened. ʒj.
misce, pro dosi singulis 6. v. 8. horis reiteranda.

Vel ℞. *Diascord. Frac.* ʒij.
Bezoard. min. ℈ß.
⊖ *viperarum volat.* gr. ij.
Camphor. gr. iij.

Laud.

Laud. opiat. gr. j.
Syr. acetoſ. citri q. ſ. fiat Electuarium ſingulis octo horis reiterandum.

Vel ℞. *Theriac. opt.* ℥j.
⊖ *vol. urin.* ℈ß.
Camphor. gr. iiij.
Laud. op. gr. ij.
Cinnab. ☿. gr. xij. mſ. pro doſi.

Hæc & ſimilia rigidos humores attemperabunt, attenuent, & ad fluorem rurſus redigent, corrigendo venenoſum illud acre coagulans, ubi tamen primas teneat *Camphora & Opium.* Sic remedium in Febribus peſtilentialibus ſine camphora, eſſe inſtar bellatoris ſine gladio, *Ettmüller Commentario Ludovic. habet.* Eſt enim potentiſſimum, ſubtiliſſimi acidi abſorbens, quemadmodum ex ſpir. ⊕i rubicundi captura clarum fit.

Huic vero aſſiſtit inſigniter opium, id quod ſubtilium particularum acidarum acrimoniam admodum corrigit, quæ membranoſas partes ubique rodendo, anxietates convulſivas, quaſi & inquietudines cauſantur, unde ægri huc illuc ſæpius ſe vertentes, frigidoque aëri ſe exponentes, tranſpirationi liberæ, hic admodum neceſſariæ, obicem ponere neceſſitantur: id quod opium procurando quietem, & conſtringentes acriores acidas convellentes particulas corrigendo, vel expellendo ſtagnan-

gnantes, præcavet, sicque sudori fluendo vias liberas reddit: notum namque est ægros quietos copiosius sudare, quam inquietos.

Optimè verò hic commendat opium *B. Cl. Ludovici* in sua *pharm.* ubi alexipharmacis omnibus id addendum esse præcipit, & hoc confirmat *Cl. B. Ettmüller*, qui in quibuscunque Febribus malignis *opiata utramque absolvere paginam contendit*, præprimis in principio & incremento morbi: in malignis namque colliquatis, periculosas, simul coërcet hæmorrhagias, corrigendo subtilissimum illud colliquefaciens Arsenicale-Mercuriale acidum, ad orgasmum facillimè pronum & dispositum.

Ubi vero nunc ad statum properat Febris, & præmissis his malignitas maximam partem superata extat, tum omittantur volatilia omnia, aromatica & oleosa, sive macra, & fixis saltem absorbeantur, & corrigantur reliquiæ, v.g.

℞. *Bezoard. min.* ℈ß.
C.C. sine △. ℈j.
Cinnab. ☿. gr. viij.
Extr. opii gr. j. mf. pro dosi sæpius reiteranda.

In fine vero cancrina, & corallina, colophonem imponant.

Non omissis interea confortantibus debitis, ex ▽ *cinam. rosar. conf. alkerm. &c.* nec omissis subinde cochlearibus aliquot vini generosi,

nerosi, & quæ pro symptomatum conditione vel in, vel post sudorem necessaria esse ducuntur: in maxima namque virium ruina, roborantia calida non multum metuenda esse, etiam *Riverius* notavit.

Sic præter necessaria hæc, *vesicatoria* etiam non exiguum præstant auxilium, præprimis sub climate nostro, ubi humores non adeò sunt subtiles, sed segnes & crassi acidi: Penetrant namque illa particulis suis subtilissimis alcalicis expeditè subtilissimos circulantium humorum canaliculos, & stagnantes inibi humores ad motum concitant rursus, immixtas coagulantes acidas particulas absorbendo, vel corrigendo, & in aliam texturam situando.

Sic in cephalalgiis propterea immensis, deliriis, convulsionibus, vel ubi lethargus & sopor superveniunt: item si exteriora frigent, interiora vero uruntur; in maculis item regressum aliquando facientibus, experta sunt satis efficacia. Bubonibus etiam, ut eò melius erumpant, optimo cum effectu applicantur.

Locus vero, cui in malignis nostris imponuntur, non unicus est, sed *mox cruribus*, tam *supra quam infra genu*, tum *brachiis prope carpos*, vel *axillas*, vel omnibus locis simul, vel uni aut alteri, aut successivè tandem omnibus applicantur.

Ubi enim maxima est malignitas, quæ totum occupavit corpus, & sævissima urgent

sym-

ſymptomata, unicum haud ſufficere, ſed plura admovenda eſſe, *Riverius* præcipit. Soleo ego, inquit, in maxima morbi ſævitia, quinque locis admovere, *cervici* nimirum, *utrique brachio*, parte interiore, inter cubitum & humerum, & *utrique femori*, parte etiam interiore, inter inguina & genua, felici cum ſucceſſu.

In ſoporoſis vero affectibus nuchæ imponuntur.

Quo vero tempus innoteſcat, quando in uſum vocari debent, oportet diligenter inſpicere oculos, & contrectare manus, vel tangere pulſum; (id quod tamen cautè agere vult *S. Pauli de Febr. mal.* non enim expedire, inquit, Medicis, vel adſtantibus, maligna Febre laborantium manus juſto frequentius contrectare, aut eorum ſuas diutius fovere, niſi velint ſponte contagio infici:) ut ſic vel de convulſionibus imminentibus, vel delirio futuro poſſimus eſſe quodammodo certiores, quo veſicatoriis præveniamus. Quando enim *aſpectus oculorum eſt paulo ferocior*, vel quando ſunt *quaſi ignei vel fulgidi, delirium imminet.* Ubi vero pulſum, vel manus tangendo, Medicus ſimul ſentit ſubſaltare tendines, tum convulſiones inſtant.

An vero admovenda denique ſint veſicatoria, exemplis fiet clarum, ubi enim conſtiterit aliis eodem modo & prope tempore laborantibus fuiſſe utilia, tum in eorum uſu perſiſtendum;

dum; si vero frustrentur expectationem, alexipharmacis, quæ interea nihilominus adhiberi debent, concredatur cura solùm.

Non vero in omnibus passim grassantibus malignis, ea esse utilia, *Aug. Thonerus l. 1. refert.* Ut mihi constaret, inquit inter alia, de vesicatoriorum successu, percontatus sum quosdam Chirurgos, ex quorum relatione mihi innotuit ægros plerosque nihilominus mortuos esse illis admotis: & sanè plures novi, pergit, qui sic in tumbam sepulchralem præcipitati sunt. *Juvencula plethorica* febre continua afflicta, cum dolore & deliriis, ex consilio junioris Medici, de vesicatoriorum usu prolixum instituentis discursum, *à vesicatorio cervici admoto*, paulo post vociferari cœpit, & quiritari de ingenti capitis incendio, & postridie supervenientibus convulsionibus vitam cum morte commutavit.

Patet hinc, non in quibusvis Febribus malignis, præprimis ardentibus proximè accedentibus, & quibus bilis acris concausam agit, haud adeo convenire, sed potius illis, ubi magis coagulati existunt humores, & serositates exsuperant: neque semper nuchæ imposita conducere, nisi nervi sint á coagulato succo nerveo obstructi, vel succus ille simul coagulatus quasi.

Post hæc *linguam etiam diligenter explorare injungat Medicus*, ut excoriationi & exulcerationi

tioni faucium, & linguæ præveniri in tempore queat.

Præter veſicatoria, ad delirium & dolores demulcendos, & vigilias ſopiendas, commodè etiam plantis pedum applicantur topica, ſed calida, & tenuium partium, ut ſanguis in extremitatibus ſtagnans, & coagulatus liqueſcat rurſus, & liberum ſuum recuperet circulum, ſicque libera in pedibus circulatione redditâ, verſus caput ſtagnatio ceſſet, ac ſic dolor & vigiliæ demulceantur.

℞. *verò Ferment. acrioris.*

Saponis nigri aa. ℥ij.

Sinapi ʒß.

⊕i *præparati* ℈j.

Elixir. polychreſt. Balſamici. P. E. q. ſ.

ut fiat cataplaſma.

Sic & columbæ vivæ diſcerptæ, gallina nigra viva diſſecta, ſupra *à Bartholino* laudata hic convenire poſſunt.

Epithemata etiam alia, cordi applicanda, non ſint frigida, ſed calida, & quidem ſacculi cordiales, non niſi ſpirituoſis liquoribus ſint conſperſi, ne poros occludendo, malignitatem intropellant, vel retinendo exhalantes alias particulas, malum augeant.

Sic ℞. *Flor. lavendul.*

anthos aa. m. ß.

Macis

Croci,

Croci.
Cinnamomi aa. ʒß.

Incisa dentur pro sacculis cordialibus, qui conspergantur *spir. vini camphorato*, cum parùm essentiæ succini, & calidè imponantur cordis regioni.

In *altera malignæ Febris specie, a dissolutis humoribus*, conspergantur sacculi *aceto Bezoardico* &c. nec cordis regioni solùm, sed & pulsibus applicentur calidè.

Si stomachi symptomata urgent, *theriaca emplastri formâ* imponatur.

Sed *si Febris* in specie *Petechialis* existit, utpote quæ die septimo plerumque erumpere solent, ad duodecimum usque, tum *cautè epithemata applicentur*, *præprimis in se frigida*, quæ cùm aliàs facile frigida evadant, sicque pororum occlusioni occasionem præbeant, tumque petechiarum eruptionem impediant, maximo cum ægri periculo, non adhibeantur, nisi ita calida sint in se, ut frigidè applicata pororum reserationem promoveant, sicut facit *Ess. succini*, *spir. vini camph.* &c.

Vesicatoria verò maturè, *ante septimum diem veniant in usum*, ut sic graviora symptomata, deliria, convulsiones scil. in statu aliàs ordinariè accedentia præveniantur, vel si maculæ retrocesserunt, dicta symptomata præcaveātur, quibus aliàs ægri post retrogressas ma-

culas interire ſolent: in ancipiti ergo tali ſtatu melius eſt prævenire, quam præveniri.

Aliàs hæc Febris curatur ut ſupra præſcriptum, *in principio magis ſudoriferis volatilibus, in ſtatu verò fixioribus abſorbentibus*; quò magis vero ſymptomata ad ardentes accedunt Febres, eò magis ſudorifera ſint cum ſalinis macris combinata: quò minus; (quemadmodum aliàs præter laſſitudinem totius corporis, ita *ab initio mitis ſolet eſſe*, ut ægri ſe ægrotare vix ſentiant:) eò magis *theriacalia* ſive *oleoſa aromatica* remixta ſint, qualia ſupra dedimus. Et intra 24. horas ter ſudet æger, *in principio, & incremento nimirum, ubi ægri adhuc ſudare poſſunt, & ſolent*, non tamen ſtragulis opprimantur: ſufficit ſaltem tolerabiliter eos tegere, modò aêrem devitent liberum, qui aliàs decubitum protrahit, & curam differt, vel planè tandem ſuccumbere facit, maculis retropellendis anſam miniſtrans.

Solet præterea Febris hæc admodum *lentè percurrere tempora*, ita ut in ſtatu, ſex, octo vel plures dies, ſæpè in eodem tenore perſiſtat, antequam vel in melius, vel in deterius mutetur, *unde & minus acuta ſolet eſſe*, quàm aliæ malignæ: propter eaque devicta in principio malignitatis atrocia, reliquum circulanti naturæ committatur, *fixioribus ſaltem* blandè temperantibus ſubinde intermediatis. Et tum, ſi ſtatim ab initio omnia ritè peraguntur

guntur, neque vires admodum prosternuntur, ferè inter quatuordecim dies more aliarum malignarum cedit, per successivam utplurimum diaphoresin.

Si maculis jam apparentibus, fortè *alvi fluxus se immiscet*, tum is cautè tractandus, neque subitò supprimendus, *nisi excesserit*, præprimis si non tã ex contagio, quam interno humorum circulantium vitio, ortum traxerit malum; ita tamen *macularum expulsio* quantum possibile *promoveatur*, ne ab isto alvi fluore retrocedant.

Maculæ ipsæ, quò sunt rubicundiores, eò tutiores existunt, *dignoscuntur à pulicum morsibus*, quod hi in sui centro, puncto ruberrimo sint notatæ, & quo plures & magis latæ exeunt, eo meliores; sed si paucæ illæ sunt, Febre interea magis ingravescente, & urina simul cruda existente, vel si lividæ, cœruleæ, nigræ evadunt, mortem plerumque annunciant.

Aliquando febres alias malignas, *Parotides* tandem supervenire solent, & quidem exitu admodum funesto, de his refert *Riverius cent. 1. obs*, 43. *& Pract. l.* 19. sequentia: Anno 1623. grassata est, scribit, Febris admodum maligna, ex qua media ferè pars ægrotantium interibat: peculiariter quibus superveniebant Parotides, quod circa 9. vel 10. diem morbi contingere solebat, interibant omnes: cùm itaque plures hujusmodi vidissem, neque ullis alexiphar-

macis liberare possem, cogitare cœpi, *ideo censeri lethales Parotides, quod pars illa non sit capax recipere tantam materiam marbificam*, quæ intus manens interimeret, propterea supplendum esse naturæ opus: Et quanquam ægrotantes pulsum haberent parvum, & frequentissimum, ac pene formicantem, ut in agone mortis versari viderentur, quæ etiam brevi alias succedere solebat, satius esse duxi anceps remedium experiri, in uno aut altero, quam tot ægros certo exitio relinquere: *Propterea sanguinis missionem præscripsi partitis vicibus*, ob virium imbecillitatem, bis & ter eodem die reiterandam, & sequenti die purgationem.

Hac via omnes, quibus hæc remedia administrata fuêre, feliciter evaserunt, neque ullus deinceps interiit.

Spectat huc *Valesii epid. l.* 7. observatio, quam communicat hac mente: Quid facere soleam in ægris, quibus per Febres malignas Parotides apparere volunt, non gravabor dicere, scribit: Mox ac oriri incipiunt, partem *oleo chamæmelino* foveo: & si tunc exire cunctentur, loco ipsi *cucurbitulam affigo*, ne abscessus sit minor quam ut possit conferre: ubi autem jam satis manifestus factus est, si brevi incrassescat plurimum, *sanguinem mitto*, ne sit major, quàm possit sustineri: mox verò durum adhuc tumorem, neque ulla suppuratione

puratione expectata, *ignito ferro aperio* : altera quidem in parte, si alteram solùm obsederit tumor; in utraque vero, si utramque, & cataplasma suppurans appono : ac plerumque rescecidit benè, nam brevi computrescit cum inusta eschara tumor, & manare pus incipit; & per id orificium caput & reliqua viscera repurgantur.

Quod tandem *Diætam*, Febribus malignis correptorum, attinet; etsi vix opus videatur, multa de hac præscribere, *cum etiam odorem alimentorum fastidiant ægri* : sed quoniam ab assistentibus, ægri sæpe sorbitionibus ac juscu-lis consummatis, nimium vexari soleant, à quibus tamen semper pejus habere comperiuntur : propterea saltem *hoc monendum*, eos *ad nullum cibum cogi debere, quam bonus & levis etiam videatur, quamdiu illum fastidiunt.*

In specie verò juscula pinguia, consummata, vel & carnes cujuscunque sint conditionis, exulare debent, eorum verò loco *hordeacea, avenaceaque juscula* hic sufficiant.

Cùm enim circulantium homorũ textura, & ordo, planè sit inversa, hinc neque fluidum nerveum, neque bilis vel lympha pancreatis, aut alia sanguinis producta, & necessaria ad digestionem instrumenta, possunt esse melius constituta suo toto, à quo dependent & Esse habent.

Et quum sic *in digestionis officina, ventriculo, sileat alimentorum dissolutio*, quæ impedit, quod alimentorum particulæ; neque prioris suæ texturæ formam planè exuere, & intimè dissolvi, multo minus ad retexendum, & in humani corporis & sanguinis constitutionem converti queant; hinc accidit, ut datus cibus, quam levis etiam sit, statim, quia veluti immotus jacet in ventriculo, non solum gravet, sed & indissolutè, & rudi minerva partim ad sanguinem translatus chylus, majores inibi turbas excitet.

Neque remittente statim febrili tumultu, ventriculus cibo obruendus, præcipuè quando eum fastidiunt adhucdum ægri: sed *appetitus verus est expectandus*, & tum concedendus etiam iste cibus, quem avidè appetunt, etsi non adeo putetur salubris; sed exigua portione, quæ postmodum semper sensim augeri potest, si notetur ægrum inde bene se habere & refici.

Appetitus namque verus, spiritus nerveos vires recuperasse indicat, cui desideratus cibus haud denegandus; *quicquid enim tum sapit, nutrît.*

Accidit verò aliquando *falsus*, sive imaginativus *appetitus*, qui à verò probè distinguendus. *Indicant* verò *illum* durans adhuc *pulsus febrilis, sitis nimia, vigiliæ*, & quando æger

adhuc

adhuc queritur de oris & salivæ fœtore, vel nidoroso sapore. Præsentibus his signis, certum est, appetitum nondum esse naturalem, propterea que non concedendus iste desideratus cibus, sed juscula avenacea, hordeaceaque adhuc porrigantur.

In ipso verò morbi vigore, non rarò ægri conqueruntur de magno appetitu, qui tamen *accidit à perturbata mente*, ex febrili æstu, vel quando ob ingentem sitim, ad quævis liquida, & sic consequenter ad juscula simul appetitus eos compellit.

Vel quando ab adstantibus persuasi, *se tamdiu absque cibo vivere haud posse*, præjudicium hoc, phantasiæ illorum impressum, quandoque talem in eis mentitur appetitum: quod itaque Medicus perpendat, ne admittat alimenta læsura, tempore nondum statuto.

Jam vero cùm inter circulantium humorum particulas, non tam crassiores, quam magis tenues, fluidæ, liquidæ, & volatiles, urgente febrili pressura, & dependente inde forti transpiratione, perpetuo consumantur, sed & sudoriferis tam necessariis, & toties reiteratis plurimis exprimantur: earum vero locum magis rigidæ, ramosæ, minusque flexiles, acidæ, corrosivæ occupent, & remanentem circulantem massam ad motum ferè planè ineptam reddant:

Neque verò ſolum aquoſæ, ſed & oleoſæ volatiles, & ſubtiles alcalinæ lymphæ nerveæ particulæ plurimum diſſipentur, & plus ſolitò exhalare cogantur, adeoque ubique ſic viribus plurimum detrahatur: Ea propter pro particulis rigidis, ramoſis, fluxilibus reddendis, & dilatandis, in maſſa ſanguinea, non tantùm liquidæ, fluxiles leves, ſed & multò plus volatiles oleoſæ ſimul requiruntur, ut ſic non craſſi & lentè circulantes, ac ubique ferè ſtagnantes, vel moram nectentes humores diluantur, & fluxiles ſaltem rurſus reddantur, ſed & volatilibus oleoſis, rigidæ ramoſæ, ex eorum poris vel expellantur, vel aliter ſituentur denuò, ut liberè tum vel exeant è coprore, vel circulantibus humoribus ad minimùm non ampliùs vias præcludant.

Hoc verò negotium non medicamina ſolùm, *ſed & potum* urgere convenit.

Quis verò ille debeat eſſe, an ubique in omnibus Febrium malignarum gradibus æqualis, & *magis frigidus*, qualem ſupra præſcripſimus, *an vero calidus magis*, de hoc magna hactenus inter Practicos lis fuit.

Plures namque, quibus Febrilis ardoris, vel æſtus cauſa haud cognita ſatis extitit, & *qui* intimè *caloris eſſentiam haud penetrarunt*, *merè frigidis eum reſtinguere præcipiunt.* Sed cùm calor ille Febrilis haud ſit cauſa Febris, ſed accidens ſaltem coagulatorum plus minùs humo-

humorum, glandulas ſalivales occludentium, & tardè admodum circulantium, conſequens, qui calidiſſimis alexipharmacis attenuari opus habent, ut liberum recuperent circulum, & ſubtiliſſimis viis & vaſis quadrent rurſus: Non minus propterea potus conveniens ſit.

Sed *attendenda* hic venit illa *differentia*, quam ſupra dedimus de duplici ſtagnantium humorum cauſa: *an videlicet ſanguis ſtagnet ex vitio malignæ coagulationis, an diſſolutionis, aut confuſionis.* Si hoc, tum, quia humores ſibi haud ita cohærent, & faciliùs per ſudores, vel urinam peregrinas acres particulas venenatas expellere poſſunt, etiam ſubtiles violentius circumagitantur, & ſymptomata magis vehementia producunt, ut ſitim, æſtum &c. ſupra docta *potulenta magis diuretica*, volatilem hoſtem citiùs è corpore eliminantia, ut & paulisper acida, aculeos eorum obtundentia, in uſum venire debent.

Sed *ſi circulantes humores magis* obriguerunt, & *immobiles facti ſunt, & tenaces*, tum ſalina potu immixta, quale *nitrum ☿iatum* eſt, & ſimilia, haud quidem erunt rejicienda; ſed *vinum* etiam, veluti naturæ noſtræ adeò amicum, generoſum tamen, vel Hiſpanicum, nullo coagulante acido tinctum, concedaatur ægris, non tamen magnis hauſtibus, ſed *cochleatim ſubinde propinatum.*

Tolerantia tamen erit norma, juxta quam

vini usum mensurare hic debemus : confirmabunt vero cum pulsus non admodum citus, sed sanorum ferè similis, sitis nulla vel exigua, linguaque humida &c. Id quod exemplo confirmat *Riverius* : *Anno* 1623. grassante *Monspelii* Febre maligna, à Peste solo bubone distincta, scribit, ægris quibus pulsus erat parum frequens, sanorum ferè similis, lingua humida, nulla sitis, *vinum exhibuimus felici cum* successu, illiusque *continuationem indicabat levamen* inde emergens, & quod ex illius usu Febris non intendebatur, nec sitis aut linguæ siccitas excitabatur, quibus contraria inerant, vino prorsus interdicebamus. Advertendum tamen pergit, *primis morbi diebus vinum nunquam esse exhibendum*, sed tantum circa statum, cum malignitatis signa se maximè exserere incipiunt.

Venæ-sectionem quod concernit, cùm constet nulla depravata circulantium humorum qualia, mediante ea corrigi posse: item, quantitatem sanguinis in Febribus his, plus prodesse quam obesse; nisi in excessu admodum exsuperet, & ita densus existat, ut majora vasa nimium extendendo, subtilissima contrahat &c. & sic sibi ipsi vias præcludat: propterea eam nullibi hic commendare potui.

Cùm enim insuper plurimæ subtilium particularum continuò decedant, ventriculus verò

verò nullum cibum postulare, multò minus laudabiliter ingestum digerere, & dissolvere queat, ut laudabilis inde rursus generetur sanguis; sicque satis & plus continuo evacuetur, quam quidem convenit: hinc temerariam in malignis esse sanguinis missionem, etsi non summè noxiam, attamen supervacaneam saltem credo: Nisi ob adstantes venæ-sectionem aliquando urgentes, in exigua tantùm quantitate educi permittere velis, quo nomen saltem venæ-sectionis gerat: ne aliàs, si fortè æger moreretur, traduci te patiaris, ac si neglexisses.

Consuetudini ergò hujus aut illius gentis, vel regionis, hic *aliquando quid indulgendum.*

Ante omnia tamen *pulsus exploretur*, qui si levis & rarus, sanguinem non adeo abundare, vel nimium resolutum esse indicat, prorsus cave à v. sectione: contra ubi validus, fortis, magnus, magis concedere poteris parvam ejusdem eductionem.

Productio sanè virium in malignis in eo consistit, uti & in statu sano, ut fluidum illud nerveũ ex sanguine, sufficienti quantitate perpetuo generetur vel segregetur. Cùm verò hic nullum subsidium ab aliquo cibo, ob suspensam digestionem suppeditari queat, sed ex sanguine ipso, spirituum promptuario, fluidum illud sive spirituosũ depromendũ, vel alexiphar-

maco-

macorum beneficio inde eliciendum ſit, hinc ſi ſanguinem effundimus, accidit ut ſimul neceſſarias copias ſuffuremur, unde illud increſcit periculi, videlicet, ut ſubtile illud activum nerveum venenatis corroſivis particulis impugnandis, in finem uſque vix reſpondendò exiſtat. Vid. de his latiùs agentem *Cl. Douckers in ſua exactiſſima Febris Petech. Idæa*: uti & titulum de Peſte.

Fluor Albus ſive Catarrhus Uteri.

Est inordinatus lymphæ, in glandulis uterinis ſtagnantis, & in mucoſam ichoroſam, magis, minus acrem materiam corruptæ, per muliebria effluxus; ſive Gonorrhæa.

Subjectum affectus conſtituunt glandulæ, ac lymphatica vaſa genitalium partium, uteri non ſolùm, ſed & orificii ejus, ac vaginæ, in ſpecie glanduloſum proſtatarum corpus, à *Graffio de mul. org.* circa ductum urinarium detectum, analogum glanduloſis virorum proſtatis, à quo, tam in quàm extra coitum effunditur aliàs limpidus liquor: tam enim mulieres, quàm & viri, in coitu effundunt materiam quandam, cum voluptate.

An

An verò illa in mulieribus ſit earum ſemen, hoc ovarium muliebre nunc repertum refellere videtur: *redit ergo negotium hoc ad dictam proſtatarum lympham*, quæ præternaturaliter conſtituta, poteſt afficere mulierem, ac gonorrhœa virum, utpote quæ etiam abſque voluptate accidit.

Adeoque videntur affectus hi admodum ſibi ſimiles eſſe, propttereaque non malè ſub gonorrhœæ muliebris nomine hic affectus explicari poteſt: *eſt* enim *admodum analogus virorum gonorrhœæ*, & verè ita vocari poteſt, *ſi ex proſtatis glanduloſis effluit* talis liquor: notha verò dici poteſt, quando ex aliis glandulis, & lacunis uterinis, mucoſa ichoroſa materia ſimul ſe jungit.

Glandulas verò dictas, immediatum eſſe affectus noſtri ſubjectum, fœminarum fluore albo laborantium ſectiones, poſt mortem inſtitutæ docuerunt, ubi *nullibi magis vitium repertum fuit, quàm in glandulis dictis*, tum uterinis, tum vicinis lumbaribus, nec non in toto ferè corpore induratæ, & humore craſſo, ſebaceo, vel flaveſcente, refertæ, inventæ fuerunt.

Signa noſtri affectus quod concernit, etſi ſponte ex ægrarum relatione pateat, lubet tamen pro majori diſtinctione & cognitione, præcipua apponere.

Diver-

Diversimodè namque fluxus hic se gerit. Vulgo effluit *materia alba, mucosa, serosa*, aliquando *saniosa*, vel *subviridis* &c. inordinatè tamen, & *absque dolore plerumque*: quandoque vero ita acris & corrodens, ut partes quas attingit erodat, & exulceret: aliquando mitis, & nulla corrodendi vi prædita, aliquando fœtida, in consummato scilicet malo quandoque inodora.

Fluore inveterato *fœdus accedit faciei pallor*, oculique, manus & pedes tumere incipiunt, & *cachexia plenariè se adjungit tandem.*

Fluit vero vel continuato cursu, vel interrupto, & vel longo durat tempore, vel brevi cessat: & redit per intervalla, vel certa, quod tamen rarum est, vel per incerta.

Accidunt quandoque *menses decolores*, qui mensium alborum sive fluoris albi nomine aliquando venire solent: sed differentia est inter hos fluxus, non solùm ratione materiæ, sed & exeundi modo; Menses namque, etsi decolores, sanguis suppeditat: Fluorem vero album, sive *menses albos*, *uti impropriè etiam appellari solet fluor hic, sola constituit lympha* mediantibus vasis lymphaticis ad glandulas uterinas derivata.

Sic & suum adhuc periodum absolvunt non raro menses, etsi decolores, licet non adeo exactè: *Fluor vero promiscuè absque ordi-*

ordine accidit, etſi cum inordinatis menſibus aliquando ſe jungat.

A Gonorrhæa virili non aliter differt, quàm quod in his plerumque peccet ſemen prolificum, *in fœminis* vero, quia hæ ejus loco ovario dotatæ ſunt, modo peccat *vicarius*, *proſtatarum liquor*, qui ut ad coitum ſaltem ſtimulet, in eis reconditur.

Et ſi *liquor* hic *glutinoſus*, vel *ſeroſus*, moderata quantitate exit, tum vocari poteſt *vera mulieris gonorrhæa*, & hæc aliquandiu abſque inſigni mulierum detrimento durare poteſt.

Notha vero, ubi plures aliæ partium genitalium glandulæ, lympham fundunt, tandem acrem, copioſam &c. ac dolore ſimul lumborum, & circa os ſacrum moleſtat, tum cachexiam ſenſim inducit, cum plurimis hujus phænomenis.

A Gonorrhœa virulenta non differt, niſi levitate, & invadendi modo. Contrahitur enim illa ex coitu impuro, hæc, abſque ullo coitu accidere poteſt. Sic & illa vaginam uteri exulcerat, hæc raro.

Sic *Gonorrhœa virulenta affectæ*, *congreſſum haud ferunt*, qui tamen fluore albo, ſive gonorrhœa ſimplici, vel & notha, affectas vix impedit.

Notanda ergo hæc ſigna, quo mulierum honeſtus prætextus, quando gonorrhœa virulen-

rulentâ laborantes fluore albo ſe affectas eſſe mentiuntur, palam fiat, ac convenientibus eis ſuccurri queat remediis.

Cauſam immediatam noſtri affectus ſuppeditant glandulæ prædictæ, ob ſuorum canaliculorum, & pororum nativam laxitatem: vel ob *vitioſam acriorem* vel adductam, vel *ſtagnando ita redditam lympham*, eroſæ, facillimè advectam lympham elabi permittentes, inſtar fonticuli.

Cauſa Mediata Proximior ergo eſt lymphæ adductæ p. n. facta excretio. Quando enim ſemel ſtagnans lympha canaliculos glandularum vel invertit, vel corrodit, ſicque fonticulum quaſi formavit, tum non poteſt non ſub hac vel illa forma exire, vel continuo, vel per vices, prout lympha vel copioſa adeſt, vel minùs copioſa, vel magis minùs acris, & continuo vellicans exiſtit.

Vitium verò ſibi *lympha contrahit utplurimum ex primis viis*, quando inibi chylus haud ritè elaboratus, ſanguini advehitur; qualis enim chylus, talis ſanguis, & qualis ſanguis, talis lympha &c. inde exſurgit.

Cùm verò glandulæ conglomeratæ, quales hæ mulierum proſtatæ ſunt, ita ſint ſituatæ, & formatæ, ut adductam lympham vel è corpore extermінent, vel ad alium uſum excernant, ut pancreas, glandulæ ſalivales &c.

hinc

hinc vitium ſemel contractæ, & leviter quaſi vel eroſæ, vel alio modo laxatæ, dilatatæque, ſemper tunc contentam lympham pr. n. dimittunt, quæ aliàs reſediſſet quieta, ut in ſemine virili conſpicuum eſt, donec ſtimulo aliqua commota exiiſſet.

Cùm verò ſtimulus, ſive acrimonia ſingularis acida, hic in ipſa exiſtat lympha adducta, propterea ad ſui excretionem magis minùs ſtimulat, prout magis, minùs, copioſa & acris exiſtit: Acidum verò quod ineſt, in varias eam transformat formas, mox enim colore albo, muco, ſaniei ſimilis, mox glutinoſa, tenuis, ſeroſa, flava, virideſcens, vel in odora vel fœtida exit: mox ab aëris appulſu magis alterata, hanc vel illam ſpeciem refert, & quæ ſunt aliæ lymphæ vitioſæ, alterationes & coagulationes.

Cauſis præmiſſis jam materiam ſimul ſubſternunt *Remotiores aliæ*, ex triplici vulgò *rerum Nat. Non Nat. & Præt. Nat. ſerie: & ex Naturalibus* quidem, non levem addit anſam temperies circulantium humorum, utplurimum ex ſeroſis, & acidis conflata, unde ſtatus caloris emergit juſto minor, & debilior, fœminis magis quàm viris communis.

Non tamen alias hic planè excludimus mulieres, quibus humores circulantes magis ſubtilibus, oleoſis particulis turgent, poſſunt,

enim hæ aliquando ex errore quodã sibi aliam huc quadrantem humorum temperiem adsciscere.

Ætas, quæ ad hoc malum inclinat, vulgò quidem consistens est, & declinans: non tamen excluduntur aliæ, quemadmodum plurimis exemplis testantur autores *Severinus*, *Pinæus*, *Roderic. à Castro*, *Schneider. de catarrh.* qui puellas & virgines, tenerioris ætatis, hoc affectu laborasse referunt.

Frequentiùs tamen circa tempus mensium prima vice instantium eas hoc malo corripi *Sylvius* testatur.

Neque maritatæ ab hoc fluxu sunt immunes, sive fœcundæ, sive steriles, sive gravidæ, sive non, vel viduæ.

In specie molliori corporis habitu gaudentes, & laxiori; ac fibris minus robustis, sed ob spirituum debilitatem carne laxiori, & fibris minus tensis præditæ, potissimùm huic malo sunt obnoxiæ: & *magis albida quidem plus, quàm alia;* quia circulantes harum humores, ob motum minus fortem & robustum, etiam rubicundo colore, veluti fortioris circulationis aliàs consequenti, minùs imbuuntur.

Ex Nonnaturalium censu primò hic occurrit *aër*, hic, si frigidus & humidus quid conferre huc queat, testari possunt illæ, quæ loca Septentrionalia, & paludosa inhabitantes,

tes, plus hoc malo corripiuntur, quam in calidioribus ſiccioribus regionibus degentes.

Propterea ſibi malè conſulunt illæ, quæ in aquis multum lavandi cauſa verſantur, præter hoc enim, quod levi de cauſa ſic lympha earum craſſeſcat, & huic malo anſam addat frigus; corripi etiam non rarò ſimul ſolent menſium ſuppreſſione, & denique cachexia.

Hinc compertum etiam habemus, pluvioſas tempeſtates, item *autumnale & hyemale tempus, plus ad fluorem hunc diſponere*, quàm tempus æſtivum, ubi ad ambitum corporis magis alliciuntur humores.

Victus quantum ad hoc producendum contribuat malum, nemini non poteſt eſſe notum: in ſpecie omnia alimenta, crudum chylum & exceſſivè humidum ſuppeditantia, huic vitio pondus addunt, ſub hunc cenſum veniunt *piſces* minùs laudabiles, *caſeus*, *oleracea*, *ſalſa*, *fructus horarii*, *oſtreæ*, *cochleæ* & ſimilia, item *ab acidis* in Belgio frequentiorem hunc fluorem, quàm alibi, judicat *Sylvius*.

Neque verò cibi ſolùm, ſed & potulenta aquoſiora, cerevisia feculenta, cruda, & ſimilia immodicè ingurgitata, ſymbolum conferre poſſunt.

Quid ex reliquis rebus nimia quies, ſive *otium* huc conferat, poſſunt teſtari agreſtes,

ob continuum motum minùs quàm urbanæ hoc malo obnoxiæ mulieres.

Inter Excreta hic notandum, quod destillationes mucosæ per nares, & salivales glandulas serosæ, suppressæ huic affectui ansam addant: Sic *Rollfinck. Consult. l.* XI. refert, se novisse *mulieres emunctæ naris*, quibus perpetuò humoris albi stiria ex utero manaret, lymphâ à glandulis illis non admissa, *ad* has verò *uterinas glandulas propterea copiosius transmissâ*, & tanquam universali fonticulo exclusa continuò.

Nec excluditur hic Venus immoderata, quippe quæ glandularum canaliculos multùm laxat, & ampliat, & ad copiosiorem affluxum humores invitat.

Ex Præternaturalibus causis hic notari merentur partium infimi ventris, præcipuè pancreatis, ac mesenterii obstructiones, quantum enim ad digestionem, sive dissolutionem & attenuationem chyli contribuat aliàs succus pancreaticus, alibi satis explicatum reperies, unde obstructo hujus succi promptuario, pancreate videlicet, non mirum chylum minus laudabilem elaborari, & insuper lympham inibi stagnantem, alibi, ut in glandulis uteri erosis, vel alio modo vitiosè contextis, regurgitando quasi, copiosius excerni.

Sic & *cachexia*, *sterilitas antegressa*, *cacochymia*, *partus laboriosi*, *abortus frequens*, & similes mor-

morbosæ dispositiones, malum hoc procreare levi negotio solent.

Prognosis nobis indicat Fluorem album moderatum ex prostatis saltem glandulis emanantem, *gonorrhææ instar, parum periculi* portendere, cum in sanis aliquando multis mensibus, vel annis, absque noxa sic fluere soleat: propterea que sæpe, *Aristotele* ita sentiente, *bonitati circulantis naturæ*, per muliebria excrementitios corporis humores evacuantis, adscribendus: & *plus conducere sanitati, quàm obesse*, credibile ferè est; cum circulans natura per hunc veluti universalem fonticulum, plura superflua, aliàs sæpiùs aliis in locis moram nectentia, & *catarrhos excitantia*, sic expellere conetur. Modò monderatus sit fluxus, neque continuus: Ne, etsi non adeò periculosum existat hoc malum, tamen fœditate, & molestia, muliebri sexui admodum grave fiat, vel & maritis exosas non tantum, sed & ad conceptionem inhabiles eas reddat, præprimis si per longas nunc invaluere moras, & plurimis aliis glandulis erosis, fluxum intendit continuum; ac gonorrhœa notha sic inducta, *ad tabem, atrophiam*, & *hydropem* tandem deducit.

Inveteratus ergo fluor habitualis factus, & inveteratus, curatu admodum difficilis existit, nec nisi longo medicamentorum usu cedit, quin & *cum vetulis commoritur*.

Pro lymphæ verò majori, vel minori vitio, & à naturali statu majori minori recessu, difficilior etiam inde cura emergit.

Quamdiu ergò *duraverit* malum, & *an continuum*, vel *an fluor copiosus*, *boni* vel *mali coloris, odoris, acris* vel non &c. solicitè scrutandum, ut sic prognosin moderari pro hac vel illa conditione possis: Ubi namque fluor mitis, recens, non continuus, copiosus, materia benigna &c. citioris curationis spes inde concipi potest.

Curatio duplicem Fluoris faciem attendendam respicit, scil. vel illam Fluoris speciem, quæ mitis, gonorrhœæ virorum instar, ex prostatis glandulis, mulieres affligit, in vagina sitis.

Vel eam, quæ magis depravatam lympham, non tantum ex dictis glandulosis prostatis, sed & ex plurimis aliis erosis, fundit.

Levior illa species, Gonorrhœæ similis, iisdem curatur, quibus gonorrhœa virorum, *absumendo materiam seminalem vicariam*, & glandulas laxiores roborando.

Absumitur verò vicaria seminalis materia, sive prostatarum lympha, *frequentiori coitu*, vel acidis eam incrassantibus, utpote *succo citri, granatorum, sero lactis caprillo* copiosè hausto, & *nitratis variis*, ut & *camphora* incensa, & in potu crebrius extincta.

Externè verò *Balnea blandè adstringentia*, glan-

glandulas roborando, copiosiorem lymphæ affluxum coërcent.

Magis vero gravis Fluor, continuo durans, & molestans, propterea Gonorrhoeæ muliebris nothæ nomine insignitus, magis universaliter depravatam, & acrem lympham causam agnoscens, magis universalia, & appropriata requirit.

Et cùm rei cardo unicè lympham, & quali & quanto peccantem respiciat, hinc in auxilium vocentur ea, quæ eam quovis modo restituere apta nata sunt.

Ex universalibus quidem *Cl. Ettmüller magis vomitoria* quàm purgantia commendat, cum hæc fluxum exasperare contendat: non aliter ac in gonorrhoea virorum accidere solet, quæ à purgantibus etiam augeri solet, citra tamen noxam.

Interim tamen testatur *Riverius*, se aliis remediis frustra tentatis, in *ptisana laxante*, certum & fidum invenisse auxilium, ejusque ope, per mensem integrum adhibitæ, solùm diuturno fluore albo laborantem mulierem prorsus ab eodem liberasse: & hoc medicamen non in suis solùm *Centur. observ. sed & Praxi* commendat: ac similem observationem suppeditat *Greg. Horst. de morb. mul.*

Idem *Riverius Jalapina* etiam multum laudat, refert enim *observ.* 8. mulierem quadragenariam, per septem menses fluore affectã, sola octidua-

duana, *resinæ Jalappæ* usurpatione feliciter curatam fuisse.

Sed si malum ex vitiosa prima digestione, & latentibus inibi ruditatibus copiosis, ortum habere hariolетur, *vomitoria* præferuntur purgantibus: in puellis namque pituitosis, ex cruditatibus primarum viarum ita laborantibus, præstantissimum hæc ferunt auxilium.

Post hæc verò ad attenuandam, vel corrigendam acrem lympham, & à decubitu illo pr. nat. ab uterinis glandulis avertendam, & liberas illi vias restituendam, in usum veniant aromatica volatilia oleosa, alterantia, & attenuantia alcalina, fixa, & volatilia. v. g.

℞. *Tinct. bezoard.* gutt. 50.
Ess. meæ succini gutt. 30.
Tinct. anodyn. gutt. 12.
▽. *menth.* ℥ij.
Syr. corall. ʒj. mf. Propinetur sæpius *Succinum* fluoris albi in specie citum, & tutum est remedium. Sic porrò

℞. *Ess. meæ succini*,
Tinct. terræ catechu aa ʒj.
anodyn. ʒß. mf. detur ad gutt. 60.

Vel ℞. *Salis volat. ol. succini* ʒij.
Tinct. anod. ʒß. mf. detur guttatim cum vehiculo idoneo.

Vel *Riverii* hoc, & plurimorum experimentis comprobatum, v. g.

℞. *Test.*

℞. *Test. ovor. calc.* ℥j.

Crist. ♂. gr. 36. quibus addere jubent alii grana aliquot *camphoræ* & *opii*, ut & *Sach.* ♄*ni.* & tum in partes 4. diviso, propinant cum vino dosin, bis in die.

Vel ℞. *Succini præparat.*
C.C. s. △*e.*
Unicorn. fossil.
Cristall. præparat. aa. ℥j.
Mastichis.
Nucis moschat. aa. ℥ß.
Extr. opii. gr. vj.
Camphoræ. ℈ß.
☍ *Succini.*
Caryophyll. aa. gutt. iij. m s. fiat Pulvis, cujus Dosis sit ℥ß. cum ▽. *menth. meliss. Decocto rorismarini &c.* quippe hoc *solo Rorismarini Decocto*, vel cum *veronica* & *melissa*, in vino facto, *Lindanus* se fluorem muliebrem curasse, ad tempus continuato, testatur.

Si lympha magis serosa, & acris peccet, tum fortiora exsiccantia, utpote *Decocta lignorum, sassafras, sarsæparill. Chinæ*, cum anticatarrhalibus facta, hic non erunt absque efficacia, si cura integra sudorifera his instituitur.

Hæc & similia etsi non tantùm lympham attenuando & dissolvendo, ac per poros innumeros cutis expellendo, sed & per urinam

 par-

partim educendo, dicata sint; tamen huic negotio in specie *therebinthinata* etiam insistunt, qualis est *Massa Pill. de terebinthina, cum rhabarb.* Vel:

℞. *Terebinth. cum aq. menth. lot.* ℥ß.
Succini præparat. ʒj.
Flor. *✱ci corallat.* ℈j. mſ. Fiant Pillul. quæ sumantur aliquoties in septimana.

Spectant huc *acidulæ*, quæ in robustioribus magis calidioribus naturis lympham tenacem admodum diluunt. Sed *ubi jam ad cachexiam proximè accedit malum, vitentur.*

Tandem circulante natura mediantibus his & similibus à superfluitatibus sufficienter depuratâ: ad confortantia, & magis adstringentia accessus fieri poterit, ut glandulæ & vasa roborentur, & pristinam recuperent texturam debitam, in hunc finem poterit fieri tale vinum medicatum. v. g.

℞. *Rad. caryophyllatæ* ℥ß.
Galangæ. ʒij.
Herb. rorismarini.
menth.
meliss. aa. m. j.
Scarleæ m. ß.
Fl. balaust. p. ij.

Bacc. lauri ʒj.
Nuc. moschat. ʒß.
Croci ℈j.

Incisa dentur pro nodulo vino imponendo.

Externa, prægressis complementum addunt: potius tamen ad glandulas laxas, vitiosas quoad texturam redditas, restituendas, quam ad vitium à toto compescendum.

In hoc vero negotio præ aliis conducunt *Sacculi & fomenta*, ex roborantibus, uterinis, cum vino cocta, & uteri ac pubis regioni applicata, concinnata ex *mentha, melissa, scarlea, flor. rosar. balaust.*

Thermas noxias esse, & vitium hoc plus ciere, quam restinguere, vel corrigere, *Platerus notavit Tom.* 3. *c.* 7.

Clysteres vero uterini, hic non sunt de nihilo, pro abstersione parietum uteri, quæ aliàs à materia acri corrodi solent, possunt vero hunc in modum confici, ex *Cl. Ettmülleri* mente, v. g.

℞. *Ligni sancti* ℥iij.
Cortic. granat. ℥j.
Aluminis.
Thuris aa. ℥ß.
Mastich. ʒij.
Balaust.
Fl. rosar. r. aa. m. ß.

Coque

Coque leni igne in *aq.comm.* vel *chalybeat.* ℔.ij. ad med. ſub finem addendo *vini rubri auſteri* ℔.j. detur pro uſu.

Lumbis poteſt imponi *Empl. de galbano*, vel *unguent. Comitiſſ.* inungi.

Pro inungendo ventre ad regionem pubis usque, idem *Cl. Ettmüller* multum laudat *euporiſton* illud *ex ſcarlea*; quando ea ſubigitur cum butyro, & tum putrefieri quodammodo permittitur, tum vero decoquitur, & colatura in uſum cedit.

In *Diæta* vitet ægra frequentiora juſcula, lacticinia, farinacea, ſale & muria macerata, fumo indurata, carnem porcinam, piſces, acida, acetum, oleracea, leguminoſa, fructus horarios, & omnia ſimilia, chylum crudum ſuppeditantia.

In Potum vero v[illegible]num cedat, herbis aromatiſatum, vel cereviſia talibus medicata.

Gonorrhœa virilis.

Duplex eſt, vel vera, vel Notha.

Vera vel levis eſt, vel gravior, aut frequentior.

Levis gonorrhœa, *Pollutio nocturna* audit, & *eſt ſeminis ab inſomniis venereis noctu excitata excretio voluptuoſa.*

Gravior

Gravior gonorrhœa verò est seminis involuntarius, creber, & quandoque copiosus effluxus, tam noctu quam interdiu, citra tentiginem, sed cum flacciditate penis accidens.

Notha vero Gonorrhœa, ab hac graviore vera gonorrhœa *non differt nisi materia*, (loco enim seminis aliud effluit liquamen aquosum, tenue, citra omnem sensum, & fluori muliebri similis est, vocaturque propterea à quibusdam gonorrhœa catarrhalis:) *& subjecto sive parte affecta:* & itidem est vel benigna, vel maligna aut virulenta.

Subjectum autem *gonorrhœæ veræ*, sunt vesiculæ seminales, à quibus, ex deferentibus vasis, semen delatum retinetur, donec in usum venire debet, vel in coitu, vel spontaneo impetu.

Nothæ verò gonorrhœæ Subjectum sunt Prostatæ glandulosæ, infra vesiculas seminales sitæ, quæ vehiculum seminali materiæ præbere, & urethræ lubricationi, item & titillationi inservire dicuntur.

Emulgent verò hæ prostatæ, lympham sui generis, sive liquorem aquosum limpidum tenuem, qui per varios tubulos, in latera foraminum semen ejicientium desinentes, vel per se frequenter, ut in hoc malo, ex massa san-

ſanguinea emulgetur, vel ordinario uſui ante dicto naturaliter inſervit, ſeminalem materiam videlicet vehendo, & urethram lubricando &c.

Signa diſtinctiva patent ex definitionibus: Inſequi vero ſolent vel comitari *laſſitudines artuum*, impotentia ad motum, *viſus & oculorum debilitas, appetitus dejectus*, gracilitas circa lumbos, & tandem *ipſa tabes dorſalis*, vel *cachexia*, præcipuè gonorrhoea notha laborantes.

Cauſa immediata Gonorrhœæ veræ quemadmodum eſt veſicularum ſeminalium, ad ſeminis contenti excretionem pr. nat. irritatio: ſic *gonorrhœæ nothæ cauſa immediata* eſt *proſtatarum*, ad liquoris ſui effuſionem, *ſtimulatio.*

Cauſæ mediatæ proximiores variant, pro diverſa gonorrhœa. *Levioris veræ gonorrhœæ, ſive pollutionis nocturnæ cauſa proximior* ſemper ferè eſt *ſeminis abundantia*, quando enim hoc turgeſcit, & à calore, ob diuturniorem decubitum in dorſo ad orgaſmum diſponitur, tum orgaſmus ille in ſomno animæ delatus, eam movet, & ad phantaſias de rebus venereis ſtimulat, & ſic ſemen cum voluptate excernere facit.

Gravioris verò & frequentioris gonorrhœæ proximior cauſa non eſt ſeminis ſolùm abundan-

dantia, ſed & *nimia aquoſitas*, plurimam partem volatilitate ſua oleoſa, & debita conſiſtentia deſtituta, magis vero rudioribus particulis tincta, unde & absque voluptuoſa titillatione effluit, non aliter ac à purgantibus, vel cantharidum uſu accidere ſolet.

Nothæ vero Gonorrhœæ cauſam proximiorem ſuppeditant circulantium humorum, vel lymphæ magis ſeroſæ partes, dum illæ veluti prò repurganda univerſa maſſa ſanguinea, huc copiosè, & continuò deferuntur.

Diverſæ hæ gonorrhœæ ſpecies, quemadmodum à diverſis proximioribus cauſis originem traxerunt: ſic & *remotiores cauſæ* diverſæ ſunt, pro hac vel illa ſpecie excitanda.

Et quidem Pollutioni nocturnæ, ſeu leviori veræ gonorrhœæ, ex remotioribus, cauſam addunt, *ex Naturalibus Temperamentum*, ex laudabilibus circulantibus humoribus volatilibus oleoſis concinnatum, vulgo ſanguineum: & huic ancillantur *ex Nonnaturalibus* victus, & Diæta plena, cum vita ſedentaria, & quiete nimia &c.

Gravior vero *gonorrhœa vera*, *inter remotiores cauſas* agnoſcit *ex Naturalibus rebus Temperamentum*, magis acribus & humoribus conflatum.

Ex Nonnaturalibus vero, alimenta, copiosum quidem ſuccum, ſive chylum, magis tamen acrem, & ſeroſum ſuppeditantia, in cauſa ſunt. Non vero *Venus nimia*, & *venereæ cogitationes* hic excluduntur.

Ex Præternaturalibus vero, vulgò huic gonorrhœæ ſymbolum addere ſolet, pororum veſicularum ſeminalium, in urethram inter glandulas proſtatas, tendentium nimia dilatatio, quæ contentum ſemen aliàs haud debitè conſtitutum, vel ſeroſum, vel paulò acrius, facillimè dimitti concedit.

Nothæ gonorrhœæ benignæ Remotiores cauſæ, in prima digeſtione quærendæ ſunt. Et præter temperamentum frigidum humidum, ex naturalibus rebus, cauſam ei addunt *ex Nonnaturalibus*, alimenta, chylum aquoſiorem, ſalinum magis concedentia, & varii alii, rerum nonnaturalium ſerie, comprehenſarum, commiſſi errores.

Et *ex Præternaturalibus*, anſam addunt non tantùm *cachectica* corporis, ſive circulantium humorum conſtitutio, vel *ſcorbutica ſeroſa diſpoſitio*; ſed & proſtatarum canaliculi & pori contoſti, dilatati, vel ampliati, aut alio modo conſtituti, ut inſtar fonticuli continuò laticem illam ſeroſam, non tantùm attrahant, ſed & excernant perpetuò, cauſam addunt.

Quod

Quod malignam *gonorrhœam notham*, sive *virulentam* attinet, cùm hæc à contagio originem ducat venereo, & ad luem veneream pertineat, eam hic non attendimus, sed ad luem veneream relegamus.

Prognosin quod attinet, hæc nos erudit, pollutionem nocturnam parum quidem periculi portendere: sed gonorrhœam tam veram, quam notham esse satis gravem morbum, quippe illa *ad tabem dorsalem*: hæc *ad cachexiam &c.* deducit. Non quod seminalis materiæ, vel serosi liquaminis effluxus hæc præstet; sed quod integra circulans massa vitiosa hoc & illud excitet symptoma.

Curatio variat pro diversa gonorrhœæ specie.

Pollutio nocturna, levior gonorrhœa, seminis imminutione curatur. Caveatur vero, ne leve malum curaturus, gravius inducas.

Propterea *in juvenibus*, nisi immoderata sit, & ad gonorrhœam accedat, ubi ad aspectum saltem virginis semen emittitur, *non aggrediatur*, est enim *ætatis hujus vulgare consequens*.

Si ergò abundet semen, nec coitu licito id imminere concessum est, tum imminuatur quidem, sed non extinguatur semen.

Et tunc pro imminuendo semine, & orgasmo ejus inhibendo, veniant in usum *acidula* varia, *succus citri, limonum, granatorum, solutio*

corallorum cum ſucco citri, & inde confectus *ſyrupus* &c. item *emulſiones*, vel & *nitrum ſæpius datum*, quippe de hoc refert *Timæus*, quod quidam extremè libidinoſus, largiori nitri exhibitione talis eſſe deſierit.

Diæta inſtituatur parca, ex alimentis quidem acidioribus, chylum minus ſemini aptum ſuggerentibus: & exercitiis ac vigiliis exerceatur corpus. In potum cedat aqua, & ſubinde *emulſiones*, *julepi* & ſimiles potus ſubſtituantur, ubi *Cl. Ettmüller* commendat hanc mixturam, v. g.

℞. *Aq. roſarum* ℥iij.
Succi citri ℥j.
Album. ovi crudi. n. j.

miſce, & propinetur ſemel de die. Vel fiat tale infuſum alterans, v. g.

℞. *Fl. roſar. r.*
papav. err. aa. m. j.
Santal. r. pulveriſ. ℥ß.

Inciſis & *ſpir. vitrioli* irroratis affunde *aquæ fervent.* ℔. iij. Tincturæ extractæ & colatæ adde ▽. *nymph. roſarum* aa. ℔. ß. *ſyr. acetoſ. citri*, & *ſucci citri* aa. q. ſ. pro grato acore.

In graviori verò, *vera gonorrhœa*, ab humoribus nimium ſeroſis, acrioribus dependente, omiſſis acidis, in uſum veniant *abſorbentia*, *ſtyptica vi prædita*, quæ ſeri acrimoniam mi-

mitigare, & tam laudabiliori semini elaborando ansam addere, seminaliaque vasa roborare queunt.

Palmam vero hic aliis præripiunt *succinata*, item absorbentia ex *corall. cryst all. mont. oss. sepiæ*, *saccharo Saturni*, ♁. *diaphor. croco Martis sacch arino*, *camphora* &c. ut & alia, magis crassam semini consistentiam suppeditantia, utpote *emulsiones* &c.

Quoniam enim hic semen tenuitate magis peccat, hinc incrassantia simul sint medicamina, & consistentiam addentia, v.g.

℞. *Semin. plantag.*
portulac. aa. ℥ß.
Succini alb. præparat.
Oss. sepiæ
Boli orient. aa. ʒj.
Terebinth. coct. & pulverisat. ʒvj.
Camphoræ ℈ß.
Sacchar. in aq. rosar. solut. q. s. fiant s. a. morselli, bis de die sumendi.

Si circulantium humorum quantitas paulisper minuenda venit.

℞. *Tereb.* ℥ß.
Rhabarb pulveris. ʒj.
☿. *dulcis* ℈j.
Oss. sep.
Liquirit. pulveris. aa. ʒß.
misce, fiant Pillulæ pro 2. dosibus.

Externè dorſum & lumbi inungantur *ung. refrig.* vel *albo camph.* cum *ſacch. Saturn.* mixto, & lamina plumbi continuò geſtetur.

In *Diæta oryza cum lacte cocta* in diligenti ſit uſu. Qui vino abſtinere haud poteſt, bibat illud infuſum cum *urtica mortua & mentha.*

Si Gonorrhœa notha, benigna tamen, potius eſſe videatur, & proſtatarum ſeminale liquamen magis, quàm verum ſemen effluere notetur, id quod palam fiet, ſi in urina fundum petat materia hæc, ſemen namque in ſuperficie natat, nec fundum petit, & confuſa urinâ, non divellitur.

Hæc gonorrhoeæ ſpecies abſtergentibus, & cacochymiam corrigentibus impugnetur.

Et antequam parti affectæ manus adhibemus, corpori univerſo, humoribus videlicet corrigendis, ſtudendum eſſe *Mercatus* monet, ne inflammationibus teſticulorum, proſtatarum &c. anſa detur, humoribus ſic retentis, & ab hoc quaſi univerſali fonticulo averſis.

Sic *Veslingius* unicum ritè curandi ſcopum commendat, *abſtergere* videlicet, *& ſiccare*, non vero adſtringere. Propterea cum emolumento *Terebinthinâ, Rhabarbarâ, & Decocto Altheæ* fuit uſus.

In ſpecie ferè Practici omnes hic commendant *terebinthinam*, quam, ad vias urinarias materiam derivando, hoc malum curare conten-

tendunt. Propterea varias ex ea concinnant formulas, *Riverius* commendat hoc, v. g.

℞. *Terebinth. opt.* ℥iiij.
Vitell. ovi n. ij.

In mortario mixtis adde *Aq. agrimon.* ℔. j. & misce donec terebinthina est soluta, tum pone per noctem in M.B. mane cola, & adde sacchari, & succi limon. q. lubet, & de hoc propina singulo mane ℥iß.

Vel ℞. *Tereb. Venet. aq. plant. lot. & ad consistent. coct.* ℥j.
Rhabarb. pulveris.
Liquirit. pulveris. aa. ʒj.
Bals. Peruv. ℈j.

misce, fiant Pillulæ, quæ dentur mane & vesperi ad ℈iß.

Aliter vero sentiunt alii, ex quibus *Fortis consult.* 25. *cent.* 4. ita scribit: in praxi ego ex diureticis nil laudabile vidi, *propterea nec terebinthinam præbeo*, nisi in vasorum & penis contractionibus, & convulsionibus: feliciorem vero curationem vidi, materiâ ad ambitum corporis derivatâ, *diaphoreticis & sudoriferis*, Decocti alicujus accommodati ope,

Talia motum seri corrigentia, affluxum moderantia, acrimoniam corrigentia, abstergentia, & aliorsum divertentia, etiam admodum commendat *Cl. Wedelius*, qualia in universum debentur catarrhis & seri quibuscunque fluxibus.

bus. Sic v. g. *Essentia succini*, cum *bezoardica maritata & anodyna*, se feliciter gonorrhœam abegisse testatur, quo & *sudorifera ex lignis* pertinere dicit.

In genere hic conducunt omnia, quæ supra de albo Mulierum fluore commendavimus: Sunt enim ambo hi affectus sibi ratione materiæ ferè ubique similes, nec nisi ratione partis affectæ parum differunt, æqualia etiam symptomata vel ut adjuncta habent, vel ut consequentia.

Hæmoptysis sputum sanguinis ex thorace.

Est sanguinis ex organis respiratoriis, cum tussi accidens rejectio, à vasorum inibi apertura, ortum trahens.

Subjectum sunt respirationis organa, pulmo scilicet, cum suis sanguivehis vasis, tam arteriis, quam venis.

Signa per se quidem ex definitione hauriri posse videntur, sed cùm ex variis locis in os derivari queat sanguis, & expui, *ex naribus* videlicet, *palato, gingivis, faucibus* & aliis vicinis locis: hinc ratione partis in specie affectæ, ea maximè hic sunt attendendæ.

Sic

Sic quando *exspuitione levi* sanguis rejicitur ex ore, est *ex palato, naribus* aut vicinis superioribus partibus.

Si vero *levi screatu* expuitur, est *ex faucibus*, vel aliis ad thoracem tamen haud pertinentibus locis.

Sed *si tussi*, præsertim reiterata, cum conatu rejicitur sanguis, vel spumans, vel floridus; utplurimum *ex thorace*, & *læsis pulmonum vasis* accidit sanguinis illud sputum.

Non tamen semper cum tussi, sed & absque eo, graves contingere hæmoptyses, testatur *Wedel. Ann. M. Cur.* 2. *p.* 84. & *Rhodius cent.* 2. *obs.* 32. &c. dum scil. ob sanguinis copiam impetumque subitaneum, tussi haud tempus relinquitur.

Si à catarrho acri corrodente ortum ducit, cognoscitur *ex sanguine malè colorato*: sic & paucus in principio expuitur sanguis, in progressu vero erosione aucta, copiosior, & tandem puris sputum sequitur.

Si ex ipsis accidit pulmonibus, dolor non multum urget: secus quam si membranosa magis, vel musculosa pectoris substantia, vel & aspera arteria, sanguinem fundunt, tum ob sensum his in partibus validum, major percipitur dolor.

Si diutius in thorace moram nectit extravasatus sanguis, tum *gravat pectus*, & si rejicitur, niger & obscurus, plus minus grumosus observatur.

Ex arteriis verò *si effluit*, floridus, tenuis, & spumosus erumpere solet, ob reciprocum aëris motum rarefactus.

Differentiarum ratione alia est *recens*, alia *inveterata*, alia *periodica*, alia non.

Hæmoptysis periodicæ, inveteratæ innocuæ, plura dantur exempla. *Rhodius Centur.* 2. *observ.* 84. anniversariam observavit hæmoptysin. Diurnam periodica, mubi æger singulis horis interdiu sanguinem semel expuit, noctu verò, etsi vigilans, nihil expuit, *Amatus Lusitanus notavit Cent.* 6.

Causa Immediata est vasorum sanguivehorum pulmonalium apertio, sive erodendo hæc fiat, aut aliâ methodo.

Causa mediata proximior in circulantium humorum acrimonia quærenda venit, sive enim nimis tenuis & acris existat, sive crassior sanguis sit, vasorum apertioni ansam addit.

Illud *arteriolarum oscula exedendo*; hoc, quando à venis promtè satis excipi nequit, extendendo arteriolas, & lacerando eas, sanguinem efflui, & extravasari permittit.

Ex Remotioribus causis, à quibus acres illi, serosi, vel crassi humores generantur, hic se sistunt *ex Naturalium rerum classe*, *Temperatura* & textura circulantium humorum ex acribus, & acidis particulis plurimis compaginata. Quorsum

ſum & facit Pulmonum ipſa textura, admodum levis, & imbecillis.

Ex Nonnaturalium claſſe, *aër* tam nimium calidus, acres particulas in motum nimium concitando, quàm & *frigidus* nimis, particulis ſuis acidis *conſtringendo* vaſa, hæmoptyſi anſam addere poteſt, ob cauſam modo paulò ante de proximiori cauſa traditam.

Ex cibis materiam miniſtrant *acres*, *ſalſi*, *acidi*, circulantium humorum texturam vitioſam, acrem, obſtruentem, & erodentem reddentes, ubi non excluditur vinum.

Nec absque effectu aliquando eſt *fortior corporis motus*, ſaltatione nimia, clamore, vociferatione, tuſſi nimia, concitatiori, &c. inſtitutus.

Neque inter animi Pathemata ira aliquando eſt extra culpam, ſingulari animæ motu, humores ad orgaſmum diſponens, & fortiter commovens.

In claſſe Præternaturalium rerum, in menſium & hæmorrhoidum ſuppreſſionibus, ex ſanguine verſus majora vaſa vel cor ſtagnante, & vaſa extendendo aperiente, ſanguinis ſputum admodum frequens eſſe ſolet.

Et quid *caſus ab alto* hic valeat, quotidiana docent experimenta.

De *catarrhis acrioribus*, *ſalſis*, *acidis*, *ſcorbuticis*, res per ſe clara eſt, & his quidem, ea exori-

tur hæmoptysis, quæ phthisin procreare solet, & pulmonum vomicam relinquit.

Sic & venena *corrosiva acida, spiritus vitrioli, nitri, aquæ fortis &c.* in earum destillatione hausta, causam aliquando ministrant.

Prognosis nobis hic sistit affectum, ob subtile Pulmonum, & rarum, & innumeris vasis contextum corpus, curatu admodum difficilem; & ad plures annos sæpe, innoxiè tamen, affligentem: quemadmodum apud *Rhodium Cent.* 2. *obs.* 30. *Bartholin. in Act. Haffn.* & alios legitur: Sed rariora sunt hæc exempla.

Interim experientia docet, hoc sanguinis sputum, illo esse periculosius, tum ratione loci affecti, tum causæ respectu.

Sic si in genere *pulmones* sunt affecti, longè *difficiliùs est curatio*, quàm si pars, ut in Pleuritide est affecta. Sic & gravius est malum quando arteria, quàm si vena erosa sanguinem fundit.

Pulmones ipsi affecti & erosi, quoad sanguiveha vasa raró curantur ita, quin Phthisin incurrant, hinc & sputum sanguinis si primarius est Pulmonum morbus, magis periculosum est, quàm si est secundarius, ut in pleuritide &c.

Sputum sanguinis periodicum, si absque singu-

ſingulari pulmonum noxa accidit, *minus periculi portendit* , *quàm ſi pulmones ipſi* ſunt affecti.

Patientis item prædiſpoſitio , in prognoſi magnam ſuppeditat differentiam , ſi enim hæmoptyſi corripitur corpus ante ſanum, & robuſtum, major ſalutis ſpes eſt, quàm ſi Cacheсticus, Phthiſicus, Scorbuticus, aut alius valetudinarius,ea corripitur.

Curatio vel ſanguinis impetum in paroxysmo demulcendum , vel poſt eum ſanguinis acrimoniam , & ſtagnationem corrigendam, & tandem vaſa eroſa rurſus conſolidanda, reſpicit.

Reſtinguitur verò ſanguinis impetus, ſi copia eſt in cauſa & abundantia ſanguinis , *Venæ Sectione* , ut ſic paulò liberiùs , per vaſa ſuum curſum abſolvat,nec preſſio, & propulſio adeo fortis ſit. Sed parcè prima vice ea inſtituatur,ut reiterari queat,ubi levamen attuliſſe viſa fuit.

Ubi verò *ab eroſione*, *&* *acrimonia circulantium*, hic verò ſtagnantium *humorum*, in pulmonum vaſis , vel minimis vel majoribus, ſanguinis ſputum duxit ortum, vitetur Venæ-Sectio ceu fruſtránea , & plus nociva : Sed ad alia acrimoniam humorum temperantia , & ab eroſione revocantia acceſſus fiat v.gr.

℞. *Aq.*

℞. *Aq. plantag.*
Portulac.
Urticæ aa. ℥iij.
Corall. r. præparat.
Ocul. ♋. præparat.
Unicorn. fossil. aa. ʒß.
Extr. opii: siv. ℞. *anod.* gutt. 30.
Syr. papav. err. ʒß. ms. pro 3. dosibus.

Cl. Lindanus admodum commendat *aquam Decoctionis pomorum cydoniorum*, sive *succum cydoniorum*, ter quaterve de die, à cochleari, ad iij. propinatum, *absque saccharo*, vel sacchari candi parum addito: hunc succum præmissa *V. sectione* omnem sistere hæmorrhagiam pulmonum asserit, etsi à corrosione fuerit, & copiosè fluat. Sed cum succus hic acidulus sit, cautè usurpetur, cum omnibus aliis fortioribus acidis.

Sputo sanguinis paulum cessante, tum fiat accessus ad ea, quæ relictum sanguinem fortè coagulatum, aut grumosum, resolvere apta sunt: pro qua intentione ex mente *Sylvii*

℞. ▽. *fl. papav. err.*
plantag. aa. ℥iij.
Ocul. cancr. pulveris.
Corall. r. præpar.
Terræ sigillat. aa. ℈ij.
Aceti vini ℥vj.

Tinct. anodyn. gutt. 25.
Syr. de hædera terreſtr. ℥iij. mſ. pro 2. doſibus.

Hæderam terreſtrem in ſputo cruento planè mirabilem prædicat *Cl. Ettmüller*, poſt paroxyſmum imprimis, pro reſolvendis ſanguinis grumis, & læſione conſolidanda, ut & recidiva præcavenda. Sive in Decocto, Conſerva vel aqua exhibeatur. *Nec urticam* in Decocto minoris eſſe valoris, Practici alii confitentur.

Vel ℞. *Conſerv. hæder. terr.* ℥ij.
Ocul. cancr.
♂. *diaphor. aa.* ʒß.
🜔. *alcaliſati* ℈ij.
Syrupi de veronica q. ſ. f. ſ. a. Electuarium.

Hæc & ſimilia non reſolvunt ſolùm, & acrimoniam corrigunt, ſed & conſolidant.

Pro hac tamen intentione admodum etiam conducit *Balſamus Locatelli* ſæpius de die ſumtus. Loco cujus alii *oleum lini* ſubſtituunt, ad cochlearia aliquot de die hauſtum, cui ego *ſpermaceti* adderem. Præſtat tamen dictus Balſamus.

Tandem præſervationis gratia, ad acrimoniam ex M. Sang. eliminandam, *Thermales*

les conducunt aquæ, non tamen sulfureæ, sed in hoc negotio *Emsenses* præferuntur aliis, simul acidulæ, à cujus usu illustrem personam hæmoptoicam, optimè se habuisse, vidi. *Videatur Fortis Consult.* 28. *Cent.* 2.

Sic & *Fallopius* se Balnei Villensis in Hetruria usu, plures vidisse à sputo sanguinis curatos, & præservatos, refert: Sed observavi, inquit, unum scitu dignum, scil. illi quibus aqua statim egrediebatur per secessum, non juvabantur ex potu talis aquæ; qui verò retinebant per aliquot horas, & postea eam excernebant per urinam, summoperè juvabantur: Unde colligo, quod nisi aqua labatur per venas, non prosit, ut verò transeat per venas, requiritur ut non statim excernatur.

Purgantia quod attinet, cum hæc in pectoris affectibus ad phthisin terminalibus, etsi levia admodum sint, copiosissimè alvum movere soleant: propterea ab omnibus *hic rejiciuntur.*

Ubi verò sanguis interim plurimùm serosus existit, jubet *Cæsalpinus* saltem *rhabarb.* ℈j. singulis diebus mane, hora una ante pastum exhibere, post sedatum paroxysmum, vel semel in septimana ʒj. Nec hoc improbant alii ob Rhabarbari resolvendi, & roborandi vim, etiam in casu ab alto convenien-

tissi-

tiſſimam. Cætera purgantia omnia hic exulent.

In Diata cibi ſint refrigerantes, & incraſſantes, ex hordeo, oryza. *Acria & acida omnia vitentur. Potus* ſit *Decoct. hord.* cum *liquirit, & paſſulis*: primis verò diebus parcus ſit. *Vinum exulet*, animi motus fortiores coërceantur. Plurima vide de Hæmorrhagia, quæ huc trahantur.

Hæmorrhagia narium.

Est p. n. & immoderata, ſanguinis per nares effluxus, à vaſorum naſo inſertorum apertione qualicunque accidens.

Subjectum ſtatim in limine ipſe naſus, & quidem potiſſimum quoad arterias ei inſertas, ſuppeditat.

Signis, ad affectum hunc cognoſcendum, vix opus eſſe videtur, cum in oculos incurrat: Inſtantis tamen hæmorrhagiæ indicia præbere poteſt, *capitis punctorius dolor*, vaſorum turgeſcentia, *facies rubra & tumida*, *oculorum pruritus*, *titillatio narium &c.*

Cauſa Immediata eſt apertio arteriolarum, à carotide interna, ad naſum excurrentium.

Mediata Proximior causa est ſanguinis in capitis plurimis vaſis ſtagnatio, hic verò *ob arteriolarum* (propter continuam à lympha humectationem) *majorem laxitatem*, ejusdem, & vel quanto, vel quali peccantis eruptio. Ubi tamen plus pondus addit qualibus, texturaque nimium inverſa peccans ſanguis, quàm quanto exſuperans.

Stagnationem ſanguinis in minimis arteriolis in cauſa eſſe, ſigna ſupra enarrata omnia docent: unde namque vaſorum major hic, quàm alibi turgeſcentia; unde facies tumida? taceo capitis, vel temporum, magis minùs gravem, & pulſantem dolorem.

Texturam verò circulantis *ſanguinis inverſam*, ſtagnationis hujus eſſe cauſam, effluentis ſanguinis conſiſtentia innuere videtur, quæ in hæmorrhagiis narium ubique *ſeroſa magis deprehenditur*, ut adeò ſanguinis particulæ, quæ aliàs laudabiliter inter ſe contextæ eſſe debebant, *plus nexu ſuo ſolutæ eſſe videantur*, quàm nimium concentratæ vel coagulatæ.

Docet etiam effectus tandem, & conſequens hujus affectus, *cachexia* vel *hydrops*.

Sanguinem verò texturâ ſuâ ſolutum & reſolutum tam, quàm coagulatum, poris arteriolarum minimis haud quadrare, & eas penetra-

netrare haud amplius posse, sicque stagnando obstructiones in hoc vel illo loco efficere, de Febribus malignis pluribus explicatum reperies.

Eamque resolutionem potissimam esse hæmorrhagiæ causam, *remotiores* plurimæ *causæ* docebunt.

Inter quas quidem *ex Naturalibus* vulgo huic malo plus obnoxios esse eos comperimus, qui *Temperamento* gaudent *bilioso*, id est, *humoribus circulantibus admodum mobilibus*, oleosis, leviter alterabilibus, qu m qui magis lentis humoribus sunt præditi.

Illi enim, quia admodum mobiles sunt, & leves, facillimè concurrente aliquo subtili æthere peregrino, adhuc magis ad motum incitantur, & quia per se rara est illorum textura, levi negotio magis rarefieri, & suo nexu solvi potest.

Sic ex Nonnaturalibus primas hic conferre observamus *aërem* fervidum, acribus plurimis particulis refertum: qui aër peregrinum illum ætherem inducendo, sanguinis fibras magis divellit, & à sua connexione detrudit, porisque ejus se immiscendo, & ad penetrandos suos canaliculos inhabilem reddendo, stagnationique ansam suppeditando, vascula subtilissima, & magis laxa, discindit, vel erodit, stagnantique sanguini exitum parat.

Sub eundem censum veniunt *cibi acres, aromatici*, plurimo volatili sale constantes, item *salsi*, scorbuticæ dispositioni ansam addentes &c. citoque effectum hunc exsequitur *spirituosior potus*, *vinum generosum*, *ardens*, *Hispanicum* &c. nec excluditur quivis fortior, & corporis, & animi motus, saltationes, Venus nimia, ira &c.

Ex præternaturalium rerum classe se sistunt *scorbutica, acris, serosa circulantium humorum dispositio*, hincque dependens cachexia, item in Febribus inversa, & suo nexu soluta sanguinis textura: ut & vasorum, & fibrillarum aliarum partium, spasmodicæ contractiones, sanguinis circulum sufflaminantes. Spectant etiam huc externæ variæ causæ, *contusiones*, *casus*, *ictus* &c.

Prognosis nobis indicat, hæmorrhagiam immodicam præcipuè, non esse affectum vilipendendum, sed periculosum satis, non tantùm ob deperditionem tam necessarii succi, sed & ob causam ejus satis gravem, non homorrhagiæ solúm, sed & aliis gravioribus malis producendis idoneam & aptam.

Est namque *hæmorrhagia effectus admodum malæ causæ*, inversæ videlicet circulantium humorum texturæ, nexu suo solutæ, & hinc dependentis stagnationis consequens.

Propterea major hæmorrhagia, majorem indi-

indicat mali causam, minor vero minorem; id quod experimur, quando in capite hic vel ibi saltem in quibusdam vasis stagnans sanguis vel dolorem, surditatem, vertiginem &c. excitat; tum circulans natura, per nares stagnantem in vicinia sanguinem propellit, & dolorem alleviat.

In *Febribus malignis* vero *hæmorrhagia ambiguam ministrat prognosin*, prout magis minùs sanguis dissolutus, & suâ texturâ convenienti privatus existit, hincque magis universaliter, vel particulariter stagnat, & suorum canaliculorum poris minimis magis, minùs respondet, vel eos penetrat.

Singularem vero oportere esse *convenientiam inter sanguinem, & suos canaliculos*, varia ciborum genera docere possunt. Sic videmus poros cutis sudorem quidem, liquorem aliquando satis substantiosum, non vero sanguinem, qui æquè aliquando tenuis est, transmittere.

Tandem observamus *hæmorrhagiâ immoderatâ* sæpe affligente, & sanguine à sua textura magis magisque deviante, & stagnante, *cachexiam* etiam, *vel hydropem induci*.

Curatio ergo non tam symptomata, sive sanguinis effluxum, quã causam ejus respicere jubet: quæ stagnatio est: ubi ob confusam particularum texturam sive mixturam, stagnando, & moras nectendo, tempus effervescendi nan-

ciſcuntur circulaturi, confuſi, & *nexu ſuo ſoluti humores*, quæ effervescentia tunc majori propulſioni circulantium adhuc humorum ſtimulũ addit, & locum exeundi ſtagnanti quærit. Propterea ſimul *effervescentia primo loco aliquando ſopienda venit*, antequam ad qualia ſtagnationi anſam miniſtrantia, acceſſus fiat.

Curationem propterea vulgo Practici hic à *V. ſectione* exordiuntur, *ad plethoram imminuendam*, ſed ſi hæc ſola hæmorrhagiæ exiſtit cauſa, quid opus venæ ſectione ſimul depauperare circulantes humores, cum tempus hæmorrhagiæ relictum, nec impeditus ejus fluxus, ſatis ſufficiens eſt, tantum ſanguinis fundere, quantum ad plethoræ imminutionem requiritur.

Videtur ergo pro hac intentione admodum *frivolè commendata eſſe Venæ ſectio.* Sic nec ſtagnatio & effervescens motus, ob inverſam ſanguinis texturam hac ratione corriguntur. Immerito ergo hic pro univerſali remedio venditatur V. ſectio, & ſanguinis miſſio.

Sed potiùs, ſi opus videtur, *ſanguinis nimiùm prorumpentis, & efferi motus*, ac quaſi ebullitionis *inhibitio*; in uſum veniant *laxam texturæ ſanguinis compagem obfirmantia*, & poros ejus conſtringentia, ſicque *ſanguinem pauliſper condenſantia*, & immixtum peregrinum ſubtilem ætherẽ expellentia, vel concentrantia

tia aut alterantia, *subadstringentia*, *acidula* frigidi sensum inducentia, absorbentia & similia, tam externa quàm interna.

Sic v. g. Nuchæ, fronti, scroto, mammis, manibus & hepatis regioni applicentur adstringentia frigidi sensum inducentia v. g.

℞. ▽. *papav. errat.*
Sperm. ranarum cum alum. & nitro asservat. aa. ℥iiij.
Aceti rosacei ℥ij.
Boli communis probè exsiccati ʒiij.
Opii aceto soluti ℈j. misce pro epithemate collo, fronti & testibus applicando.

Vel sola *argilla* calcinata ex furno pistoris *cum aceto* permista dictis locis applicetur, aut vertici secundum ductum suturæ sagittalis imponatur, ad nasi radices usque.

Vel ℞. *Succi semperviv. majoris rec. express.* ℔ß.
Aceti acerrimi ℥ij.
⊕ *i* ℥ß.
Camphoræ. ʒj. misce pro epithemate, Hepatis regioni, scrotoque applicando, quod *Ettmüllero* teste mirabiliter narium compescit hæmorrhagiam.

Vel, *ex fuligine, albumine ovi & acetò mixtis* fiat frontale, quod rarò item fallere Practici confirmant. Cui uni vel alteri si addideris *Flores* sive *liquorem lapidis hæmatitis*, tanto potentiùs erit.

In hunc finem etiam ventosæ magnæ nuchæ aliquando imponuntur, quemadmodum ex *M. A. N.C. Anno* 6. *p.* 130. legere est. *Forestus* multum commendat cucurbitulas, suprà pedes admotas, quas miraculi instar narium hæmorrhagiam sistere asserit: *Terrores* etiam, præcipuè *ex aqua frigida inopinatò nuchæ inspersa*, vel infusa, *citam præbent medelam*, in levioribus malis, magis ebullitione quam stagnatione exortis, ubi etiam pulvis sympatheticus valet, si sanguis ei instillatur ex naribus.

Præter hæc dantur remedia, quæ specificâ virtute quadam, hæmorrhagias sistere, creduntur, & ex eis præcipuum suppeditat *Bufo exsiccatus* & axillis suppositus, in malignis præcipuè, vel *Empl. magneticum ex bufone* confectum, quod *Med. præs. sec. accom. p.* 520. reperies.

Item *lapis hæmatites* in manu detentus, vel jaspis genuinus, cujus rubedo venulis herbaceis est distincta, in manu detenta. Cujus effectum *Schmuck, Hildanus, Boyle de gemmis* satis confirmant, nec *usnea cranii humani*, simili modo, minorem effectum præstat.

Tandem dantur media quæ ipsis naribus immissa, hæmorrhagias promptè compescunt. ℞ *alum. cum sperm. ranar.* aqua mistum, naribus attractum, vel infusum, optimè compescit immoderatum fluxum. Vel *alumen cum albumine ovi* subactum, mediante turunda naribus

ribus intruſa, aut loco aluminis *fuligo*, *albumini* immixta, eundem præſtabit effectum, commendante hoc admodum *Willisio*.

Cl. Sartor. Bamberg. felix Practicus, *urticâ recenti conquaſſata naribus intruſa*, & fronti ſimul impoſita immanẽ compeſcuit hæmorrhagiã. Sic *ſtercus ſuillum* recens ſolo odore fœtido ſanguinis effluxum reſtinguit; an ex glandium reſolutis adſtrictoriis particulis, probabile videtur.

Cl. Ettmüller quodam in loco omnibus aliis *ſpir. vini* per ſe rectificatum præfert, *naribus paulò profundius injectum*, omnem enim ſanguinem citiſſimè, mirabili cum ſpectaculo inde coagulari, aſſerit.

Aliquando & Magica juvant, quale *Agricola* ab Empirico doctus, commendat, à ſe ipſo aliquoties expertum; Inſcribuntur namque patientis fronti, cum effluente ſanguine, hæ literæ O I P U L U, & tum ſuperligantur lintea, ac ſi emplaſtro muniri deberet, & relinquitur ita per tres dies, poſtmodum aqua calida abluuntur literæ.

Sed cùm omnia hæc ſymptomata potiùs, quàm cauſam ipſam reſpiciant, nunc & ea *quæ cauſam tollunt conſiderari merentur.*

Cùm enim circulantium humorum nimia reſolutio, ſive fluxilitas, hæmorrhagiæ potiſſima exiſtit cauſa: propterea in uſum vocentur ea, quæ incraſſante, ſcilicet peregrinum

ætherem, ex poris eorum expellente, vel inibi concentrante, aut corrigente, vi prædita sunt, & ex iis quidem hic conducunt *opiata, terrea, absorbentia, acida* & similia.

Sic si *corallorum r. pulveris.* ℥ß. cum *aceti* ℥ß. propinas, certum habebis hic euporiston. Vel in usum veniat hoc *Sylvii* v. g.

℞. *Oculor. Cancr.*
Corall. rubr. aa ℨj.
Laud. opii gr. v.
▽. *plantag.* ℥iij.
Aceti acerrimi ℥ij. mſ. dentur singulis momentis aliquot cochlearia.

Plures hic admodum extollunt pulverem *Heurnii* imprimis ad Hæmoptysin, est verò hic, v. g.

℞. *Sem. hyosciami albi.*
Papav. alb. aa ℨj.
Lapid. hæmatit.
Corall. r. aa ℨß.
Camphoræ ℈ß. mſ. & exhibe mane & vesperi ℨß.

Cl. Wedelius Misc. Cur. anni 72. *obs.* 106. admodum extollit acida, præprimis *Spir. vitrioli. Scorbuticus* inquit 55. annorum, symptomatibus variis scorbuticis afflictus, tandem insigni narium hæmorrhagia corripitur, quæ frequentius redeundo vires admodū frangebat, omnia erant frustra; ut igitur serū sanguinis nimis

mis fluidum, & acre temperaretur, ejuſdem à reliquo ſanguine ſegregatio impediretur, propinavi *Spiritum vitrioli*, *cum eſſentia violarum* pro aciditate moderanda mixtum: dictum factum, hactenus per duos amplius annos perfectè malum emanſit.

Alii bini hypochondriaci, ubi alter ſingulo mane humorum rejectione ex ventriculo, alter vaga narium hæmorrhagia laboraret, ab eodem medicamento, auxilium ſenſêre.

In quartana verò *ad hydropem inclinanti*, duplici conjuncta narium hæmorrhagia, novis indies paroxyſmis ebuliente ſanguine, non ita feliciter adhibitum medicamen, nihilominus ſenſim & ſenſim fluxus cruentus narium deſtitit: adeo *laus hæc debetur acidis*, *quod & ſanguinem coagulent nimis fluidum*, & *attenuent grumoſum*.

Fortis conſult. 1. *obſer.* 1. acidulas præ cæteris remediis eligendas cenſet, ſi pendet ab intemperie jecoris fervida (hoc eſt bile nimis volatili acri) hæmorrhagia.

Singulari verò prærogativa gaudentes commendat eas in valle ſolis agri Tridentini ſcaturientes, utpote vitriolicas, omnes verò alias acidulas calidas erumpentes ſive thermas ſulfureas hæmorrhagiam faciliùs excitantes, quàm ſiſtentes, rejicit.

Nos in noſtris terris plurimis gaudemus

acidulis vitriolaceis, ut propterea non opus habeamus Tridentinas acidulas visitandi.

Earum etiam usum admodum commendat *Willis*, æstate, inquit, *bibantur acidulæ chalybeatæ* per mensem, & eis in hoc casu non dabitur præstantius remedium.

Dantur verò alii *Willisio* annuente, qui æstate ob liberiorem transpirationem hæmorrhagiæ minùs sunt obnoxii, hyeme verò ob poros constrictos, & retentas plurimas serosas particulas, aliàs exhalaturas, insultus magis crebros & diros patiuntur.

His ergo convenit ut in lecto & calore detineantur, quamdiu eruptio subinde redire metuitur, ut sic à calore ambiente in sudorem exsoluti, melius degant.

Neq; his frigida externè applicata supra notata conveniunt, multò minùs *illud Hildani*, qui narium hæmorrhagia maxima correptum post multa præsidia ordinaria incassum tentata, *labro aquâ frigidâ impleto immersum* subitò curavit.

Nec *Riverii illud*, qui lecto exemptum hæmorrhagia laborantem, *linteis oxycrato madidis per totum corpus involvit*, & in pavimento supra mattam laneam decumbere jussit, ac restituit.

Si ad Cachexiam malum inclinare videtur, consule ea quæ ibi tradita reperiuntur.

Hæmor-

Hæmorrhoides.

ETsi vocabuli genio, ex Græco ἅιμα, & ῥέω, quemcunq; significent sanguinis fluxum: longo tamen & nunc recepto usu, propriè *denotant illam sanguinis excretionem, quæ ex intestini recti arteriis accidit.*

Sunt vero Hæmorrhoides vel *fluentes*, vel suppressæ, *aut cœcæ.*

Fluentes vel *spontaneæ* sunt vel *criticæ*, vel *morbidæ*. Criticæ accidunt, quando circulans natura pro solutione morbi, per has vias ab onere se alleviat. Morbidæ autem sunt, quando in detrimentum ægri, à quacunque causa, exoriuntur.

Fluentes in genere sunt rejectio sanguinis, ex intestini recti arteriis, mox majori, mox minori quantitate, per anum facta.

Cœcæ verò sunt ejusdem sanguinis, per ani arterias elabi conantis, interceptio & stagnatio; cujus ope tubercula modò unum, modò plura, mox dura. mox mollia, rubra, cum dolore punctorio, nunc graviori, nunc mitiori, exoriuntur, & cruciant, præcipuè post scybalorum duriorum rejectionem.

Sub-

Subjectum affectus ſunt, ut in definitione expreſſæ, *inteſtini recti arteriæ*, qui è mediantibus his ſolis ſanguis huc derivatur, ſed quia à venis non abſorbetur, hinc ſtagnando paulisper arteriolas diſrumpit, & ſe exonerat: vel diutius ſubſiſtendo eas dilatat, diſtendit & in tumorem attollit; ſicque dolorem & inflammationem excitat, magis minus gravem: unde & non rarò in abſceſſum vel ulcus abit, imo ſæpius fiſtulas poſt ſe relinquit: vel & ſanguine nimium hic coagulato, in ſcirrhos abit: aut pro ſanguinis corroſiva acrimonia, planè in cancrum, aut gangrænam degenerat.

Signa præſentium hæmorrhoidum, tam fluentium, quam furentium, aut cœcarum, ex definitionibus partim patent. Fluentes namque, *ſanguis ante, cum, vel poſt fecum excretionem exiens*, chartaceo emunctorio vel induſio exceptus, detegit.

Imminentem verò hæmorrhoidum fluxum denotat *dolor* aut *tenſio lumborum*, *æſtus circa ſpinam dorſi*; *ani dolor*, *pulſus frequens* &c.

Communia ſigna, quæ hoc malum comitari ſolent, ſunt *crurum languor*, *& virium proſtratio*: *coloris* item *faciei*, *in citrinum*, vel ad *viriditatem*, *degeneratio*.

Differunt porrò hæmorrhoides pro arteriarum affectarum ſitu; ſic ſi internæ magis affectæ

fectæ ſunt, tum non ita commodè deprehenduntur. Si verò *magis externa*, quæ viſui patent, affectæ ſunt, tum varia ſpecie apparent, vel *verrucarum* videlicet, aut *veſicularum*, *uvarum*, aut *mororum* &c. in cœcis videlicet.

Sanguis etiam non ſemper exit ſincerus, ſed pro varia diſpoſitione & mixtura, ſive textura, nunc pallidus, citrinus, vel albus, mucoſus, &c.

Cauſa fluentium hæmorrhoidum immediata eſt arteriolarum ſupra dictarum, quovis modo à ſtagnante ſanguine, facta apertio.

Cœcarum verò *Cauſam Proximam* fovet obſtructio, & à ſtagnante ſanguine, arteriolarum inteſtini recti, in tumorem facta diſtenſio.

Mediatam proximiorem cauſam verò conſtituunt circulantes humores, in ſpecie ſanguinea maſſa, vel quanto exſuperans, vel qualibus peccans.

Sanguinis copiam aliquando fluxus hæmorhoidalis cauſam exiſtere, illi docere poterunt, quibus cum emolumento fluunt, cum detrimento verò ſubſtiterunt, qualia exempla ſunt obvia.

Plus tamen qualibus depravatum ſanguinem in cauſa eſſe, *hypochondriaci*, *cholerici*, in genere *ſcorbutici*, quibus fluxus hic familiaris, teſtari poſſunt.

Quoniam enim horum ſanguis variis heterogeneis particulis, videlicet acidis, ſalinis acribus;

acribus, terreis &c. nexu suo sanguinem vel magis dissolventibus, vel magis concentrantibus, & viscidum efficientibus, constat: non mirum, eum à venarum minimarum ramulis, & eorum porulis, haud absorberi posse, veluti textura idonea privatum, sed in arteriolis minimis relinqui, & tum stagnando has vel disrumpere, vel in tumores admodum dolentes extollere.

Causas has præcedunt, & multum ponderis addunt *remotiores* aliæ, inter quas *ex naturalium serie Temperamentum* primo loco poni vulgò solet: & præcipuè quidem accusari hic solebat à veteribus *Melancholicum* dictum, cujus vero essentiam solo frigore ab aliis discernebant: quàm nos paulò specialius consistere dicimus in sanguine minus mobili, & sale volatili minus prædito, sed ex partibus salinis, magis fixis; acidis videlicet, terreisque constante: hinc *liquorem crassum tenacem*, vasa non ita liberè, *sed lento motu*, & vi quasi propulso, *percurrentem*, suppeditante: quem ob particularum crassitiem, & ponderositatem, firmius sibi invicem incumbentium, subtilis æther, vel lux, haud adeo expeditè penetrare, & movere liberè potest, sed eum crassum, & obstructionibus facillimè obnoxium, relinquere cogitur.

Plus tamen cæcis, quam fluentibus hæmorrhoidibus, hanc circulantium humorum temperiem

periem obnoxiam esse, experimenta confirmant: Ubi è contra *fluentibus magis molestantur Cholerici* vulgò dicti, in specie sanguine præditi, magis sale volatili acri referto, sanguinis dissolutionem & fluiditatem plus promovente; propterea que variis sanguinis fluxibus, veluti dysenteriis, hæmorrhagiis &c. causam ministrante.

Utrumque modo indigitatum temperamentum, hoc affectu laborantes, plerumque habitu corporis gracili notare solet, lactea & oleosa sanguinis parte alimentosa, ab acidis, acrioribus inversa, & depravata: cui gracilitati, si supra in signis, depravatus color ad viriditatem declinans jungitur, ferè certò talem hæmorrhoidibus laborare, pronunciare poteris.

Ætatis ratione, nulla hic est exlex, exemplis plurimis hoc confirmantibus.

Magis tamen *fluentibus molestantur juvenes*, utpote sanguine magis adhuc volatili gaudentes: Plus vero *cæcis senes, crasso sanguine & minus volatili degentes.*

Nullus etiam sexus hic excluditur, *tam enim viri, quam fæminæ* hoc excruciantur malo. Aliquando verò hæ fluxum hunc experiuntur, *constantibus etiam mensibus*: Aliæ his subsistentibus, eundem patiuntur fluxum; Aliis loco mensium, commode fluunt; & quæ sunt alia fluxus hujus phænomena, tam erraticè

quam

quam periodice afficientis : aut hæreditario jure nonnunquam molestantis; vide *Forestum Heurnium, Schenckium, Frommannum*, & alios de hæmorrhoidibus agentes.

Ex Nonnaturalium rerum classe Aërem non negligendum addere pondus, regiones calidiores testes esse possunt, si *Italis* admodum *familiarem esse hunc fluxum*, Authores testantur; hi enim, ut & in aliis calidioribus regionibus incolæ, ob aërem subtili æthere magis repletum, sanguine gaudent plus mobili, quam illi, qui frigidiores inhabitant regiones : unde & illi fluentibus, hi verò cœcis vexantur magis, & excurciantur hæmorrhoidibus.

Sic & illi, quibus hæmorrhoides fluere consueverunt, *magis æstate molestantur*, quam hyeme: ubi e contra *cœcis obnoxii plus hyeme* excruciantur, quam æstate.

Cibus item & *Potus* non minimam hisce malis ansam addunt, in specie verò *vitetur cibus aromaticis nimium conditus, piperatus, acris, salitus* &c. item *crassus*, dissolutionis difficilis, & minus laudabilis succi.

Potum non contemnendum addere pondus, in illis observamus regionibus, ubi *vinum* in ordinarium cedit potum, præcipuè si acido volatili hoc magis abundat, ut *in Alsatia* &c. in illis sanè frequentior est hæmorrhoidum fluentium proventus, quam in aliis, ubi vinum

aci-

acido magis rudi austero peccat, aut cerevisia in usum cedit.

Spectant huc *purgantia* magis resinosa, *acria*, tam *aloëtica*, quam alia, quæ in dispositis facillimè *hæmorrhoides concitare solent.*

Neque reliquæ excluduntur Nonnaturales res, utpote *fortior motus*, saltatio nimia, equitatio gravior, vectio laboriosior &c. uti & quies nimia, crumulandis ruditatibus apta. Excreta item & retenta, aut animi pathemata excedentia, utpote quæ quovis modo peccantia, in dispositis & aliàs cõsuetis facilè hæmorrhoides provocant.

Prognosin quod concernit, notandum, hæmorrhoidum fluxum non absque ratione, in quibusdam *aureæ venæ denominationem mereri*, cum spontaneo, vel critico circulantis naturæ motu, aliquando & præservet & curet gravia mala: Dantur namque exempla virorum longævorum ex periodico hæmorrhoidum fluxu, sicuti videre est *in M. A. N. C. anno 4. p. 39. & 57.*

E contrario verò etiam non negandum, hæmorrhoides aliquando *pessima* mala generare, *quando* nimirum aut *excedunt*, *vel deficiunt.*

Excessus etenim vires prosternit, lipothymias excitat, cruditatibus generandis ansam addit, hinc *hydropem*, *cachexiamque*, apo-

 plexiam

plexiam &c. causat, quia laudabiliorem exhaurit sanguinem, & crudum in ejus surrogat locum.

Defectus verò *in assuetis*, stagnante nimirum vitioso sanguine, *cordis palpitationes*, *pedum tumores*, *scirrhos lienis*, *arthritidem*, *nephritidem* &c. generat: vel eadem mala exacerbat: hinc videmus arthriticos, ab hæmorrhoidibus fluentibus admodum alleviari.

Periculosiores in genere sunt *hæmorrhoides cæcæ*, quàm fluentes, præterea enim quod excrementa secernere volentibus, aliquando tantum dolorem creent, ut non rarò animi deliquia incurrant; facilè etiam, nisi maturè aperiantur, inflammationem contrahant, & in ulcera, fistulasque degenerent.

Magis verò *periculosæ sunt internæ*, *quam externæ*, hæ tamen magis molestæ, quia tam sessionem, quam ambulationem impediunt, dum aliquando in tantam magnitudinem excrescunt, quæ pugnam exæquat; quemadmodum *Lindanus super Hartmannum in M. S. refert.*

Curatio affectus nostri admodum molesti, pro præmissarum constitutione, nunc recipit hæmorrhoides in assuetis vel nimium fluentes, aut planè deficientes, vel cœcarum forma saltem excruciantes.

Nimium ergo fluentes sistendæ, & planè sup-

ſuppreſſæ rurſus reſerandæ, ne ſupra indigitata mala tandem anſam capiant.

Cæcarum verò *dolor ante omnia demulceatur*, & ſi nunquam fluxerint, nec antea aſſuetæ fuerint fluere ; neque opus ſit ut fluant, diſcutiantur : in aſſuetis vero quibus aliàs fluxerunt aperiantur.

Hæmorrhoidibus nimis fluentibus omnia conveniunt interna, quæ hæmorrhagiis, aliis, & dyſenteriis aliis conducunt : in ſpecie plures Practici hic commendant hanc *Sylvii* mixturam, v. g.

℞. *Aq. plantag.* ℥ij.
Cinamom. ʒvj.
Aceti deſtill. ℥ß.
Corall. r. præparat. ʒß.
Sang. Dracon. ℈ß.
Laud. op. gr. ij.
Syr. myrtin. ℥j. mſ. detur cochleatim.

Plura interna tam, quam externa ſuppeditabit præcedens titulus de hæmorrhagia narium, dyſenteria &c.

Loco amuleti in uſum hic vocari poſſunt *annuli, ex dente equi marini* confecti, pollicibus pedum applicandi, quemadmodum hoc commendat *D. Michels in Coll. M. SS.* & credit quidem, hoc & illud, quod *Helmont*. tantùm deprædicat: ſed cùm *Helmont*. hoc ex metallo fieri dicat, hinc diverſa eſſe ambo amuleta, pro-

babile manet, ubi interim illo *D. Michaelis* utamur, donec illud *Helmontii* in ſuis ſcriptis *de Febr.* quidem indigitatum, ſed nullibi deſcriptum, reperire licebit.

Suppreſſis vero hæmorrhoidibus acceſſus fiat ad ea, quæ pro reſerandis viſcerum obſtructionibus alibi commendata ſunt, & vulgo morbis ſpleneticis convenire experta ſunt, qualia ſunt *martialia, aromatica, amara, Elixir. Propr. myrrh.* & ſimilia.

Externè vero applicetur *ſuppoſitorium ex radic. cyclaminis*, quod inſigniter ſtimulat hæmorrhoides; vel fiat tale ex *hierapicra* cum *pulvere colocynth. & melle* : quibus ſi *fomenta cum lacte* parata præmittuntur, tum eò citius effectum præſtabunt optatum; ſed cautè his procedatur, ne major inde excitetur inflammatio & dolor.

Potiori jure laudantur hic admodum *hirudines*, ſive *ſanguiſugæ*, præcipuè *à Petræo in noſol. harm.* qui ſpecificum & determinatum hæmorrhoidum ſuppreſſarum remedium eſſe contendit; nec minus commendantur *à Bartholino, Borello, Minderero* &c.

Antequam vero applicentur, *foveatur locus affectus aqua calida*, aut alio fotu cum lacte cocto, *donec rubeſcat*, tum hirudo calamo arundinaceo toto corpore incluſa, admoveatur, & quando adhæret, tum permittatur ſanguinem ſugere, donec ſpontè decidat.

Si

Si vero unius applicatio haud sufficere videtur, tum alia post aliam applicetur. Si vero post earum suctum sanguis nimium fluit, tum *tela arnearum imposita* &c. effluxus sistatur. Et si revellere cupias hirudinem, antequam per se decidat, capiti ejus modicum salis vel calcis insperge, sic decidet sine noxa: si enim revelluntur violenter, dolorem inferunt acerbum, & sanguinem nimium fluere faciunt.

Nonnulli phlebotomo cœcas aperire jubent, sed sectionem in his præcipuè periculosam esse *Jonstonus, Zacut. Lusit.* &c. referunt. De quibus & confer. *Hoffmann. meth. Med. lib.* 1. *c.* 15. 16.

Potius hirudinibus apertio, vel & stagnantis sanguinis extractio tentetur.

Dolore prius sequentibus cicuarto, & emollitione prius præmissâ.

Tandem ubi *cæcæ hæmorrhoides* non sunt aperiendæ, sed *discutiendæ*, dolorque earum sistendus, tum omissis jam pro apertione laudatis, succurratur sequentibus, v. g.

℞. *Radic. alth.*
lilior. alb.
lapath. unct. aa ℥j.
Fl. verbasci
chamæmel.
lilior. alb.
sambuci
linariæ aa m. j.

Sem. lini
fœnugræc. aa ℥ß.

Concisa & contusa coque in *lacte caprillo*, & pro fotu calidè sæpius applicata, sacculo inclusa, vel in cataplasmatis formam redacta..

Vel ex Blengii commendatione.

℞. ▽. *rosarum* ℥vj. in hac solve
Amyli ℥ß. coque ad consistentiam pultis, tum adde
Cerussæ ℥j.
Croci ℥ß.
Album. ovi n. iiij. ms. & instar cataplasmatis calidè applica, & singulis tribus horis reitera.

Hæc & similia fomenta magis prodesse quam unguenta, *Cl. Wedelius Ann. II. Ephem. cur. Obs.* 195. etiam testatur non semper pinguia pati experientia docuit. *Rulandus*, sacculum *ex glandibus contusis*, & *foliis quercus* in *aceto coctis* admodum laudat: & eundem ceu expertum commendat etiam *Lotichius*.

Præter hæc tanquam specificum summum, ad quosvis affectus hæmorrhoidales commendatur *scrophulariæ radix*, tam pro externo, quam interno usu: eam enim autumno collectam, & per se solam lumbis alligatam, ut cutim attingat, hæmorrhoides sanare, fluentes nimium sistere, dolentes vero & cœcas dissolvere *C. Ettmüller in Praxi asserit.*

Nec

Nec minoris esse efficaciæ *crassulæ majoris sive telephi radicem Cl. Wedelius* supra citato loco communicat. Si enim radicis hujusmodi saltem aliquot, vel tot quot in ano protuberant tubercula, cum filo de collo suspenduntur, ut circa lumbos etiam attingant, tum cum marcescente sensim radice, tubercula tabescunt & evanescunt; id quod in Studioso cœcis hæmorrhoidibus admodum afflicto certum reperit *Cl. Ettmüller*.

Nec minus experimentum præbet *oleum momordicæ*, cujus felicem effectum idem expertus *Cl. Ettmüller*, ubi hoc in muliere, ex impedito mensium fluxu, hæmorrhoidum dolore vexata, applicari curavit.

Restat paucis enarrare quorundam *errorem*, quando contendunt, *Hæmorrhoides semper prodesse Melancholicis*; propterea illis hæmorrhoidalium venarum apertionem maximè imperant, credentes, melancholicum sanguinem hic saltem subsistere: sed nunc cognita circulatio, errorem illum satis excussit. Ab omni enim sanguine circulationi inepto, stagnationẽ in vasis hæmorrhoidalibus ortũ trahere certum est. Propterea nisi circulans natura hanc viã affectet, minimè facienda est consuetudo. Intelligenda ergo illa Melancholicis tã commendata hæmorrhoidũ apertio, in illis, quibus fluere consueverunt, in his apertio saltẽ conceditur, nõ in aliis: *vid. Primeros. de error. vulg. l.4.*

Hectica.

AB ἕξις habitus, *quamcunque denotare potest corporis extenuationem* præternaturalem, sive sit cum ulcere, ut in phthisi, sive absque eo.

Differunt tamen inter se ex accidenti, causæ scilicet magis minùs fortis, & vel per se, vel ab aliis morbis occasionem sibi tandem sumentis, ergo, & hoc vel illud accidens in specie adjunctum habentis, ut in phthisi pulmonum ulcus &c.

Hectica in specie ab aliis atrophiæ speciebus, ratione Febris differt.

Est namque Febris lenta, à circulantium humorum textura sive mixtura perturbata, aut inversa, lentè suum circulum percurrente, hinc pulsum celerem, & frequentem, caloremque pr. nat. inducente, ob disproportionatas verò particulas, corpus nutrimento idoneo destituente, & poris, noctu calore lecti magis patulis factis, serum reliquis humoribus non adeo cohærens, & connexum, in copia proscribente, sicque sensim ad interitum deducente, dependens.

Subjectum totus suppeditat corporis habitus.

Signa

Signa quod attinet, malum hoc denuntiantia, idem experiuntur affatum ac in phthisi; *ab initio* etenim *cognitu admodum obscura* sunt. Primò enim quando affligere incipit, alteratio cum consumtione corporis mitis adeò existit, ut vix Hecticam subesse quis sibi imaginetur: præter enim *torporem*, aut *volæ manus paulò excedentem calorem*, vel *siticulositatem cum tussi sicca*, *tristitia* &c. rarò alia adsunt phænomena.

Progrediente verò paulisper *morbo*, *calor continuus*, attactu quidem debilis, diutiùs verò tangendo acredinem ostendens, *& aliquot horis post assumpta alimenta exacerbationem quandam addens*, ob chylum haud ritè perfectum, circulantibus humoribus infusum, & sanguinem in suo circulo paulo interturbantē, magis sentitur: *Pulsusq; celer & frequens*, plerumq; parvus, debilis & durus, ob sanguinis circulū cum paulo fortiori pressione & cordis propulsione, cursum suum percurrentem, percipitur.

Tandem nutrimento vitioso adducto per tempus, & plurimam partem *sudore nocturno copioso* eliminato rursus, *corpus emaciatur planè*, ut vix cutis ossibus hæreat, & sic Hippocratica se jungat facies, viresque omnino prosternantur.

Urina ab initio sanorum est similis, malo vero nunc confirmato oleaginosam excerni

vulgò dicunt Practici. Sed non videtur aliud esse quàm *crusta salina*, illi, qui in scorbuticorum urina apparet, non absimilis, cum causa sit eadem.

Alvus etiam ab initio plerumque existit sicca, sed malo incrementum capiente, & ad interitum properante, colliquativus accedere solet fluor.

Causâ immediata est Febris lenta, sive circulantium humorum motus, plus quam ordinariè lentus.

Ob inversam namque circulantium humorum texturam, poris & tubulis venarum non adeò, ut deberet, respondentem, circulus paulò sufflaminatus, facit, ut cor fortiùs & citiùs ferire, ac sanguinem validiùs à se propellere necessitetur, quo sic compressione hac paulò aucta, venæ eum ab arteriis promtiùs recipiant, & revehant: hinc calor continuus, etsi lentus, pulsus frequens, & celer, similiaque phænomena ortum trahunt.

Ob particulas vero *chyli disproportionatas partibus solidis*, hinc & sudore mediante plurimam partem, vel sensibiliter, vel insensibiliter excretas, *corpus universum contabescit* & viribus destituitur, ac ad interitum tandem deducitur.

Mediatam proximiorem causam sustinent circulantes humores, qualibus acido-salsis acribus, vulgò scorbuticis, depravati; hinc

hinc non exactè satis sibi invicem connexi; neque propterea minimis venarum porulis penetrandis liberè, habiles; sed sub forma sudoris leviter exclusibiles.

Quomodo chylus, acria scorbutica qualia, sanguini convehat, & unde, titulus de atrophia, scorbuto, &c. docebit.

Instrumentis namque chylificationis vitiosis redditis, non potest non chylus simul vitium contrahere, & circulantes humores crassos acres &c. reddere, sicque variis morbis, & innumeris malis pabulum ministrare; & vel Hecticam post alias Febres, vel cum aliis accidentibus, vel per se inducere.

Et remotiores quidem plures aliæ *causæ* huc suum conferre solent symbolum, inter quas ex *rebus naturalibus*, circulantium humorum *Temperies* primo stat loco; Hæc enim particulis plurimis acribus, leviter mobilibus, & dissipabilibus conflata, malo nostro ansam facilè suppeditat. Levi enim data occasione, tam in Juvenibus, quàm Senibus, tali temperiè conspicuis, malum hoc propullulare solet; atque pondus addere possunt *Res* præcipuè *Nonnaturales*, & quidem *aër* æthere peregrino refertus, & subtili æthere exagitatus nimium: quemadmodum æstate sæpe solet, ubi pori corporis patuli facti, humores subtiliores exagitatos & celeriter motos exhalare faciunt, re-

lictis saltem crassioribus circulationi plurimam partem ineptis: hinc appetitus ad solidiores cibos debilis, & nauseans ferè, liquida saltem exposcit.

Cibis vero sic vel parcè assumptis, vel acrioribus ad appetitum excitandum, aut crassioribus, salsis aliis in usum vocatis, ac potu copioso, præcipuè generoso, vel acido acri volatili referto, irrigatis: & sic subtilioribus particulis transpirando dissipatis, plures crassas acriores relinquentibus; vel & subtilium dissipatarum particularum loco, frigidæ copiâ additâ, relictos circulantes humores crassos, obru ntibus; malo nostro satis efficax relinquitur pabulum.

Quomodo *reliqua ex Nonnaturalibus rebus*, ut *vigiliæ nimiæ, motus nimius*, fortiores animi motus &c. occasionem addere queant, titulo de atrophia, dolore capitis, & alibi traditum reperies.

Ex Præternaturalibus rebus Febres continuæ aliæ, non raro in Hecticam migrare denique solent, non aliter ac scorbutica qualia, causam non infrequentem addere, &c.

Atque hæ sunt causæ, quæ Hecticam per se inducere aptæ sunt.

Præter has dantur aliæ causæ, ut *Pulmonum ulcus*, *Gonorrhœa immoderata*, *Fluor albus nimius*, *Diabetes*, & similes corpus & ejus vasa circulantibus humoribus privantes, à quibus

bus Hecticam inductam Symptomaticam Practici vocant: quam Hecticam tamen, si absque Febrilibus phænomenis accidit, Atrophiam potiùs vocari debere duco, utpote gradu differentem.

Circa *Prognosin* notandum, Hecticam ut ab initio cognitu difficilem, ita curatu facilem existere: *in progressu* verò *quo cognitu facilior, eò curatu difficiliorem*, consummatam verò incurabilem ferè esse.

Si Febres alias insequitur, vel ab iis relinquitur, ad interitum plerumque deducit.

In Senibus vix curatur: in adultis difficilius, faciliùs in junioribus.

Hippocratica si accedit facies, nares scil. acutæ, oculi concavi, tempora collapsa &c. ac cutis vix ossibus hæret, sanè in senibus parùm spei superest.

Et si tandem se jungit *Lienteria*, vel *alvi profluvium*, vel crura intumescunt, tum *interitus* haud longè abest.

In *Curatione* nostri affectus, respectum saltem habemus illius, quando per se affligit: Si enim ab alio dependet morbo, & symptomatica existit, tum ad illum morbum debellandum primariò cura est dirigenda.

In Hectica ergo vera per se accidente, *chyli habeatur maximus respectus*, quo sic hoc ad statum naturalem reducto, acrimonia circulantium humorum salsa, per se remittat, laudabilius-

biliusque nutrimentum corpori communice-
tur.

Et *si saburra acris biliosa*, primas vias oc-
cupasse notetur, non inconveniens erit *lene vo-
mitorium* exhibitum.

Sed si lympha pancreatica, magis acris &
acida suspicetur, magis conducet *Decó-
ctum laxans cum passulis*, quale de affectione
Hypochondriaca notatum.

Sed *intelligenda hæc sunt malo in suis pri-
mordiis constituto*, & cum adstricta alvo adhuc
affligente, nequaquam verò, quando nunc
cum alvi fluore molestat, & ad deploratum
ferè statum nunc progressum fecit.

Post hæc ad infringendam actimoniam
circulantium humorum acido salsam, condu-
cunt optimè specifica hic *absorbentia Antihect.
Poterii*: ♁ *diaphoret. margarit. præparat. oculi
cancr.* 🜂. *alcalisat.* &c. quibus si sudores no-
cturni nimis affligunt, *Sacchar.* ♄*ni*, vel *laud.
opiat.* commodè addi poterit. Vel & *Tinctura
antiphthisica ex sacchar o* ♄*ni* & ⊖*lo* ♂. in usum
vocari; utpote sudores nimios præsentaneè
sistens.

Præter hæc insigne hic edulcorans, & cir-
culantium *humorum acrimoniam temperans*;
præbet *Lac*, non sölum quòd serositates per
sudores copiosos exhaustas efficaciter resti-
tuat, sed & ceu alimentum digestionis facilis,
levi negotio in chylum facesset satis laudabi-
lem,

lem, non solùm egregiè nutrientem, sed & velluti acrimoniæ expers, sensim sic acrimoniam salsam sanguinis corrigentem modò; in primis viis nullæ cruditates acidæ stabulentur, quæ id coagulare possint : id quod ægri tolerantia indicabit : Si etenim nil ex eo molestiarum sentiat, nec gravitatem in ventriculo percipiat, singulo manè & vesperi, integra poterit propinari libra.

Si humores circulantes particulis magis mobilibus constent, calorem magis intendentes, aut sentire facientes, tum loco lactis simplicis, vel *Lac ebutyratum*, vel *serum lactis* magis erit opportunum.

Cùm enim *Lac asininum*, utpote serosius, magis hic commendetur, atque sic quo lac serosius, eò utiliùs hic judicetur, hinc serum per se propinatum, non quia frigidius, sed quod serum optimè restauret, magis hic conveniet.

Non enim serum hoc simplex esse alimenti vehiculum, ut opinabatur Antiquitas, sed & ipsum nutrire, *Barbatus de sanguine & ejus sero* asserit; lente enim igni admotum concrescit, inquit, certissimum alimenti signum : cujus rei facto centies experimento, vidi semper serum ipsum non modo leviter incrassari, sed agglutinari, fierique membraneum, hincque illicò conjecturavi sero sanguinis spermatica ali membra.

Simi-

Similia humectantia, plus tuta hic prædicat *Riverius* quàm refrigerantia. Proptereaque & *Balneum aquæ dulcis* primas obtinere, potenterque videlicet humectare asserit.

Non verò veterum more admittit *Balneum* aquæ frigidæ, sed *moderatè calidum factum*, in quo tum morari jubet, donec sponte refrigeretur, quam moram verò in frigido parvam esse debere præcipit.

Quo verò Balnei vires paulò intendantur, emollientibus ac refrigerantibus herbis incoctis hoc præstari debere injungit, utpote *Flor. violarum*, *nymph. fol. endiv. lactuc. salicis*, item *pedibus* vel *capite vervecis* &c.

Loco Balnei verò, ex dulci aqua, commendant alii *Balneum ex Lacte dulci* : vel & oleum, Balneo ex aqua confecto, admiscere debita quantitate præcipiunt.

In usum verò veniat tale Balneum, post tres à pastu horas, post Balneum tum corpore mollibus linteis deterso & siccato, inungatur dorsum *oleo amygd. d. & violarum mistis.* Vel & *unguent. infrigidante Galeni*, quo sic pororum nimia restinguatur laxitas. Vel in hunc finem in usum veniat hoc *Amati Lusitani*, v. gr.

℞. *Gum.*

℞. *Gum. tragac.*
Arabic. aa. ʒj.
Per diem & noctem *in aq. rosar.* infusis adde
Olei violar.
Butyri violar.
Butyri recent. aa ℥ß.
Camphor. ʒj mſ. in mortario cum *lacte muliebri*, ut fiat unguentum.
Vel ℞. *Aceti lithargyrii.*
Olei violar.
Lilior. alb. aa. q. ſ. ut fiat linimentum, cui adde *Camphoræ* q. ſ. mſ.

Ventriculo Emplaſtrum aliquod confortans applicetur, quale de vomitu traditum reperies.

Tandem Diætæ hic maximus habeatur reſpectus, cùm hæc plus hic præſtet, quàm ipſa medicamina: Aër calidus, quàm poſſibile vitetur, vel frigida de vaſe in vas tranfuſa temperetur.

Cibi ſint *juſcula gallinarum*, *cancrorum*, *hordeacea*, *avenacea*, *oryzea* &c. præcipuè *durante lactea cura*, ubi omnis *caro vitetur*. Præterea tamen *pruna damaſcena*, *poma dulcia*, *paſſulæ majores* cum *amygdalis*, non erunt prohibita, præcipuè ex amygdalis d. parata pulmenta, & Gelatinæ variæ confortantes &c.

Potus ſit *Decoctum Chinæ cum Paſſulis*, vel

Decoctum hordei cum passulis, item *serum lactis*, *Emulsiones confortantes* &c.

Plura huc spectantia suppeditabit titulus de Atrophia.

Hydrops.

Est collectio & extravasatio seri, vitiosè contexti, hinc suis vasorum consuetis poris, pro circulatione ritè perficienda, haud amplius respondentis: & universaliter totum corpus anasarcâ, vel particulariter hanc aut aliam corporis saltem partem, ascite, hydrocele, hydrocephalo &c. tumore videlicet p. n. cum siti inextinguibili, respiratione difficili &c. excruciantis.

Subjectum vel ut *continens*, vel ut *mittens* considerari hic potest. *Continens* vel totum corpus, ut in anasarca, vel pars saltem ejus, ut in ascite, hydrocephalo &c. sicque subjectum continentis ratione vel universale potest dici, vel particulare.

Subjectum verò *mittens* tota suppeditat *circulans Massa.*

Hepar, quod subjectum (causæ licet) crediderunt veteres, insons utplurimum reperitur, & salvo eo hydropem adfuisse, exemplorum

plorum ingens catalogus videri poteſt , *in ignoto hydrope Helmontis* , ut & apud *Bonetum in ſepulchreto.*

Pro ſubjecti interim ſive loci affecti ratione, apud Practicos diverſæ collectioni, ex extravaſatione ſeri, diverſa item nomina impoſita legimus. Si enim *univerſaliter omnes corporis partes*, à ſubſiſtente ſero *in tumorem fuere elatæ*, *anaſarcam* appellarunt : *Si ſolum abdomen* tali tumore notatum conſpexerunt, *Aſciten vocârunt* : Sed *ſi in capite* ſubſiſtens ſerum, tumorem præter naturam foviſſe crediderunt, *Hydrocephalum* nominarunt &c. Sic *hydropem pectoris*, *hydropem uteri* &c. adeſſe ſuſpicati ſunt, ex ſeri nimia collectione in iſtis partibus inſtitutâ.

Ex his *compoſita* frequentiſſimè, (nomiminis ſaltem ratione,) propullulat *hydrops* : Si enim ut frequenter occurrit, præter abdomen, etiam pedes & ſcrotum intumeſcunt, tum hæc hydropis ſpecies propriè non vocari poteſt anaſarca, quia pars ſaltem media corporis tumet; neque aſcitis propriè eſt, quia præter abdomen, etiam crura intumuerunt.

Notamus ſaltem ex his *hydropem non niſi loci ratione proprio gaudere nomine*; præterea vero non differre hunc ab alio, quemadmodum in cauſarum ſerie animadvertere erit.

Sive enim hæc, ſive illa corporis pars, vel univerſum corpus à collectione talis præter naturam ſeri intumuit, in genere hydropis vel univerſalis, vel particularis nomine, inſigniri haud malè poterit.

Sed cùm dirus hic morbus, ab initio non ſemper adeò leviter cognoſcatur, quoniam *graviditas, pinguedo, flatus* &c. *aliquando dubium reddere poſſunt Medicum*, hinc *Signis* opus eſt, quibus imminens in ſpecie hydrops cognoſcitur.

Arguit verò incipientem, pedum circa talos intumeſcentia, quæ impreſſi aliquamdiu *digiti veſtigia retinet*, interdiu etiam augetur, per noctem verò pauliſper remittit, & mane ferè ceſſaſſe videtur.

Aliquando verò priùs abdomen, dehinc femora, tibiæ, & pedes intumeſcunt, quale exemplum *Borellus recenſet, C.* 1. *Obſ.* 70.

Senſim verò tumor ferè aſcendit, & interdum vix advertentibus ægris, vel ventrem cum aliis partibus, vel totum corpus occupat, & *Anaſarca audit*, in quâ totum corpus æqualiter quaſi enervatum languet, & intumeſcit, digitique impreſſi veſtigia aliquandiu retinet, venter minimè inflatur, *reſpiratio tamen ſemper difficilis*, præprimis poſt aſſumpta alimenta, *carnes molles*, *laxæ*, & *pallidæ* mortuorum inſtar exiſtunt, *urina alba* ferè & *craſſa* excer-

excernitur, Febrisque continua cum pulsu debili & inæquali sentitur.

Vel solùm occupat ventrem & *Ascitis vocatur*, qua confirmatâ, æger in latus hoc aut illud se convertens, aquæ quasi fluctuantis sonum percipit, abdomine simul, pondere suo, huc vel illuc prolapso, erecto vero corpore stans æger, circa inguinum regionem gravitatem & pondus sentit.

Non raro vero *respirandi difficultas in cachecticis, hydropem præsagit*, tumore sensibili etiam nondum apparente: Serum enim modicè adhuc in abdomine collectum, acre tamen & acidum, sive salinum & mordax, rigidis suis particulis, diaphragmatis, vel aliarum nervosarum respirationi dicatarum partium, contractioni insistit, minori etiam quantitate in cananiculis saltem & poris illarum restagnans.

Non enim solam seri stagnantis quantitatem, & hinc inductam abdominis extensionem, angustiarum, & dispnœarum esse causam, prægnantes docere videntur; utut enim venter illarum maximè sit extensus & tumidus, de simili tamen respiratione difficili haud conqueruntur: utque adeo *asthmati convulsivo proximè* accedat, *hydropicorum asthma:* quod tamen tumore incrementum capiente, etiam simul increscit, & ad orthopnœam non raro

 acce-

accedit, tussi sicca simul, malo omine, se adjungente, & malum confirmante.

Ob nimiùm impeditam circulationem, *Febris etiam continua lenta, præcipuè circa vesperam*, magis animadverti solet, cum pulsu crebriori, parvo, & cum quadam tensione sub duro, siti ingenti & inextinguibili &c. Cibi etiam jungitur fastidium, & appetitus prosternitur.

Aliquando alvus obstructa est, aliquando verò cum euphoria liberalis fit, ab initio morbi si accidit.

Urina in genere *in omni hydrope, longè minori quantitate excernitur*, quàm quidem potulenta aliàs fundere possent: *aliquando* verò *intensè tincta* & crassa, aliquando, vel quibusdam, etsi raro, *pallida & tenuis* effluit, vel emittitur.

Ob crassitiem etiam seri, etsi hoc admodum abundet corpus, *per insensibilem transpirationem parum abit*, neque etiam, etsi balneis insideant, ad sudorem disponi possunt.

Sic & ob succi alibilis, lacteæ sanguinis partis, inversionem & crassitiem, corpus haud ampliùs nutritur, sed exceptis tumidis partibus, marcescit & collabitur.

Gravidæ & obesi verò *ab hydrope affectis discernuntur* vivacitate & oculorum vigore, qui in his perit, cujus loco *livore* eorum *oculi notari conspiciuntur*: In gravidis item versus

præcor-

præcordia abdomen tumet, in hydropicis verò inferior abdominis pars intumeſcit, & mammæ quæ in illis augentur, in his gracileſcunt.

Abdominis etiam tumor in gravidis mollis eſt, & tactui facilè cedit, ubiècontra *abdomẽ in hydropicis ita conſtringitur*, ut ne digitus quidem infra coſtas nothas adigi queat: Sic & hi, quo ſe vertunt, ventrem ſimul circumvolvi, & *aquam fluctuari percipiunt*; ſecus quam fit in gravidis, quæ percipiunt in ſuo corpore proprio niſu ſe moventis rei vim: *Sitique inextinguibili*, quâ excruciautur *hydropici*, gravidæ ne moleſtantur quidem &c.

Cauſa immediata nunc eſt extra ſua vaſa ſubſiſtens, & hic aut alibi collectus, & ſtagnans liquor ſeroſus.

Per hunc liquorem hic intelligimus magis liquidam, & limpidam ſanguineæ maſſæ partem gelatinoſitate privatam, & à tinctura ſeparatam' & tam particulas lacteas alibiles, quàm & excrementitias in urinam alterabiles, ſive ſegregabiles continentem.

Lacteas ſive alibiles aut nutritias partes in hoc hydropicorum ſero contineri, docet ejus in ipſo aſciticorum abdomine, mox in gelatinam, nunc materiam aliam pultaceam, aut ſimilem coagulatio. Sic *Willis Pharm. Rat. part.* 2. teſtatur ſerum hoc exemptum, albu-

minis ovi inſtar, à calore inſpiſſari & albeſcere &c.

Mediata proximior cauſa, cum cachexia eadem eſt, *circulantium* ſcilicet *humorum textura*, & mixtura *ex acido ſingulariter depravata*, ita ut hæc particulis variis non ampliùs cohærentibus conflata, conſtituat ſanguinem craſſum, circulationi magis, minùs ineptum.

Ex acido vero eſſe effectum, texturæ ſcil. ſanguinis inverſionem, hydropicorum ſerum teſtari poteſt, & *Borrichius* experimento confirmat, dum lactis balneum ab hydropicæ fœminæ ſudore coagulatum, notavit, uti refert *in Act. Haff. vol.* 4 *Obſ.* 69.

Satis etiam arguunt *Febres intermittentes, ſcorbutus* &c. hydropi non raro materiam ſubſternentes ſat acidam: atque juvantia etiam docent.

Senſim vero acidum hoc in maſſa ſanguinea dominium capit, nec uno momento partes alibiles à reliquis cum ſeroſis præcipitat, & connexionem aufert.

Originem vero trahere hydropis materiam, ſive ſeroſum liquamen, ex ſanguine arterioſo potiſſimùm, & primariò, hydropicorum ſanguis V.S. emiſſus teſtari videtur, utpote qui nunquam conſiſtentia laudabili præditus, ſed nil ferè niſi ſerum eſſe deprehenditur.

Quomodo vero ſeroſitates hæ ſegregentur

tur à reliquis circulantibus, facilè concipere est, *neque ad lympham à suis vasis disruptis extravasatam recurrere opus habemus*: modò consideremus in renibus, serum ordinariò a sanguine segregari, hoc non simul transeunte, à nervis lympham nutritiam nerveam, à vasis lymphaticis lympham recurrentem, & à totius corporis poris cutis, sudorem à sanguine secerni, *sanguine in suis arteriis intra remanente & circulante*: Quid ni ergo serum, ob particularum suarum indispositionem, crassitiem, vel alio modo alteratam texturam ab acidis particulis, sic à sanguine arterioso vel vaporis, vel liquoris forma segregatum, à suis poris vero sive canaliculis haud transmissum, in cavitates etiam & interstitia depluere poterit.

Ex arteriis enim (dum venæ id non recipiunt cum reliquis sanguineis particulis) detrusum, & circulationis lege propulsum, *sine que à renibus, neque cutis poris*, quia lymphatica vasa non omnem capiunt lympham, jam cum sero acido commixtam:) *segregatur*; sanè non poterit non stagnare, & partes, in quibus sic sensim colligitur, tumore notare.

Ubi tamen non negamus, *lympham crassam, acrem* vasa sua distendentem, vel erodentem simul esse posse hujus vel illius *hydropis particularis causam*, quemadmodum *hydatides* id indigitant, quæ aliquando sacculo-

rum plus minùs ovalium forma , ad modum vesicularum piscium apparent.

Non enim potest fieri , quin sanguineâ massâ serosâ nimium & acri , lymphatica vasa simul repleantur vitiosâ & copiosâ lymphâ , cum hujus proventus ex sanguine immediate originem trahat , & in illum rursus migret.

Vasa lymphatica verò pro proximiori omnis hydropis subjecto mittente substituere velle , plures rationes contrarium sentire moverunt , sed *potius à sanguine* vitioso , *seroso* nimium *&* *circulationi* plurimam partem *inepto* , ut paulò supra doctum , originem esse , etiam *Lovveri experimentum de corde cap.* 2. *pag.* 123. traditum , mihi persuadere potuit ; videlicet ubi refert, quod, si cani infra cor vena cava ligatura constringatur, is inferiori ventris hydrope corripiatur : si jugulares verò ligarentur , hydrocephalus emergat.

Unde certò constat , *interruptum sanguinis circulum , potissimam hydropis constituere causam* : sicuti docere etiam videtur hydrops, morbos alios insequens , ubi serum coagulans, tandem magis stagnare fecit sanguinem.

In istis verò morbis *superfluum adesse acidum, sudor acidus* , atque molestus manifestat satis , qui verò quamdiu ita secernitur,

ab

ab hydrope corpus vindicat, quamprimum verò subsistit, nec amplius segregatur, eum aciditate suâ sanguinem coagulasse, & à sua textura legitima, & connexione cum serosa parte præcipitasse, & sic hydropi materiam ministrasse, experimenta confirmarunt plurima.

Hoc verò deperditum acidum pro hydrope generanda, plures *causæ remotiores* addunt: & inter eas quidem *ex Naturalium rerum serie* suum symbolum efficaciter addit *Temperamentum* frigidum & humidum, ex acido pronatum, & ex crassis lentè mobilibus, serosis tamen, facilè coagulantibus partibus conflatum.

Præterea *neque Sexus, neque Ætas ulla* hic prærogativa gaudet, crescit enim tam huic, quam illi dirus Hydrops.

Interim illi, qui ampli sunt corporis, pingues, oleosi, quando hi senescunt, vel eis alia de causa volatiliores & subtiliores obtunduntur partes, sicque calor vulgò nativus obrunditur, tum reliquus superfluitatibus crassioribus subtiliandis & circulandis impar, non rarò hydrope corpus notat.

Ex Nonnaturalium rerum classe alimenta & frequens & ingens addunt pondus. *Præ aliis malè audit Potus*, & quanto & quali peccans, in specie *spir. vini*, vel *vinum* etiam *generosum* ipsum, continuò & manè & sero ingurgitatum, diri hydropis communis solet esse causa.

Cùm

Cùm enim potus hic, copiosis subtilissimis, & volatilibus acidis non solum, sed & particulis acribus constet: hinc copiosè sanguini advectis illis, motus circulatorius admodum intenditur, quo corpus incalescit, quibus sic subtiles magis & rarèfactæ, tam circulantium humorem, quam & spiritus vel vini ingesti particulæ, insensibili transpiratione expelluntur, quibus vero separatis, & extra corpus proscriptis, serosæ acido rudi imbutæ remanent, quæ tum sic sensim incrementum capientes, sanguinem à sua ordinaria textura detrudunt, & dulcem mixturam invertunt, oleosas alcalicas & volatiles, non tantùm simul subjugando, & in sal heterogeneum transformando; sed & serum acre reddendo, & cohæsioni cum reliquis nutritiis incept, obstructionibus verò aptum efficiendo.

Acidum etiam illud *vini volatile*, præter id, quod non aliter ac subtilis æther, circulantium humorum motum admodum intendat, etiam hoc incommodi simul adsciscit, ut gelatinosas, nutritias, & alibiles particulas nimium dissolvat, & attenuet, inque liquamen serosum nimium præcipitet, volatiliores ejus partes simul secum rapiendo, illud vero subtili duce destitutum relinquendo.

Non tamen semper mediante spirituoso potu, circulantibus humoribus relictum rude serum: sed *& intempestivâ frigidæ ingurgitatione*

tione hydropem inductam esse, plures novimus testes *M. A. N. C. Ann.* 6. *pag.* 85. hujus exemplum communicant, & *Riverius cent.* 2. *Observ.* 65. tale habet. *Panarolus* etiam refert, quendam quotidie ante prandium frigidam bibentem, in hydropem incidisse.

Quam facile etiam sibi hoc malum accersant *Febricitantes*, *quando* in paroxysmis potum præcipuè *frigidum copiosè ingurgitant*, exempla loquuntur.

Ex Præternaturalium rerum classe plus fluidarum, quam solidarum partium vitia, hydropi ansam ministrant.

Quomodo vero partium causam sustineant supra de proximiori causa traditum fuit.

Quid verò Digestionis primæ instrumenta, subtile illud nerveum, bilis, succusque pancreaticus hic præstent vitiosa, reperies de cachexia.

Renibus vulgò, in nostro hoc malo, *multum causæ adscribitur*, sed ego, nisi ab ortu conformationis aliquo vitio notati sint, eis causam adscribere hæreo: cùm *omne vitium*, quod aliàs incurrere solent, *à transmissis partibus fluidis* eis advehitur, sive calculosa sit dispositio aut alia obstructio.

Sola ergo *seri depravata constitutio*, poris ejus haud amplius respondens, hic causam ludit, tollatur hæc labes, & renes officii sui haud

haud immemores erunt, nisi jam in eorum poris ſtagnantes plurimæ obriguerint particulæ.

Præter hæc *Febres intermittentes malè tractatæ, aſthma*, vel & *fluores alvi diuturni, hæmorrhagia nimia* &c. in præternaturalium cauſarum ſerie recenſentur.

Sed neque hos neque alios morbos, ipſam poſſe eſſe hydropis cauſam, ſed ſaltem cauſam ſerum videlicet coagulans continere, & hydropi anſam etiam ſuppeditare poſſe denotant. Sic *icterus*, & *ſcorbutus*, dependent à cauſa, quæ levi negotio hydropem etiam generare valet. *Ab unico* enim *acido* circulantibus variè *p. n. immixto*, diverſi effectus originem ſumere poſſunt.

Diſtinguunt tamen Practici ex præmiſſis cauſis Hydropem.

Illum namque, qui ab evidenti cauſa, veluti potu, cibo, vel ſimili immediatè dependet, *morbum primarium* nominant: *Secundarium illum*, quando morbus alius cauſam ſuppeditavit.

Prognoſin magni noſtri morbi quod concernit, ſciendum, eum in genere *curatu admodum difficilem, inveteratum verò plerumque incurabilem eſſe*: Cùm enim, teſte *Barbette*, Cachectici raro perfectam adipiſcuntur ſanitatem,

tatem, multo magis Hydropici periclitabuntur.

Celsus ex Hippocrate hanc tradit Prognosin: Aqua inter cutem, inquit, minimè terribilis est, *quæ nullo antecedente morbo cœpit*, dein *quæ morbo longo supervenit* utique, si firma sunt viscera, si spiritus facilis, si venter mollis, si nulla tussis, nulla sitis, si cibi cupiditas adest, si venter medicamentis movetur, si non extenuatur &c.

Sanè qui hydropicus ita degit, non admodum hydropicus est: Phænomena enim, quæ supra de signis tradidimus, sequuntur hydropem plurimam partem, ut umbra corpus: ut ideò si non adsunt, vix dici possit hydrops talis morbus.

Deinde admodum mite prognosticon est, hydropem minimè terribilem esse, tam eum, qui nullo antecedente morbo, quam qui longo morbo supervenit, conditionatè quidem ponit prognosin, sed conditiones hæ raro hydropem comitari deprehenduntur.

Aliàs magnam ponunt Practici differentiam, inter hydropem quæ per se, quam quæ alium insequitur morbum.

Illum enim, *qui per se* hominem aggreditur, quia viscera depravata plerumque notat, *longè periculosiorem esse* dicunt, quam qui febrem insequitur.

In genere verò *omnis periculosus est hydrops*, si visceribus obstructis originem debet. Cùm verò rarò hæc immunia esse soleant, vel immunia emergant; propterea semper etiam periculosa est quævis aquæ collectio extra vasa accidens.

Periculosior tamen, *quo magis viscera*, ut hepar &c. *obstructione vel scyrrho affecta sunt*, non quod propterea magis lymphæ circulatio impedita huc quid conferat, sed quod obstructo hepate, bilis non generetur, & sic volatilibus his destitutis, acidæ rudes dominium capiant, & circulantem massam, crassam, crudam minimè cohærentem efficiant, sicuti de cachexia latius deductum leges.

Ubi, si *dejectio nigra, quæ non est à medicamentis*, accidit, pro signo acidi admodum nunc exsuperantis, & omnia coagulantis, *lethale est*.

Instantis vero *mortis prodromus* est, *fluor alvi colliquativus*.

Ubi verò ab initio morbi aquosum accidat profluvium, absque cruditate, tunc morbum solvit.

Aliàs pessimum etiam signum est *tussis vehemens, & urina quò minus exit*, eò deterius est.

Ulcera hydropicis *in cruribus* vel alibi exorta, *difficulter etiam sanantur*.

Et maculæ lividæ, si in pedibus erumpunt, gangræ-

gangrænam imminentem, & mortem præsagiunt.

Hoc unicum hic notandum, quod *Hydropici* plerumque *circa Novilunium pejus se habere* soleant, eoque tempore etiam ferè semper, *Rolfinccio* id annotante, moriantur; Absque dubio ob subtilem materiam, effluviis lunaribus turgidam, serum ad omnimodam coagulationem disponentem, & veluti peregrino æthere inducto, circulantem etiam adhuc sanguinem à motu suo revocantem, & intercipientem.

Curatio gravissimi hujus morbi duas potissimum continet indicationes principes, 1. *ut collectum & stagnans serum removeatur*, 2. *circulantium humorum crassities corrigatur*, & partium constituentium textura, & cohæsio, venarum & arteriarum poris respondens, procuretur, & sic extravasationi seri via præcludatur.

Præstabitur verò hoc ultimum variis, & diversis remediis, pro antecedentium causarum varietate, vel *digestionem primam emendando*, & ejus requisita necessaria, *bilem*, fluidum nerveum &c. corrigendo, quemadmodum hæc de cachexia tradita reperies; vel causam alibi latentem emendando.

Pro prima intentione, collectione videlicet seri removenda, *Purgantia* primum locum

vindicant quidem, iisq; non rarò copiosa aquæ quantitas evacuari solet: sed quoniam ipsa peregrinum circulantibus humoribus inducunt ætherem, qui non solutas suo nexu particulas solùm, sed & connexionem cohærentium aggreditur, & dissolvit, hinc merito hoc *Lindani* magnifaciendum; quando eum, *qui rectè vult curare hydropem, rarò purgantia dare jubet*: tunc vero ea dare præcipit, quæ vehementer purgant.

Neque alii Clariss. Viri hic abludunt, qui cum *Riverio* etiam *purgantia validiora*, saltem *haud frequenter* adhibere præcipiunt.

Ubi verò tali opus, ex selectis, & hic appropriatis fiat hoc vel simile insigne coagulati seri resolvens.

℞. *Gumm. ammon.* ℈ß.
☿. *dulc.* gr. xv.
vitæ gr. ij.
Extr. troch. alhand. gr. v.
cum Elixire polychr. fiant Pillulæ pro dosi.

Vel si mitius desideres, & ubi serum non adeò coagulatum existit:

℞. *Resin. jalapp.* gr. xij.
cum amygdalis aliquot tritis, adde ▽. *acat. cinam.* aa. ℥ß. *Syr. papav. errat.* ʒj. mſ. pro dosi.

Præter hæc, *Pillulæ ex Luna*, quas *Boyle in usu phil. experim.* cum omnibus manuductionibus

nibus describit, mirabiliter aquam evacuant in copia.

Bryoniæ etiam *Radix* ad ℥ß. vino infusa, & infusum propinatum, singulare hic est evacuans & alterans, in specie in hydrope uteri.

Nec minus præstans est *Elaterium* sive *succus cucumeris sylvestris* inspissatus, quo vix præstantius dari evacuans in hydrope, *B. Cl. Ettmüller* in Praxi testatur. Et *Lindanus* id vocat nobilissimum remedium. *Fr. Hofmannus* excellentissimum hydragogum, quod in contumaci hydrope, constantibus viribus ex sententia operari asserit.

Colliguntur vero *fructus cucumeris asinini* antequam maturuerunt, sed *quando flavescere & maturare incipiunt*, saltem ex eo exprimitur succus, qui digeritur in M. B. donec clarescit, tum separatur à fecibus & inspissatur in formam extracti, & tum datur à gr. v. ad ℈ß. cum Pillulis, v. g.

℞. *Elaterii* gr. vj.
Extr. helleb. nigri gr. iiij.
☿. *dulcis* ℈ß.
Olei cinam. gutt. j. misc. fiant Pillulæ pro dosi.

Vomitoria in hoc morbo neque ullius sunt usus, neque effectus; *hydropicis* namque confirmatis *rarè vomitum procreare solent emetica*, quia serum eorum acido-salsum, eorum

ſpicula hebetat, vomitus loco vero utplurimum per ſeceſſum hydropicorum evacuant aquas, propterea & *Mercurius dulcis, cum Mercurio vitæ* combinatus, inſigne hic præſtat hydragogum; ambo enim abditiſſimos tubulos feliciſſimè penetrant, & reſerant; lympham in eis ſtagnantem & coagulantem ſolvendo & fundendo rurſus.

Si infuſum deſideret æger,

℞. *Comar. abſynth. herb. trifol. fibrin.*
Cent. minor. aa. mß.
Radic. cucum. aſinin. ʒij.
Rhabarb. el. ℥j.
Fol. ſenn. el. ʒvj.
Cinamom. ʒß.
Baccarum juniperi ℥ß.
Cinerum geniſtæ ʒiij.

Inciſa infundantur *vini* ℔. iij. & propinentur ejus pro doſi ℥v. vel vj.

Clyſteres etiam hic optimè audiunt, obſtructas enim inteſtinales glandulas optimè reſerant, & poros eorum patulos rurſus reddunt, pro transmittendo collecto in abdomine ſero; commendant vero inſigniter Practici clyſteres hic *ex urina* confectos. Sic v. g.

℞. *Cortic. inter. ſambuci* m. j.
Baccar. juniperi.
Rad. bryon. aa. ℥j.

coque

coque cum *s. q. urinæ*, tum colaturæ
℔. j. adde
Olei terebinth. ℈ß. misce.

Vel detur is *ex croco metallorum* capite de alvo obstructa, descriptus.

Hæc jam sunt selecta, hydropicorum aquas per alvum evacuantia, inter quæ tamen selectum instituat Medicus, pro ratione hydropis.

Sic *in Anasarca elaterium*, *bryonia*, *crystalli Lunæ*, vel simile acre multum juvabit, quia *serum in hac hydropis specie magis coagulatum*, & longius, in habitu videlicet corporis dissitum latet, & *intra poros*, *& vacuitates*, *vasorum extremitatibus interjectas*, hæret. Purgante verò simili valido exhibito, massa sanguinea magnam serositatum copiam deperdit, unde vasa magis minus vacua reddita, in vicinia stagnantes serositates resorbent, & similiter vel per alvum, aut urinam rejiciunt.

In *Ascite vero Willis cavere jubet ab elaterio* & similibus, quippe illis, visceribus debili constitutione, præditis, necem sint allatura.

Vel ad minimum *Riverii* monitum observetur, ne validum purgans tale, frequentius veniat in usum.

Præter hoc enim, quod in mera ascite, è ventris stagno nil evacuent, sed sanguinem magis exagitent, & plurimas adhuc circulan-

tes particulas extrahant, & versus abdomen derivent, ascitem non rarò graviorem reddere solent, colliquationem majorem inducendo.

Accedimus ad *Diuretica*, quibus in genere Practici omnem ferè curationis spem concredunt: Sed de his idem judicium esto ac de purgantibus: *Anasarcam* namque *illa frequenter sanant*, & præ aliis quibusque remediis juvamen præstant.

Meram verò Ascitem, ubi præter abdominis cavitatem, viscerum, & aliarum externarum partium tubuli ab infarctu sunt immunes, *intendere potius solent*, quam minuere: quia sanguinem adhuc circa cutem fundendo, & per renes expellendo, propterea in abdomine extravasatum delitescens serum, ad renes haud derivare queunt, quamvis proximè adsiti sint.

Quicquid enim aquarum per renes expelli debet, necesse erit primò in massam sanguineam resorberi, & tum ad renes amandari.

Cùm vero tantæ seri quantitati absorbendæ, abdominis vasa haud sint sufficientia, hinc, quia parum in viscerum tubulis latet, quod resorbere vasa queunt, *circulantem massam*, ut ante dictum, *aggrediuntur diuretica, & eam fundendo*, malum plerumque augent: quemadmodum hoc in ascite verendum: nisi enim simul viscerum, vel extremarum aliarum partium tubuli etiam notentur sero in-

infarcti, ut *in composita hydrope*, vel propriè dicta *anasarca*, ibi cautè diuretica adhibeantur, ne colliquescere magis sanguinem faciant, & ascitem ut dictum intendant.

In his vero *hydropis speciebus* palmam aliis dubiam reddunt *diuretica*, & insigni cum fructu adhibentur, quia non solùm materiam serosam, quæ in vasis adhuc continetur, & ad ventrem ac artus defluxura est, derivant, sed ipsam etiam quæ in extremis partibus, & partim in abdominis cavitate restagnat, in venas resorberi faciunt, exinanitis prius vasis, & sero restagnanti absorbendo, vacuis pro parte redditis.

In specie vero pro usu diuretico in anasarca, alcalia magis fixa, in ea vero, quæ ad ascitem propius accedit, vel in qua urina crassa, intentè tincta, & lixivialis apparet, magis volatilia conducunt.

In illa ergo

℞. *Herb. absynth. sive Fl. cent. min.* m. j.
Baccar. juniperi m. ij.
Rhabarb. el. ʒß.
Cinerum genistæ.
tamarisci aa. ℥iiij.

Affunde his *vini opt.* mensuram unam sive ℔. iii:. tum ponantur in digestione per aliquot horas: deinde colaturæ dentur bis in die pro dosi ℥vj. vel viij.

 Vel

Vel si *comar. absynth.* m. ij. *baccar. juniper. radic. cichor.* aa. m.ß. contusis vel conscissis affuderis *vinum*, vel *cerevisiam*, & tum pro continuo potu in usum vocaveris, ex commendatione *Cl. Volckameri* habebis haud contemnendum euporiston.

Hæc nunc pro scopo diuretico, & sudorifero, in hydrope ad anasarcam accedente, admodum conducunt, in specie juniperina.

Ubi vero propriè ita dicta Ascitis adest, tum *alcalia volatilia* veniant in usum, inter quæ prævalent *Spir. *ci*, ⊖. *vol. urinæ*, *lumbricorum &c. In specie Bufonum pulverem* hic quid singularis obtinere *B. Ettmüller in Praxi refert*; Jubet verò *Bufones siccare* in umbra, postea exscindere capita, & intestina eximere, reliquum in pulverem subtilissimum redigere, & de hoc tum vel solo, vel cum proprii hepatis pulvere misto, propinare gr. x. ad ℈j. hocque 3. vel 4. vicibus repetere, ita tamen ut post assumtionem unius, 3. vel 4. dies interponantur, ne nimium debilitetur æger.

Sic & *cochlearum opercula* dictus Cl. Autor potenter hic urinas pellere asserit, horumque benè depuratorum & pulverisatorum largam dosin, manè & vesperi in convenienti vehiculo propinare jubet: & iterum atque iterum monet, ut differentiæ alcalium, diureticorum, fixorum & volatilium, respectus

ctus hic probè notetur, & observetur. *Spirit.* *✱ci* ut & reliqua alcalia, jam laudata volatilia, in superiori, *absynth.* & *juniperi* infuso, commodè propinari & in usum vocari potesunt.

Recensitis nunc iis, quæ primæ nostræ intentioni è pharmaceutico penu, seri scil. collecti eductioni & evacuationi, præ aliis præstantia reperta sunt: accessum facimus ad ea, quæ secundam nostram secundant indicationem: Quæ scil. humorum circulantium crassitiem corrigunt, & earum cohæsionem conservant, vel promovent, sicque texturam legitimam restituunt, extravasationemque seri præcavent.

Hæc verò sunt in specie *Amara*, & *♂ialia* vulgò Hepatica & aperientia dicta, nobis *Bilem confortantia*, & *vitiosam acidam*, vel *corrigentia*, vel deficientem restituentia vocata: in specie de Cachexia tradita, ubi tam, quàm hic, *Rhabarbarum*, *absynthium*, *juniperina* & similia non absque singulari effectu *cum ♂te* præstantissima sunt hydropis antidota.

Ferro sive *♂ti in Act. Hafn. vol. 5. obs.* 119. integra concreditur hydropis cura, modo viscera & vasa sint incorrupta; huicque præ purgantibus, præ diureticis, sudoriferis &c. laudem solam tribuunt, huncque solum aperien-

riendi, & viscera roborandi vi præditum esse contendunt, recipere vero jubent, v. gr.

Limatura ♂. ℥j.
Radic. Zedoar. elect. incis. & contus. ʒvj.

Hæc sacculo inclusa, vino generoso infundere, tum vero manè & vesperi, per 4. aut plures septimanas, tria aut 4. cochlearia assumere præcipiunt, observata conveniente diæta, donec salutis spes fulgere incipiat.

Si specificis aliis acuatum hoc vinum ♂iale quis desiderat, capite de Cachexia tale traditum reperit.

Allium etiam non inter infima Hydropis antidota *à Bartholino Cent.* 1. *hist.*|74. ponitur: ejusque singularem & potentem effectum experimento commonstravit *Medicus Anglicus*: Qui præmisso conveniente purgante, ac primas saltem vias depurante, in hunc modum adornabat curam.

Recipiebat namque aquæ ℔ij. (majorem enim Decocti quantitatem haud durabilem expertus fuerat:) carnis vel vervecinæ, vel caponis aut gallinæ q. s. pro jusculo: *allii* m. j. *rorismarini*, *pulegii*, *majoranæ*, *radic. petroselini*, *fœniculi*, *passul. min. salis aa.* pro lubitu, ex his nunc conficiebat jusculum, & ægro singulis diebus propinabat ejus quantitatem pro potu.

Postquam vero hoc jusculo per aliquot dies

dies fuerat usus, tum singulo haustui ægrotantis potus immittebat *succi allii expressi crudi* cochlear unum bonum.

Ubi verò potum abhorrebat æger, parari curabat hunc potum v. g.

℞. *Sarsæparill* ℥xij.
Rad. Chin. ℥v.
Sassafras ℥iij.
▽. *font. ad eminent. saltem* 3. digitorum.

Leni tum igni impositis, & mollitis radicibus, exemptis & pistillo ligneo contusis, affundi curabat aquæ font. ℔. x. quibus tum invicem vase clauso, ad tertiæ partis casum coctis paratus erat potus, quem, ubi allii jusculum adhorrebat æger, saltem concedebat, aliàs nil nisi jusculum concedens, utpote potissimùm curationis hujus instrumentum.

Interim pro confortanda bile (vel Hepate, ut illi audit) propinabat electuarium ex sola *curcuma pulverisata, & cum saccharo in electuarium redactâ*, cuilibet tum unciæ addendo *olei anisi* gutt. iij. & *ambræ* pro lubitu.

Hujus vero electuarii sæpius de die quantitatem nucis avellanæ, in usum cedere, concedebat, ita tamen, ne singulo die dosis excurreret unciam unam.

Pro confortando vero stamacho, inunctionem imperabat ex *oleo nucistæ & absynth. destillato*, imposito desuper *sacculo speciebus aromaticis repleto*.

Con-

Continuandam verò esse hanc curam injungit ad perfectam usque curationem, ubi die 12. vel 13. ægrum magnâ quantitate urinam excernere fœtidam dicit, & sic tandem integram adipisci sanitatem.

Tandem si plus docta valet arte malum, & omnia medicamina irrita deprehenduntur, invenit curiositas humana methodum, quâ *in vera ascite quidem*, manu chirurgica serum ex abdomine educit, & hoc remedii genus *paracentesin* vocant, quod natura docuisse videtur, quæ per spontaneam umbilici tumidi apertionem, vel per vesicas in cruribus excitatas &c. aliquando collectum evacuavit serum, & sic hydropem curavit.

Sed quàm accidentalis fuerit hæc naturæ cura, uti plures in aliis subjectis tali modo institutæ artificiales evacuationes sed funestæ, indigitare solent, pari modo & artificialis talis evacuatio aliquando salutaris, aliquando, & utplurimum lethalis fuit deprehensa: ut propterea meritò ambiguum hoc solamen, an arripiendum, an non, ferè hæreat aqua, cum sic ancipiti aleæ hominis committatur vita.

Sed cùm hic tam fortuitum sit perdere, quàm vincere, propterea meliùs erit aliquando anceps experiri auxilium quàm nullum.

Ingenuam paracenthesin adhibendi methodum *Barbette* in sua Chirurgia tradit.

In

In genere Practici funestum hujus operationis exitum nimis sero institutæ adhibitioni adscribunt, credunt enim, longiori mora visceribus à stagnante aqua vel sero acri corruptis, hanc operationem solùm deprehendi irritam.

Sed ego ferè credo, quòd jam ab initio etiam vasa & viscera sint affecta, & obstructa, aliàs hoc malũ radices haud acquisivisset, propterea que tam ab initio, quàm fine, hanc curam per paracenthesin esse ancipitem.

Etsi enim collecta evacuaretur aqua, attamen brevi tanta quantitas in ejus locum succedere poterit, nisi radici prospiciatur.

Et sanè non tam serum abdomen distendens, quàm reliquorum circulantium vitium, & omnimoda sensim facta coagulatio, crassities, & impeditus circulus jugulat.

Si tamen quid tentandum, fortè magis naturæ analoga erit apertio umbilici, excitato priùs ex omphalo, sicuti suadet *Formius inter obs. Riverio* communicatas *obs.* 4. Omnes enim apertos, non prominente umbilico, interire dicit.

Umbilici verò prominentiam arte procurari posse docet, admotis frequenter umbilico cucurbitulis siccis, cum multa flamma, item fotibus emollientibus, quibus intra triduum plus minùs prominentiam procurari posse ait, in quâ tum apertionem instituendam

dam esse jubet. Hacque methodo Asciticum sex mensibus servatum fuisse refert. Successive vero effluere aqua permittatur, neque nimis cito, ne mors, nec nimis tardè, ne gangræna se jungat.

Operationis hujus loco sunt, qui *Fonticulos in cruribus excitatos*, vel *vesicatoria* applicata multùm commendant, plures vituperant: Decisionem habet *Capivaccius*, qui cauteria in tumidis cruribus hic locum haud habere asserit, *Pract. l.* 3. *c.* 19. Vidi, inquit, tumore pedum præsente, & ascendente supra genu, factum esse cauterium, indeque obortam gangrænam, & mortem. Difficulter namque in hydropicis curantur ulcera.

Locum ergo saltem habent hæc, *si crura nondum sunt tumida*, nec tumida redduntur, ut in Ascite vera.

Ego Ascitici tibiis infra genu fonticulos apposui, unde incredibilis aquæ citrinæ copia excreta, hincque sanatus æger: hos verò fonticulos ad multos annos deinde gestavit, donec spontè exsiccati: non neglectis interim remediis viscera roborare valentibus. *Weickardus c.* 12. *vide & Fr. Hofmann. M. m. l.* 1. *c.* 21. qui hoc exemplo confirmat.

In tumidis verò pedibus omninò ab his & similibus caveto, ob metum gangrænæ.

Securiora sunt, & non raró æquè proficua, externè tumentibus locis applicata resolven-

tia,

tia, quale est *stercus caprillum cum urina propria* decoctum paulisper, & calidè applicatum: Vel & cum *pulvere Foliorum ebuli, meliloti, bacc. lauri, sem. cumini &c.* remixtum, & cataplasmatis forma appositum.

In leviori malo, *herba chelidon. majoris* contusa, & plantis pedum applicata, serum optimè educit.

Cl. Ettmüller singulare quid obtinere dicit *cochleas cum suis testis contusas*, & instar cataplasmatis hydropicorum ventri applicatas. *Platerus* verò testas, cùm ægrè contundantur, priùs in cineres redigere jubet: *Sylvius* nil potentius aquas ad se trahere dicit, quàm *Sal* & quidem *tostum*, ac omni humiditate privatum, ut in ejus locum aqua in corpore contenta veniat, quem effectum tamen potentius asserit præstare cineres, multo sale lixivo turgidos.

Paracelsus tantum effectum adscribit *Muriæ salinæ forti*, huicque ex hydrope, vel alia de causa tumida crura imposita sæpius, curari certo, asserit. Hocque salis Balneum, hisce in casibus, thermis omnibus præfert, non omissis interim mediis internis necessariis.

Diæta tandem præmissis jungenda venit, cujus tanta hic est necessitas, ut absque ea frustra omnis instituatur curatio.

Nisi enim abstineas hic, nil medicina præstabit. *Celsus* propterea faciliùs in servis, quàm liberis

liberis hydropem curari ait, cum ad abstinentiam illi faciliùs cogantur.

Intelligenda attamen hæc *hydropicorum abstinentia de Potu:* cum ciborum appetitus satis rarus aliàs hic esse soleat. Cum enim sitis unum ex gravissimis hydropis phænomenis, pro quā demulcenda pauca saltem sunt concessa, *& nitrum depuratum* in ore detentum ferè magis efficax hic existit euporiston, cum non tam sitim optimè compescat, quam & urinā promoveat.

Præter hoc vel simile *vinum* vel *cerevisia absynthio, baccis junip. &c.* aromatisatum, moderatè tamen in usum cedat, nec alius præter hunc potus, nisi supra ex *Sarsaparilla, China &c.* paratus, detur.

Inter cibos assati magis, quàm elixi concedantur.

Motus quantum quidē possibile imperetur.

Pro demulcendis vigiliis nimiis, *Pediluvia ex Fol. salicis, ebuli, sambuci, solani &c.* sufficiant. *Opiata* namque *omnia vitentur*, utpote resolventia nimium & subtilium cum crassioribus cohærentiam hic fortè magis tollentia, crassioresque, utpote copiosiores hîc subtili duce omninò privantia.

Ruditate enim, & paucitate, in gravi hoc morbo tam subtile illud aliàs nerveum, quàm reliqui humores omnes adhuc circulantes cruditate, crassitie, in genere perturbata mixtura, & textura, conspicui existunt.

Hypo-



Hypochondriacum Malum & Scorbutus.

CUm Gradibus saltem differant affectus, propterea non opus esse duxi, eorum ab unica causa dependentem analysin, diversis tradere capitibus.

Est ergo hypochondriacum malum, cum Scorbuto, molesta, & non rarò dolorifica, mentis sensatio, hinc inde excitata ab instrumentorum digestionis primæ, fluidi nervei videlicet, vel & in specie nerveæ & pancreaticæ lymphæ, nimio & diverso, magis minus acri, acido, primas vias non tantùm, sed & proximè adjacentes, vel dissitas, partes, rosione, ac convulsoria constrictione afficiente, & infelici valetudinario statui, per vitam ferè omnem, ægrum subjiciente.

Subjectum affectus, tantùm non totus suppeditat homo: *Causæ* verò subtile illud in specie nerveum ministrat, & succus pancreaticus. In genere tota circulans massa, vel nimium crassa, vel nexu suo soluta nimium.

Signa quæ vera hæc eſſe, nobis deſignant, innumera ferè ſunt; ſed non in omnibus apparent omnia, neque ſemper æque gravia: hic leviora & pauciora, alius graviora & plura, experitur phænomena, mox frigidi, mox calidi ſenſum magis juncta præ ſe ferentia.

In plerisque ventriculus multùm laborat, qui feliciter quidem appetit, ſed malè digerit: Diſſolutoria namque actio plurimam partem hic periit, ob vitium non tantùm ſalivæ, ſed & ipſius nervei fluidi, vel penuriam, vel craſſitiem, unde cibum ventriculo ſemi-diſſolutum elabi ſinunt; Durante verò hac actione *ventriculus diſtenditur, & dolet.*

Motu namque diſſolutorio, vapores ſive halitus vel *flatus exſurgunt*, qui cum in ſtatu naturali latera & parietes ventriculi ubique liberè penetrent, *jam porulis & glandulis obſtructis*, & ab acido contractis, remanendo & *oberrando*, *latera ventriculi diſtendunt*, & expandunt: qua diſtenſione durante, proximè adjacentes ſimul convelluntur partes, ad inſtar chordarum tenſarum, & inter ſe connexarum.

Oriuntur inde ructus, & flatus, hinc vertigines, cephalalgiæ &c. Chylo ſic crudo è ventriculo ad inteſtina devoluto, nova exſurgit cum bile in chylum acidum agente, effervescentia, quoniam verò bilis tantæ aciditati ſubigendæ, & chylo magis ſubtiliando impar exiſtit, hinc ſuc-

ſucco pancreatico delatus adhuc rudis chylus, ob ejus etiam aciditatem & craſſitiem inalteratus exit : hinc *rudis chylus, ad circulantem devolutus maſſam, eam crudam* ſimul & *craſſam*, circulationi haud adeo aptam conſtituit, unde tum inde emergentia chylificationis inſtrumenta, utpote fluidum nerveum, lympha in genere, Biliſque, haud melioris notæ crui rurſus queunt.

Præſente jam in inteſtinis, dictâ præternaturali fermentatione, *ob concurrentes plures contrariantes*, tam è ventriculo *advecti chyli crudi*, quàm & inibi ſubſiſtentis *bilis, & ſucci pancreatici craſſi, acriſque, particulas; hypochondria ſimul diſtenduntur*, adeò ut tympani inſtar non rarò expanſus notetur venter : hinc *reſpiratio fit difficilis, æſtus excitatur in hypochondriis*, & ſiniſtri potius quàm dextri moleſtia percipitur, *ob colon ibi flatibus repletum*; qua de cauſa vexantur borborygmis, & variis agitationibus in abdomine, circa hypochondrium ſiniſtrum moleſtantur, variis tubulis nervoſis membranaceis obſtructis.

Malo confirmato, ſtatim poſt paſtum menſæ adhuc dum aſſidentibus, *phlogoſes ſe jungunt*, dum illi maximè erubeſcere incipiunt, præcipue poſt vinum hauſtum, unde quaſi ebrii eſſe ſolent à paſtu.

Præter phænomena hæc aſſumtis cibis familiaria, plura alia moleſta ſunt intermedio

tempore. Poſtquam enim ſanguis, rudi chylo turgidus, nunc non lentè ſolùm movetur, ſed & particulis craſſis, non ſolùm fluidum nerveum, ſed & lympham, imò bilem imbuit, hinc inſtrumenta hæc ſeorſim exiſtentia, haud meliora poſſunt producere phænomena.

Lentus ſanguinis motus, & ob craſſitiem minima vaſa haud adeò liberè pertranſiens, ſed paulisper interceptus, *Febrilem inducit paroxyſmum cum horrore & calore*: *Palpitationes* excitat *cordis &c.*

Subtile illud nerveum rude, & laudabili copia haud præſens, laſſitudine ſpontanea corpus moleſtat, & conſtrictionibus variis convulſivis, diaphragma afficiendo diſpnœam excitat, vel & convulſivos colicos dolores creat, mentem perturbat triſtitia, memoriã debilitat &c.

Succus pancreaticus, *ſive lympha alia*, ubique *craſſa coagulata*, *alvum reddit adſtrictam*, *menſium fluxum reſtinguit*, *Hydropem* non rarò acceſſit, vel *maraſmum induit*. Salis acidi copiâ, impregnata lympha vel ſerum colliquativis aliquando fluxibus moleſtat, *& variis Catarrhis.*

Urinam conſtituit variantem, quippe quæ extra paroxyſmos ſanorum ferè eſt ſimilis, per tempus verò *relicta ſalis rubri copiam vitro adponit, tartari rubri adinſtar*: durante vero paroxyſmo, pallida & aquea plerumque excernitur, & quæ ſunt plura hujus farinæ phænomena.

In

In ſublimiorem gradum exaltatum malum, *Scorbutus* audit, & non differt, niſi quod ſymptomata, ſive phænomena jam enarrata, ſint graviora & frequentiora à cauſa magis gravi & forti, *magis enim craſſitie, vel immutata ſuo nexu texturâ circulantium humorum increſcente, creſcunt phænomena.*

Glandularum namque antea factæ *obſtructiones, à craſſiori lympha*, jam eâ ſimul lentè circulando, & ſtagnando acriore redditâ, *exulcerationem* jungit, quemadmodum *gingivæ* hoc docere ſaltem videntur.

Sic & loco dolentium artuum, nunc tumores, mox protuberantes, mox evaneſcentes accedunt: *Glandulæ ſcrophularum forma indureſcunt: Catarrhi*, circa collum, fauces, regionem copioſis glandulis obſitam, frequentiſſimè propullulant, exulcerationibus obnoxii: quæ quia pruritu non rarò ſunt moleſtæ, ſi ſcalpantur, *in ulcera graviora* degenerant, facillimè *in gangrænam* degenerantia.

Sic ob copioſas inteſtinorum & abdominis glandulas, craſſa lympha prægnantes, *dolores excruciant, nunc vagi, nunc fixi, convellentes*, & umbilicum verſus interiora quaſi retrahentes: & cùm in dorſo plerumque hi dolores incipere, & verſus regionem umbilicalem pergere ferè ſemper ſoleant, hinc

ab ineautis nephritis vera putatur, cum ſaltem notha ſit.

Præter hæc, *ob fluidi ſubtilis nervei* ſimul auctam *ruditatem, & acrimoniam, craſſitiemque, affectus convulſivi, feraciſſimum Scorbuti ſunt productum*: Inde ſunt dolor artuum vermicularis die Griebelſucht. Arthritis vaga, Odontalgia, Cephalalgia &c. noctu quidem magis, quàm de die moleſta.

Ob heterogenea ſalia, lymphæ ubique tam in ſuis vaſis, quàm cum maſſa circulante adhuc junctæ, copioſe immixta, *urinæ* ſolent excerni mox flammeæ, mox naturali haud abſimiles, ubique tamen *vaſis lateribus inſtar arenularum*, in quantitate ſal tertium, ſive enixum rubrum, apponentes: vel *inſtar caudæ pavonis* ſubnatantem præſentantes, non aliter *ac in ſalium evaporatione* apparere ſolet: *pro certo Scorbuti præſentis indicio.*

Hæc & ſimilia certo commonſtrant amborum præſentium affectuum intimam convenientiam, non niſi gradibus differentem: quos Medicus ex præmiſſis diſtinguere noverit.

Latet enim aliquando, & difficulter cognoſcitur ab effectu hypochondriaco: *Normam* tamen ſuppeditabunt urinæ prædicto modo excretæ, ut & *dentium, gingivarumque dolores*, nec non *maculæ hinc inde in cruribus* conſpicuæ.

Sic & ſi oriuntur morbi, quorum ſympto-

ptomata morbi genio haud sunt consona, sed pejora & graviora: vel si præsente morbo alio, præter rationem lumborum dolor lancinans, absente quidem nephritide, se immiscet, Medicus sanè de Scorbuti præsentia certus esse poterit.

Causa affectuum nostrorum *immediata*, est, ut in definitione, primarum viarum non tantùm, sed magis dissitarum etiam, insignis aliquando rosio, obstructio, aut constrictoria convulsio, ab obstructione inducta.

Mediatam proximiorem suppeditat integra circulans massa, ex hac enim crassa, rudi chylo repleta, haud subtilis & volatilis separari & generari potest liquor nerveus, nec lympha tenuis, laudabilis & dulcis, neque bilis copiosa, sed in genere omnia producta emergunt crassa, cruda, vasis, canaliculis, glandulis, & diversis eorũ poris haud apta, & idonea, hinc obstructionibus variis, indeque dependentibus rosionibus, convulsionibus, & ubique doloribus, copiosam substernentia & advehentia materiam: quemadmodum supra paucis effectum indigitavimus; & pluribus eundem tradidimus de Cachexia, Cardialgia, Catarrhis, & aliis in locis: ac paulò fusiùs reperire est apud *Bontekoëum in tractatu de Vita & Morte hominis*, & alios.

Non absque ratione *haud satis laudandus*

Bontekoe,omnes ferè *morbos Scorbuti nomine comprehendit* : cùm omnes causam in sanguine agnoscant variè alterato, ut plurimùm quoad texturam vel compositionem vitiato, hinc crasso, crudo, vel sibi non cohærente ubique, sicque suis canaliculis minimis diversis & variis, in visceribus, haud respondente, innumerisque obstructionibus mox hic mox alibi, partes molestante, sicque sensim etiam universali circulationi, obices ponente, & à motu suo libero retardante, vel planè restinguente & auferente: Stagnante namque massa circulante, omnia inde emergentia, tam sanitas, quàm vita, pro magis particulari vel universali stagnatione, subsistunt.

Antecedentes, vulgò *remotiones causæ*, magni momenti hic esse solent: Inter has vero *ex Naturalibus*, à Veteribus recenseri consuetum fuit *Temperamentum*, in specie ventriculi frigidum, & humidum: Hepatis verò calidum & siccum, sive *antipraxia viscerum* horum.

Ob hanc causam minùs laudabiliter ingesta digeri crediderunt, affectuumque horum immediatam causam in dicta ventriculi & hepatis antipraxia consistere, certò sustinuerunt.

Sed *commentum esse hanc antipraxiam, circulantium humorum motus designat*: utpote quo mediante tàm ventriculus, quàm hepar

hepar calefit: neque enim, eundem sanguinem hepar calefacere, ventriculum autem frigefacere, possibile erit.

Generatur quidem *in hepate bilis humor volatilis admodum calidus*, sed neque ventriculo talis denegatur calor à subtili illo fluido nerveo scilicet: Et, licet bilis hunc aliquando prævaleat; tamen non continentis, sed contenti respectus tunc haberi debet: utpote cujus gratia non impossibile est, Hepar aliquando per accidens majori calore, scil. ob bilem ritè & laudabiliter elaboratam, præditum esse, *quàm ventriculum rudi acido repletum*, & subtilis fluidi nervei copia haud irrigatum.

Sed hoc modo intellecta antipraxia, nil detrimenti hic causare poterit, potius multum commodi adferret ventriculo, dum eo acido rudi repleto, & chylum sic rudem elaboranti, & ad intestina elabenti, bilis succurrit, & inchoatam dissolutionem chyli ulterius perficit.

Et sanè bonum est, cui hæc antipraxia adhuc obtinet, ubi nimirum bilis adhuc laudabilis ab hepate generatur.

Id quod tamen in his nostris affectibus raró accidit: semel enim sanguinea massa existente rudi & crassa, nullus amplius succus inde dependens, & laudabili quanto, & convenientibus qualibus, emergit præditus.

Potius ergo *Temperamentum* circulantium humorum, ab ortu, vel hæreditaria dispositio-

ne, *lente mobilibus & crassis succis conflatum*, hic accusandum venit, id quod successu temporis, aliis ex causis tunc incrementum capit, & eundo crescit.

Ubi tamen non hoc solùm, sed cholericum vulgò dictum Temperamentum, non raro ab acido in sal tertium acre, constitutivis suis contextis & facessentibus, hisce malis obnoxium est: Pondus non minimum addentibus aliis *Nonnaturalibus rebus*, qualis *aër*, *salis acidi copia impraegnatus*, ut Aquilo aut Boreas esse solent, ac Vere & Autumno familiares, in Septentrionalibus nostris praecipuè terris.

Orientalibus namque, & Meridionalibus regionibus, de affectibus his nostris parùm constat: qui è contra in Septentrionalibus, praecipuè mari adsitis, familiarissimi sunt, ab advecto aethere peregrino acido, sive aëre, salinis acidis particulis copiosè referto.

Pessima interim causarum hic *est Diaeta* tam quanto quàm quali peccans: in specie verò *cibi sale nimio conditi, infumatique, pisciumque praecipue salitorum copia*, vel rude aliud ciborum genus, & fructibus horariis, immaturis non raro constans, &c. Et potu simili, cerevisiâ acescente, *vino austero, aquâ limosâ &c.* comitatum, materiam substernunt idoneam.

Reliquae Nonnaturalium rerum causae, quomodo non contemnendum hisce nostris affectibus possint addere symbolum, de dolore capitis traditum reperies, & alibi. Ex

Ex Præternaturalibus rebus, quæ hisce morbis ansam ministrare dicuntur, potius sunt affectuum horum producta, & phænomena.

Viscerum enim *obstructiones, scyrrhi, sanguinis consuetæ evacuationes suppressæ*, vel & p. n. erumpentes per hæmorrhagiam, dysenteriam &c. effluxus, quid aliud præsagiunt, quam *sanguinis circulantis crassitiem, acrimoniam, perturbatam texturam &c.* affectuum nostrorum communem causam.

Prognosin quod concernit, sciendum, non malè queri, affectus hos constituere Medicorum opprobrium, nec immeritò lernam dici malorum.

Juxta Coum enim malum hypochondriacum tam, quam scorbutus morbus est diuturnus, qui non nisi diu vexatos ægros & consenescentes, deserit, *quando relicturus est; alioquin ad mortem comitaturus.*

Unde non ineptum est *Montani* judicium *consil.* 230.

In curatione hujus morbi, inquit, *non licet præfinire tempus mensis unius, aut anni*, sicut in aliis contingit; sed oportet toto vitæ tempore curationi operam dare, interdum curationi, interdum præservationi insistendo.

Quo pauciora tamen, & minus gravia adsunt symptomata, & quo affectus recentior, eo major adhuc sanitatis duraturæ spes affulget.

Ubi vero invaluit malum, & in digestionis negotio, paulo firmiores egit radices, tum etsi generosioribus remediis cedat, tamen post haud adeo longum tempus, levem ob causam, recidivat.

Adeo ut *inveterata hæc mala, continuum postulent remediorum usum*, veluti incurabilia ferè, & palliativè saltem tractanda.

Solet vero scorbutus in specie inveteratus semper ferè *degenerare vel in atrophiam*, aut *hecticam*, vel *hydropem*, imo ipsam *Apoplexiam*, & *Epilepsiam*, *Delirium Melancholicum*, *Maniam*, *Paralysin &c.*

In atrocissimis artuum scorbuticis doloribus, si lethargus subito supervenit, tum in alium statum fit mutatio.

Maculæ scorbuticæ quo majores sunt, & rubicundiores, eo meliores: *quo magis* vero *livescunt*, vel *cæruleæ sunt*, eo deteriores. In genere tamen bonum significant, cæteris paribus, quoniam per cutis poros, heterogeneæ plures acidæ, viam affectant.

Pulsus in scorbuticis admodum variat, aliquando vero apparet adeo parvus & debilis, ut ejus ratione æger, momento omni, moriturus videatur, ubi tamen, si graviora alia absint symptomata, haud terreatur Medicus.

In hypochondriacis pulsus *quandoque planè subsistere videtur.*

In

In hoc malo tamen *alvi spontaneus fluxus*, per plures dies continuans, *malum non rarò solvit*, sicut ejus exemplum citat *Binninger. cent. 9. Obs. 92.*

Sic & urinæ nigræ excretione quando terminatur: *Willisio de urinis* hoc notante.

Hæmorrhoidum etiam moderatus fluxus superveniens passioni huic levamen affert.

Inveterato malo vomitus niger superveniens *funestum est signum.*

In Curatione hypochondriaci mali, omninò ægri & confidentia, & obsequium concilientur, & persuasio adhibeatur, ut omni studio in limine adhuc constitutum hunc hostem, depellere nitatur, ne occupatâ tandem omni massâ circulante, & succis sive chylificationis instrumentis omnino vitiosis redditis, ac scorbuto sic plenariè inducto, inani tunc spe, & sibi & Medico, summâ cum patientia, negotium multum facessere habeat opus.

Antequam vero ad massam circulantem depurandam, subtiliandam, & pristino vigori inde emergentes succos restituendos, fiat accessus, prius *in primis viis stagnantes humores, crassi acidi eliminandi sunt*, id quod ut commodè fieri queat, prius per aliquot dies *purgantibus, absorbentia præmittantur*, ut sic saburra quasi maturetur prius, ut tum eo liberius vel vomitoriis, vel purgantibus aliis auscultet.

Pro-

Propterea

℞. ♁. *diaphoret. indulcati* ℨj.
Oculor. cancr. ℨiß.
Croci Mart. mei sacharini ℈j.
Salis armoniaci ℈ß. mſ. & detur doſi ℨß.

Præmiſſo hoc per dies aliquot abſorbente, *propinetur vomitorium*, & ſi opus reiteretur: absque hoc enim præmiſſo, vix aliquid boni præſtari poſſe, remediaque inſequentia parum vel nil operari, præter *B. Cl. Ettmüllerum*, alii teſtes ſunt.

Ubi vero quid ſit, quod prohibere vomitum queat, lene aliquod purgans ejus loco exhibeatur: *Fortioribus* enim *hoc malum exaſperari experientia pluries docuit.*

℞. ergo *Paſſularum minorum* ℥iij.
Cremoris tartari ℨij. coque cum aquæ fontanæ ℔. ij. huic vero Decocto immitte
Fol. ſenn. el. ℨvj.
Flor. violarum m. ß.
Zingib. ℨß. infuſionis detur bonus hauſtus.

Vel ſi Pulvis placet,

℞. *Jalapp. pulveriſ.* ℈j.
Diaphoret. indulcati ℈ß. mſ.

Si Pilulæ arrideant,

℞. *Gummi ammoniaci* gr. xv.
Mercurius dulcis ℈ß.
Extr. troch. alhandali gr. ij.
Castor. gr. v. mſ. & cum elix. polychr.
fiant Pilulæ.

Noduli etiam in chronicis his malis, præ aliis ſunt inſignis effectus, hinc

℞. *Rad. Helen.*
Polypod. aa. ʒvj.
Herb. chamad. ver.
cent. minor. aa. m. j.
Fl. thiliæ
anthos aa. p. iij.
acaciar. m. j.
Rad. helleb. nigri ʒij.
Fol. ſenn. el. ℥j.
Rhabarb. el. ℥ß.
Zedoar.
Cinamom.
Cortic. aurant. aa. ʒij.

Inciſa & contuſa dentur ad nodulum, ſequenti Decocto infundendum,

℞. *nimirum Paſſularum min.* ℥iiij.
Cinerum juniper. puriſſ. ℥ß.
Croci Mart. mei ſolub. ℈j.

Coque hæc cum ▽. fontan. menſura una ſemis: & tum Decocto huic immitte prædictum nodu-

nodulum. De hoc verò infuso tunc propinetur mane, vel & vesperi aliquando haustus.

Aloës in pillulis non admodum conducit, in his affectibus, quia *ob resinam suam altero die obstruit tantum*, quantum primo exhibitionis die laxavit gummosa ejus substantia.

Separetur ergo *hæc à resina*, cum aqua aloen solvendo, & seorsim inspissando solutionem, in extracti formam, cujus tum grana aliquot, vel tria in confirmato hypochondriaco malo, singulis tribus vel 4. septimanis, teste *Ettmüll. in Praxi*, exhibita, suppeditabunt insigne laxans: *cum Ess. absynth.* remixta, *& extr. troch. alh.* si opus, acuata.

Clysteres etiam hic insignis esse usus, *Riverius habet lib.* 12. *prax. c.* 5. Remediis enim aliis frustra adhibitis, hos Nobili cuidam, affectione hypochondriacâ diu afflicto, maximum attulisse levamen, ibidem testatur, adeò ut omninò curatus visus fuerit.

Optimi vero usus hic erit, illud, ex *corco metallorum*, de alvo adstricta commendatum, vel aliud *cum* ⊕*o* ǒ*iato*, vel simili sale lixivo, vel urinâ saltem, acuato, in flatibus maximè conducibili.

Hisce vel similibus, alvus semper servetur aperta, ne symptomata exasperentur.

Passulatæ vero præ aliis hic conducunt, imprimis viris: Dulcia vero reliqua, tam saccharata quam mellita nocent, utpote levi de causa

ace-

acescentia, sicque causam mali fermentando suppeditantia,

Præmissis his ad specifica, & acidum ubique abundans corrigentia fiat accessus. Inter hæc vero *Chalybem hypochondriacæ affectionis alexipharmacum esse, recentiores omnes testantur Practici*: exque hac causa *Acidularum hic tantus & insignis usus*, utpote quæ martialibus omnibus ferè palmam dubiam reddunt.

Cùm verò non in omnibus locis eâ commoditate in usum vocari queant, hinc in substantia martialia adhibere, vel vario modo præparata propinare opus erit.

Et si acidum paulo fortius malum fovere suspicetur, in usum veniat *limatura chalybis* vel *Martis*, cujus grana novem vel septem, *cum extracto absynth.* simplici in pillulas formata, per septimanas aliquot, *Sydenhammo* ita admodum commendante, veniant in usum; singulo videlicet manè dictas pillulas, & vesperi, assumendo, & *haustum vini absynthitis bibendo*, imperato & instituto simul moderato corporis motu.

Ubi cum excrementa per dies aliquot inspiciantur, quæ si nigredine tincta conspiciuntur, in pillularum usu persistendum esse indicant: si secus, desistendum.

Ubi vero paulo rarioris texturæ hypochondria hariolantur, in delicatis; magis convenit *crocus Martis sulfuratus*, à quo, mediante

calcinatione, sulfuris atomi, expulsi sunt: præprimis si *radicibus Aronis* remixtus extat, v. gr.

℞. ♂ *cum* 🜍 *calcinat.* ℥j.
Radic. Aron. sicc. pulveris. ℥ß.
Fl. macis
Zingib. aa ʒß.
Olei cinam. gutt. vj. mſ. fiat Pulvis.
Dosis ʒß.

Innumera præter hæc à Practicis commendantur, è Marte præparata medicamina, Tincturæ videlicet, & varia alia præparata, sed præter nomen sanè utplurimum hæc nil, vel parum de ferro participant, quod aliquam possit de se fundere efficaciam: nisi menstruum suum, sed non semper huc quadrans substituat: Propterea ego prædictis acquiesco.

Præter quæ salibus volatilibus turgida amaricantia, ex *absynthio*, *cent. minore*, *card. bened. chamædr. baccis juniperi* &c. mihi multum arrdent: in infusis propinata.

Vel item *Elixir Propr. polychr. absque acido* tamen menstruo paratum.

Sed hæc generalia sunt: quibus vero *symptomata graviora* molesta accedunt, ut *asthma*, *diarrhœa*, *vertigo*, *convulsio* &c. de eis consule cujusque proprium caput, ubi quomodo opiatis &c. succurrendum sit, latius reperies.

Tan-

Tandem *Motus hypochondriaci affectus, est præstans alexipharmacon, mediante equo* præcipuè, *vel curru succussore institutus*, quoniam hujus impetus omnis ferè in ventrem fit inferiorem, & sic fortius ibi latibulis suis impactas viscidas cruditates extricat & excutit; quemadmodum experimento notabili hoc comprobat *Cl. Sydenham. in dissertatione de hystericism. pag.* 476.

Affectionem hystericam eandem esse cum hypochondriaca, idem *Cl. Sydenham. ibidem p.* 450. *testatur*. Etsi enim omnis retro antiquitas, inquit, symptomata illa, in fœminis sc. uteri vitio adscripsit, tamen *si affectionem hypochondriacam, cum mulierum hystericarum symptomatibus conferimus*, vix ovum ovo similius, quam sunt utrobique phænomena, deprehendimus.

Propterea ea quæ supra fuêere tradita, fœminis passione hysterica laborantibus, etiam dicta sunto, ubi tamen *castoreum* & similia, utero vulgò dicata, non omittantur, quemadmodum titulo de Suffocatione uterina pluribus explicatum reperire erit.

Ego pro communi usu hanc mihi soleo concinnare Essentiam antihypochondriacam, v. gr.

℞. ⊖ *volatil. microcosmi*
Fl. ✳*c.* ♀ *sati* aa ℥ß.
Olei succini ʒiß.

Balſ. ♁alis ℈j.
Tincturæ caſtorei. ℥vj.

miſce, & ſtent in infuſione pro uſu.

Plura vide de ventriculi aliis affectibus huc ſpectantibus, ubi abſorbentia, & dulcificantia alia ſufficientia præſcribuntur.

Quibus tamen hic illud Bontekoëi adjungimus:

℞. ♁ *diaph. cum* ⊖*o adhuc remixti* ʒiß.
Ocul. cancr. ʒj.
Corall. r. ʒß.
Nitri fixi ʒij.

miſce, & detur doſi ʒß. aliquoties in ſeptimana, mane, meridie & veſperi, addito ſi opus *grano uno vel altero opii.*

Tandem *ſi neglecto leviori malo*, gravius *ſubſurgit*, *Scorbutus* videlicet, tunc præmiſſa quidem ſpecificè item conducunt: ſed præter illa & alia dari, quæ magis ſpecifica virtute dotata ſunt, in ſcorbuto debellando, practici uno ore contendunt.

Cùm vero acidum illud non æqualia ſemper phænomena, ſed pro ratione texturæ circulantis maſſæ diverſa producat, hinc differentia probè notetur.

Aliam init texturam acidum, *quando humoribus* ab ortu admodum *mobilibus volatilibus*, *ſero plurimo abundantibus*, jungitur, *quam ſi* iis lentè mobilibus, *craſſis*, *ſero non admodum*

modum exsuperante prǽditis admiscetur; hincque emergit differentia illa, quam Practici plures faciunt, inter Scorbutum calidum, & frigidum.

Et sanè non est de nihilo hæc distinctio, quam experientia confirmat, *non enim Scorbutici omnes omnia ferunt*: cùm non in omnibus humores tam coagulati ex omni parte, quam pro parte suo nexu magis dissoluti, reperiantur.

In illis ergo, *ubi humores* ex omni parte cohærentes, *crassi*, & *coagulati existunt*, quia subtilis æther haud liberè ubique eos pervadit, & velociori motu massam haud movet & rotat, *frigus magis sentitur, ob subtilium partium depressionem.*

In his vero, quia plures nexu solutæ tumultuantur liberius, calor magis sentitur.

Et *cognoscitur* hæc scorbuti species, & distinguitur ab illa, hisce phænomenis, *hæmorrhagiis* videlicet *frequentioribus*, *diarrhæis*, & *dysenteriis*, *gingivarum putredine*, *vomitu*, *veloci ira*, *phlogosibus* &c. ubi è contra in illa omnia frigent, & languent, vel tument &c. ob massam circulantem ubique æqualiter rigidam & crassam.

Pro diversa hac *Scorbuti specie, medicamina moderanda veniunt.*

Circa Purgantia verò eædem notentur cautelæ, quas supra dedimus! nec enim fortia,

nec frequentia sint: Ubi si necessaria creduntur mitiora, cum subacidulis, utpote *cremore* ♀*i*, *tamarindis*, *sero lactis*, maritentur, non exclusis *passulis* &c. in calidiore scil. Scorbuto.

In Frigidiore vero, ubi omnia inviscata rigent, & humores crassi sunt, sup. dicta *ex ammoniaco*, *Mercurio dulci* & similibus, satisfacient. Præmissis tamen prius præparantibus, sive ab absorbentibus ibi commendatis.

Ubi tamen in calidiori Scorbuto potius tale præmittatur alterans, v. gr.

℞. *Radic. armorac. rec.* ℥iß.
Herb. cochlear.
nasturt. aquat. rec.
acetosæ aa m. j.

Concisa & contusa infundantur in *seri lactis*, mediante succo citri depurati ℔. iiß. stent in loco tepido per noctem, clauso vase, mane cola, & usui asserva. Dosis singulo manè ℥vj. viij.

Salinis acrioribus productis in circulante massa sic paulisper cicuratis, tum ad earum ex primis viis eductionem promovendam, adde prædictis speciebus.

Fol. senn. el. ℥vj.
Rhabarb. el. ℥ß.
Cremor. ♀*i* ℥iß.

Incisa & contusa tum coquantur cum *sero lactis*, & de colatura, parum sacchari, vel syrupo de pomis edulcorata, dentur singulo mane ℥iij. vel iiij.

In

In his ſane affectibus *præſtat ſerum lactis*, quod *vi nitroſa* non ſolùm viſcidos abſtergat ſuccos, ſed & *ardores vagos*, *phlogoſes dictos* compeſcat, & per urinam ſal acre ſcorbuticum optimè educat.

In frigidiori verò Scorbuto, ubi alvus magis ſemper clauſa eſt, ſupra commendata, imprimis *infuſum paſſulatum laxans* optimè conducit, &c. vel poterit in tali caſu tale etiam fieri *vinum medicatum laxans*, v. g.

℞. *Herb. cochlear.*
naſturt. aquat.
chamædr. aa m. j.
Raphan. armorac.
Rad. polypod. aa ℥iij.
Fl. cichor.
acaciarum aa. p. ij.
Fol. ſenn. el. ℥j.
Rad. helleb. nigr. ʒvj.
Rhabarb. el. ʒij.
Cinnamom. opt. ʒiß.
Crem. ♀i ʒij.

Inciſa & contuſa dentur ad nodulum, vini ℔. iiij. infundendum.

Præmiſſis his nunc *ad acidum in maſſa ſanguinea impugnandum*, *dirigatur omnis cura*, ubi tamen, ut ſupra notatum, acidi, vel magis coagulantis, & viſcidi, vel magis acris & diſſolventis, reſpectus habeatur.

Ubi enim circulantes mobiles, & copioso volatili ſale prædita maſſa circulans, ab acido immixto faciliùs ſuo nexu ſe diſſolvi, quam coagulari patitur, ibi temperata & magis acidula antiſcorbutica convenient, utpote *ſuccus citri, cichoreum, acetoſa, fumaria* &c.

In altera verò ſpecie, ubi jam lentè mobiles humores, ab acido copioſè advecto, ad majorem vel totalem ſtagnationem & coagulationem inclinant, magis volatilia, utpote *raphanus, armoracia, radices Aronis, cochlearia, naſturtium, becabunga, ſinapi, ſtrobuli pini, & ſalia volatilia alia*, in ſpecie *lumbricorum* &c. conducent.

Et juxta hanc differentiam, omnia antiſcorbutica medicamina menſurentur: Sic v. g. *in magis calidis affectibus ſcorbuticis, Acidulæ, in frigidis verò martialia calidioribus remixta* conducibilia erunt in ſubſtantia propinata.

Circa ſudorifera notetur, ne illis in calidiore ſcorbuto ſæpius propinatis *volatilioribus*, *circulantes humores ſuo nexu magis ſolvas.*

In frigidioribus verò ſubtiliores & fluidiores adhuc præſentes expellas, & majori coagulationi obnoxios & diſpoſitos reddas. Propterea magis diuretica, & diaphoretica convenientia remixta, propinentur.

In ſpecialibus ſcorbuti ſymptomatibus, Colica, convulſionibus, athritide vaga, Paralyſi, contractura, gingivis laxis &c. conſule cujuſq; analyſin,

nalysin, proprio suo titulo traditam: quibus, si acquiescere haud possis, *Mollenbrock & Dravviz pluribus* te erudient, & sufficientem medicaminum copiam suppeditabunt.

Arthritidem vagam quod concernit, etsi hæc aliquando, ab Arthritide propriè ita dicta fixa, non solùm quod fixum locum sibi haud sumat, sed & ratione loci, quod scil. magis musculosas partes, quàm articulos occupet, differre videatur, tamen in essentia haud differunt, quemadmodum juvantia id significant, eadem enim Diuretico-diaphoretica, quæ in arthritide fixa conducunt, v. g. *Arcanum duplicatum*, *cinnab.* ☿. ☿. *diaphoret. laud. opiat.* &c. etiam in vaga conducunt, & contra. Sic quod fixa volatilibus debeant præmitti, hæc cautela tàm hic quàm ibi notanda erit. Sic & *Lumbricalia*, quæ in vaga quasi sacra sunt anchora, etiam in fixa non sunt prohibita.

In Diæta cibi sint boni succi, & concoctu faciles, ubi notandum, calida scorbuti specie laborantibus, simul *intinctus ex raphan. capparibus* vel & *nasturt. aquat.* loco lactucæ, haud prohiberi debere.

Ratione potus, frigido scorbuto laborantibus, detur *vinum optimum* aut *cerevisia absynthio, chamædri* &c. aromatisata, aut decoctum Juniperi. Vel

℞. *Sarsaparill.* ℥ß.
Radic. Chin.
Santal. r. aa. ℥ij.

Concisa vel contusa coque in ℔iiij. ▽æ per dimidiam horam, in fine addendo *Cinnamomi* ʒij. & *herb. chamædr.* ʒiij. Postea detur pro ordinario potu.

In calido verò serum lactis, herbis antiscorbuticis temperatis alteratum, veniat in usum. Nec *Lac Medicatum* hic erit absque insigni usu, ubi ad Tabem deducere videtur Scorbutus. v. g.

℞. *Lactis caprilli* ℔j.
Herb. cochlear.
Nasturt. aquat.
Beccabung. aa. mj.

Stent per noctem vase clauso, manè blandissimè ebulliant, & collatura detur, cujus dosis pro una vice ℔ß. non excedat.

Sed acida tum vitentur omnia.

Ad alvum semper apertam servandam, *vinum passulatum Timæi à Guldenklee* in usum veniat, & de eo delicatuli hora una ante cœnam pocillum bibant. v. g.

℞. *Passular. major. ex acinor.*
minor. aa. ℥iiij.
Fol. senn. el. ℥j.
Cinamom. acut. ʒiij.

Contundantur in mortario, ut fiat quasi pasta, tum affunde *vin. opt.* ℔jv. stent in infusione per noctem, tum Colatura exprimatur, filtretur per chartam, & servetur pro usu.

Icte-

Icterus.

Est cachexiæ species, partes corporis tam solidas, quàm fluidas colore præternaturali, eoque vel flavo, sub viridi, aut nigro tingens: Originem trahens à succi nutritii oleosis volatilibus partibus, à textura sua conveniente, mediante acido singulari, diversimode immutatis: hinc massam sanguineam crassam, & obstructionibus variis idoneam relinquentibus.

Subjectum affectus, *tam solidæ, quam fluidæ corporis partes suppeditant.*

Illæ quidem tam *Externæ* quàm *Internæ.*

Inter Externas solidas, eminet *adnata oculi tunica*, vulgò album oculi. Hinc cutis: nec excluduntur ungues, labia, crines &c. *Schenckio* hoc notante ex *Cornel. Gemm.*

Cutim quod concernit, cum eam *Malpigius* per ejus anatomē, tribus constare lamellis deprehenderit: hinc intermediā, reticulare illud sive mucosum corpus, Ictercio colore tingi, idem suspicatur: nec deest *Cl. Pechlinus de colore Æthiopum*, qui idem corpus in Æthiopum habitu primariò nigredine tingi credit; per cuticulam, quasi per vitrum pellucidum, colorem suum refringens.

Inter internas solidas partes, cute remota

colo

colore flavo infectæ deprehensæ fuerunt, membranæ & pinguedines: hinc *hepar*, *bilis colatorium*: tum ventriculus, intestina, pulmones; nec ossa ab Icterica hac tinctura aliquando immunia sunt: observante hoc *Kerckringio Spicil. anatom. Obs.* 57.

Inter fluidas partes Sanguis extat, in specie quoad partem lacteam, sive succum nutritium.

Signa præsentis Icteri admodum *evidentia*, sunt *album oculi canthi*, *majoris potissimum*, *colore flavo vel simili tinctum*: ut & *urina croceo colore* imprægnata, & *viscida*, adeo ut charta albicans huic immersa, ejus colore maculetur.

Sic & *urina* talis, nudo oculo, *obscura rubicunda apparet*, quæ quando subsidet, *sedimentum* quasi *argillaceum* deponit: Aliquando ex viridi nigricat: vel ex flavo & rubro observatur nigricans.

Præter hæc, *totius corporis*, *& membrorum* adest *lassitudo*, ob lentum sanguinis circulum: ac ob acidum, Icteri causam, in primis viis stabulantem, & dominium obtinentem, tanquam Icteri infallibile concomitans, adsunt inenarrabiles *præcordiorum angustiæ*, & anxietates, cum respiratione non rarò difficili.

Et ex hac causa, ob succum pancreaticum nimis crassum, stagnantem, & acidum videl. in regione lumbari, de hinc *mox in sinistri*, *mox in dextri hypochondrii profundo*, se prodit obtusus

sus gravativus dolor: ex variis inibi latitantibus obstructionibus &c.

In confirmatis, aliquando ob recrementa amara, digestionis primæ vitio enata, qualia post crapulam aliquando generantur, *amaricans vel similis sapor absurdus, in ore percipitur*: eique ferè semper sitis clamosa jungitur: non aliter ac post crapulam non raro accidere solet.

Hinc *alvus non raro est fluida*, diarrhϾ biliosæ adinstar: *aliquando* verò *pertinaciter obstructa*, albicantibus excrementis prodeuntibus: nulla bile ampliùs ad intestina delatâ, illa tingente.

Ob impeditum circulantium humorum motum, etiam *Febris non raro adest*, vel præcessit icterum, vel abest, humoribus adhuc satis mobilibus existentibus.

Differentiarum ratione, Practici distinguere solent Icterum, vel *in primarium morbum*, utpote si à venenatorum animalium morsu, originem duxit, qualia exempla *Marcell. Donatus* hist. med. admir. l. 1. & alii habent &c.

Vel in Secundarium, utpote quando Febribus supervenit, sive criticè, sive symptomaticè &c.

Differre etiam Icterum flavum à nigro, veteres, juxta decantatam suam de humorum quaternione hypothesin, putarunt: Sic *ex liene*, sive generato inibi melancholico succo *nigrum*:

grum: *ex hepate* verò *flavum* originem trahere sed *falsò crediderunt*.

Nobis Icterus niger, cum *Willisio* & aliis, tantùm flavus est, diuturna, morâ, ab acido incrementum capiente, in deterius exaltatus.

Bile namque tam quanto quàm quali acidum adhuc prævalente, Favus sequitur Icterus. *Dominium* verò *obtinente acido austero* sive ex primis viis, sive ab extra adducto, *nunc viridis nunc niger oritur*.

Quemadmodum hoc per experimentum commonstrat *Spiritus nitri*, qui *bili additus flavo*, eam subitò viridi, dehinc atro colore tingi facit.

Quo plus ergo bili adjunguntur terrestres, acidæ particulæ, eo citiùs, nigriorque inde emergit.

Adeoque non tanta inter Icterum flavum & nigrum deprehenditur differentia, quantam Veteres putârunt, sed eædem particulæ quæ flavum constituerunt, in hoc subjecto, in altero plus aucta dosi præsentes, nigrum inducere valuerunt: *Zacuto Lusitano* hoc confirmante, exemplo de messoribus quibusdam citato, qui licet ambo ab una vipera essent læsi, eorum tamen alter in flavum, alter in nigerrimum incidit Icterum: hôc fortè in sua massa sanguinea, jam plus acidarum particularum obtinente, illo, utpote quæ jam ad Icterum pronæ & dispositæ, nigro sic proximiores fuêre, quàm flavô.

Cau-

Causa hujus mali *Immediata*, est *particularum nutritii succi*, oleoso-volatilium, in Hepate demum *in Bilem colligendarum*, sed circulantibus humoribus, jam adhuc combinatarum, *singularis ab acido inversio*: hinc ob texturam immutatam, in poris ubique hærendo, & transparendo, coloris naturalis, in flavum, nigrum &c, immutatio.

Mediata Proximior, *est acidum*, vel ex primis viis, vel aliunde circulantibus humoribus infusum, quemadmodum plura experimenta id poterunt demonstrare, & ex sequentibus luculenter patebit.

Quando enim particulæ oleoso-volatiles, quæ in sanis magna copia sanguini inesse oportet, ad fluiditatem conservandam, & motum adjuvandum, singulari acido accedente aggrediuntur, & aliter situantur, (*ex alcalinis namque & acidis, diversimodè inter se mixtis*, *fit tertium quid*): non evenire aliter poterit, quam ut alius simul introducatur color, vel is qui nunc sub alia textura latuit, extricetur.

Cùm verò oleoso-volatilium cohæsio & immediatus contextus, & situatio, rubrum, vel flavum proferat colorem, hinc particulæ oleosæ & volatiles, quæ in massa circulante sejunctæ, & aliis immixtæ erant, talem colorem adhuc producere haud valebant, quem acidum immixtum, cohæsionem exactiorem procuran-

curando, nunc momento quasi induxit, ut viperarum morsu inductus Icterus docet.

Cùm verò mediante hac acidi immixtione, & singulari particularum dictarum oleosarum, & volatilium &c. vitiosa situatione, & inducta cohæsione amborum, conveniens simul cum reliquis circulantibus humoribus textura invertatur, crassitiesque sic universæ massæ contrahatur: non mirum, particulas antea seorsim circulanti massæ involutas, nunc combinatas mediante acido, vasorum & canaliculorum suorum in visceribus ordinariis poris penetrandis ineptas, obstructionibus verò, in tubulis suis hærendo, generandis, idoneas reddi: sicque in Hepate Bilis secretionem; in nervis vero subtilis nervei laudabilis separationem frustrari, &c. dictumque Hepatis, Lienis viscus &c. obstructionibus, & scirrho notari, indeque varia molesta phænomena contrahi & induci.

Vel *etsi beneficio* glandulosorum *Hepatis* acinorum, amplioribus tubulis & poris præditorum, *particulæ tales*, *bilem referentes*, *mediante acido in M. S. concentratæ vel coagulatæ*, aut in liquorem salinum tertium conversæ, *separentur adhucdum*, & in fellis recondantur folliculum; *tamen* tum inibi *stagnando*, *non rarò* vel partim *coagulantur*, *& in lapillos vertuntur*: vel ad minimum ita crassescunt, ut effectui suo præstando parum pares sint: aut

aut ſtagnantes folliculum adeò repleant, ut appellentes reliquæ locum amplius haud inveniant, ſed retrocedere, & in M.S. ſtagnare cogantur, *Bartholino epiſt. med. Cent. 3. epiſt. 97.* hoc notante, ubi Icterici folliculum fellis grandem, & bile diſtentum reperit.

Aut ſi adhuc delabatur talis bilis ad inteſtina, tamen acido nunc aliqualiter imprægnata, & in ſalis tertii vergens naturam, inibi, occurrens acidæ vel pancreaticæ aut alii *inteſtinalium glandularum lymphæ*, planè à ſua detruditur textura, & in æruginoſam faceſſat, doloroſorum pathematum præcordiorum cauſam ſat gravem, & fluxuum alvi bilioſorum, materiam admodum aptam.

Præter has verò cauſas, *remotiores* etiam frequentes ſunt, quæ Ictero materiam ſubſternunt: & ex his quidem *ex Naturalibus* agmen ducit *Temperies* circulantium humorum ex pluribus bilis ingredientibus, oleoſis, volatilibus ſcil. non omninò ritè conſtitutis, conflata.

Quemadmodum enim tale temperamentum copioſam Icteri materiam continet potentia, ſic levi negotio, acido ſingulari admiſſo, actuari ea poteſt, & in vereti cum ſanguine adhuc circulans.

Ex Nonnaturalibus rebus anſam non minimā aliquando addit *Cibus & Potus* tam quanto quàm quali peccans: ubi in ſpecie malè

audiunt fructus horæi, pisces, & pinguia, in stomacho nidore facile corruptibilia. Confirmat hoc *B. Ettmüller in sua Praxi*, ubi existimat, omnem Icterum Febribus supervenientem, non bilis aut folliculi vitio, sed *digestionis primæ vitiatæ occasione*, supervenire.

Ex animi pathematibus *tristitiam longiorem* aliquando *Ictero causam præbuisse*, Spiritus, deprimendo, acidum verò augendo, Practici hinc inde confirmant.

Neq; iram excludi hic posse in causarum serie, *Riverius Cent.* 2. confirmat, ubi gravidam *ex ira in Icterum incidisse* refert, ob sanguineam massam singulariter alteratam, & particulas subtiles admodum confusas, acidis interea dominium relinquentibus.

Ex Præter Naturalium rerum classe plurima occurrunt, quæ vel excitant Icterum, vel promotioni ejus ansam addunt.

Vulgarem causam uno ore ferè omnes Practici *Hepati adscribunt*, si textura ejus naturalis ita immutatur atque corrumpitur, ut debitam bilis secretionem, vel planè non, vel tamen minùs sufficienter administrare valeat, adeoque illâ in hepatis tubulis, bilis secretioni dicatis, hinc Massa S. cumulatâ, secessus ad partes solidas instituere necesse habeat.

Sed ego visceribus, nisi ab origine conformationis labe, sive depravate formata sint, vitiũ, quod aliunde, ab advenientibus & advectis

ctis ac propulsis fluidis, tubulis aliquando vim facientibus, & hos vel aliter contexentibus, vel contorquentibus, aut dilatantibus, vel denique occludentibus, contraxerunt, haud adscribere possum: sublata enim causa, omninò tolleretur effectus, propterea non tam productum sive effectus, quam causa in considerationem trahatur.

Eodem modo se res habet cum *scirrho*, & *calculo Hepatis*, quæ *non tam sunt nostri morbi causa, quàm* simile ex acido pronatum malum, vel *productum*: quo & recidit *mensium suppressio*, quæ *causam* etiam pro Ictero præsentem *indicat* aliquando.

Sic has & similes *viscerum præternaturales constitutiones* notare, *non tam Icteri causas*, *quàm* ab eadem causa *inductos effectus*, docere Icterus videtur, quando ductibus biliariis sat apertis, & bilis motu ad intestina haud impedito, interim ille ægrum satis diu torsit.

Ex eodem namque acido plures oriri depravatos effectus, non in fluidis solũ, sed mediantibus his in solidis partibus, abunde constat.

Sic *Scorbutum & Febres* non rarò *Icterum comitem assumere*, notorium est.

Tandem venenatis qualibus prædita, & tam externè quã internè circulantibus humoribus infusa, non rarò Icteri existunt causa, dum *viperarum* &c. *morsus*, vel venena certa assumpta, huic vel illi, intra paucas horas,

flavedine fœda habitum corporis tinxerunt; biliosorum constitutivorum coagulatione, momento quasi inducta.

Prognosis Icteri aliquando bonum, non rarò verò malum promittit eventum, prout nimirum causæ magis minùs graves observantur. Sicque dubiæ spei hunc esse affectum, experientia confirmat.

Salutarem tamen *eventum* semper ferè pollicetur *Icterus Criticus*, quando febribus die 7. 9. 11. vel 14. supervenit, nisi viscera, ut Hepar &c. jam induratum existat, & plures in eorum tubulis obriguerint particulæ: vel & calculis nunc referta sit vesicula fellea: quo in casu desperatum est malum, quo circulans natura crebrius succumbit, quàm se extricat rursus: Impeditur namque sic sensim circulatio, & tandem planè subsistit.

Sic & *Symptomaticus Icterus*, *Critico pejor est*, nisi evacuationes per urinam, alvum, aut hæmorrhagiam, aut omnes simul accedant.

Si tamen è ventriculo Ictericum propullulat fermentum, nec adeo insignis acrimonia juncta ei est, quâ vomitus vel diarrhœa excitatur: *sæpe uno vomitorio cedit.*

Non adeò periculosus etiam est Icterus, quando ab abundantibus in massa sanguinea particulis oleoso-volatilibus, bilis constitutivis trahit ortum, quàm si à singulari corruptione, à fortiori acido, dependet, vel Hepatis obstructionem junctam habet. Majus verò minatur

natur periculum, quando ab externo veneno provocatus fuit, ob ſymptomata alia graviora, quæ ſe admiſcere ſolent.

Icterus etiam *niger ob bilem* ac acido magis coagulatam, & *viſcidam factam*, majoriſcum difficultate aufertur, quàm flavus, in ſpecie ſi Quartanis ſupervenit. *Foreſto hoc notante Obſ. 22. lib.* 19.

Solvi tamen ſolet, quando cedere vult Icterus vel per ſudorem, vel vomitum, aut per urinam, hæmorrhagiam &c. *Non rarò* tamen *ad hydropem degenerat*, viſceribus nunc pertinaciter obſtructis, aut Scirrho notatis.

In Curatione in genere reſpectus habeatur *acidi depravati*, bilis conſtitutiva impugnantis, inque maſſa ſanguinea ut appareant, immutantis, & ne ab Hepate ſeparari queant, invertentis & vitiosè contexentis.

Dehinc cura dirigatur ad particulas illas ordinariæ ſuæ texturæ reſtituendas; vel ſi reſtitui nequeunt, aut *per vomitum, ſudores, urinam*, ejiciendas

Acidum verò dictum impugnatur, ſi viſcidis particulis complicatum extat, priùs abſorbentibus v. g.

℞. *Diaphoretici ♂ialis Lud.* ℈j

Salis volat. urinæ gr. viij. m. f. pro doſi.

Hoc vel ſimili per tempus propinato, & acido cicurato, tum, ſi in primis viis ſubſiſtere ejus quantitas ex vulgaribus ſignis nauſea &c.

 inno

innotescit, tum ad *Vomitorium* fiat accessus, in specie si massa sanguinea biliosis constitutivis turgida harioletur etiam.

Hoc namque pylorum non solùm, sed & illi continuatum duodenum, ac meatum cholodochum cum ipsa fellis vesicula, convulsivis motibus quasi concitans hanc ipsam exonerabit, quæ tum quo magis ita exoneratur, eò plus postmodum biliosorum constitutivorum ad hepar secernendorum amandantur, sicque massa sanguinea particulis illis cutim defœdantibus, liberatur sensim.

Præterea ab initio morbi, purgantia haud adeo sunt proficua, nisi lenia ea sint, quale in specie hic *Rhabarbarum* est, quod hic non tam purgando, quàm simul alterando agit, propterea non ineptè à *Paracelso* adeo commendatum pro Icteri cura.

Detur verò potiùs in pulvere, quàm in infuso, ad ʒß. vel ʒj. cum jusculo, ubi postquam æger parum contectus sudavit, à meridie alvum laxam habebit. Vel

℞. *Radic. rubr. tinct.*
Curcuma aa. ʒß.
Herb. Chelidon. maj.
Chamædr.
Fl. cent. minor. aa. mß.
Fol. senn. el. ℥j.
Rhabarb. el. ʒvj.
Fl. macis.

Cina-

Cinamomi aa. ℥j.
Croci ℈j.
Salis ♀. ℥j.

Incisa & contusa infunde cum vini generosi ℔iij. & de hoc infuso tum singulo mane sumatur haustus, per aliquot dies.

Non longè distat hoc infusum ab illo *Lindani* decocto, quo, præmisso vomitorio, quemvis curari Icterum asserit, idque construit ex *Radic.Cichor.aut Tarax.* ℨij. *R. chelidon. maj.* ℨj. *herb. cichor.* m. j. vel ij. *Fragar.* mi ß. *Marrub.* m ß. *Tartari alb.* ℥vj. *Fol senn.* ℥vj. cumque vini & aquæ *aa.* aut cū aqua sola coquit vase clauso.

Hujus verò Decocti ℔ij. servat pro usu & omni manè duos haustus, interposita hora, propinat, ad mali curationem usque: sub usu tamen observans, ne secessus sint plures, quàm 2. vel 3. in die, ubi si prima die liberalius purgari contingat, aliis tantò minùs sumatur: continuare verò & non mutare medicamen jubet, experimento facto in cive Amstelodamensi.

Tribus septimanis nil profeci, inquit, urinæ manebant crassæ & splendidæ, post paucos dies aberat splendor, & turbidæ apparebant urinæ pro coctionis signo, hinc morbi solutionem ægro prædixi.

Post hæc si haud cedit Icterus in specificorum Anti-Ictericorum usu persistendū. Sic v.g.

℞. *Herb. Chelidon. maj.*
Marrub.

Cent. minor.
Chamædr. aa m. j.
Comar. absynth. m. ß.
Fl. prunor. sylvestr. m. iß.
Croci. ℥j.
Semen aquileg. ℥ß. Incisa dentur pro vino medicato, quod continuo sit in usu. Vel etiam

℞. *Sem. aquileg.* ℥vj.
Croci orient. ℥j.
Tartari vitriolat. ℥ß. mſ. fiat pulvis in 7. partes æquales dividendus, & in vino calido septem diebus continuis sumendus.

Testari possum, *B. Ettmüller in Praxi* inquit, quod præmisso vomitorio, aliis irritis, hoc pulvere restituerim sartorem, Ictero flavo contumaciter laborantem.

Post hæc salia volatilia insignia esse Icteri remedia, præmisso *vomitorio* & ☿*ialibus*, asserit, inter quæ laudat *lumbricorum sal volatile*, vel ipsos lumbricos pulverisatos, *Spiritum tartari urinosum, Spiritum carminativum de tribus*, vel *Tinctm Bezoard* ⊖ *volat. urinæ* &c. Sic *lapis Ceraunius* à ℈j. ad ℥ß. præparatus specificum erat Anti Icterum *D. Michels*.

Anserculorum juniorum stercus etiam, *chelidonio* & *anserina* nutritorum, ad Icteri curam, ob volatile armoniacale sal, *Paracelsum* tam, quàm alios Practicos admodum commendare, ubiq; legimus. Ex his & similibus ergo talē possemus concinnare formulam. v.g. ℞.

℞. *Anserculor. stercoris verno tempor. collect. & exsiccati* ℥j.
☿ *diaph.* ♂*ialis.*
Lap. Ceraun. praeparat. aa. ℥ß.
⊖. *volat. urin.*
Lumbricor. aa. ℈j.
Flor. macis.
Croci aa. ℈ß. mſ. f. pulv. cujus doſis ſit ℥ß.

Martialia praeterea alia, *vina* ♂*ialia, Pulveres Cachecticos Acidulasque*, ad Icterum cum ſuppreſſione menſium affligentem, ſacram eſſe anchoram, quibus deſperati aliquando curati fuerint Icterici, *Willis Pharm. rat. P. 2. p.* 284. teſtis eſt.

Quod ſi ob ſtagnationem plurimarum particularum in tubulis Hepatis, inflammatio in hoc oboriatur, tum ☿*ialia fixa*, cum *ſalibus volatilibus, camphora, & opiatis* ſociata, *intermiſtis* nonnunquam *amaris*, utramque abſolvent paginam.

Si Scirrhum Hepar vel Lien incurrere velint, tum *gummi ammoniacum* optimum erit reſolvens, praeter amaricantia alia: & externè applicatum *Empl. de ranis cum* ♀*io*, vel *oxycroceum, aut oleum tereb.* cum *camphora*, ſimul veniant in uſum.

Barthol. etiam *Tract. de reſpirat. p.* 431. cataplaſmatis ex *Sinapi, & urina* uſu, induratos ferè lienes curaſſe ſe, aſſerit.

Si per morsum venenatum Icterus contractus fuit, conducunt omnia illa, quæ acidum volatile acre, mediante sudore, strenuè debellant, ut sunt: *Bez. miner. ⊖. viper. volat. Theriaca, Tinct. Bezoard. &c.*

Si verò à veneno assumpto, vel internè in ventriculo genito vitioso acido, ortum traxit, *vomitorium præmittatur*, tum ad supra commendata absorbentia, & acidum Icteri fermentum corrigentia, *♂ialia, aromatica amaricantia*: vel si scorbutici quid combinatum sit, scorbuticis remixta, confugiendum.

Pro majori verò *cautela* adhuc semel *notetur, ne purgantia fortiora, neque in principio, nec in declinatione*, utpotè summè hic noxia, *admittas*: cùm leniora satisfaciant: qualia supra pro nodulo commendavi, cujus vel similis saltem usum Practici alii felicem etiam experti sunt.

Ubi nunc in calculos bilis obriguit, tum *Sylvius* admodum commendat *Radices graminis*, experimento à Bovibus desumto, qui, cum hyeme ob siccatum gramen, fœnum, ductum biliarium lapidea crusta obsessum nancisci soleant, mense Majo verò gramen rursus utendo, sensim liberentur hac crusta: propterea singularem calculum talem resolvendi vim illis radicibus inesse credit.

Sic solo *radic. graminis* decocto puellam sex annorum, ictericam, absque febre, ab aliorũ medicaminum usu abhorrentem, se curasse refert

fert *B Cl. Straus Palæstr. Med. de Ict.* Præter radicis hujus usum, *Sylvius* etiam hoc loco multum laudat *spir. nitri dulcem*, cum hoc vel illo potu ad gutt. x. xij. aliquoties de die sumtum: concretionem verò novam impedire *salia volatilia oleosa in Praxi habet p.* 436.

Cutis color fœdus spontè quidem sensim cedit, sed citius tolli per sudorifera, sale volatili prædita, sive sequatur sudor, sive non, *Sylv. Praxi l.* 1. *testis est.*

Externè verò *Joel* commendat vaporem aceti ferventis, in faciem admissum. Vel farinâ hordei, fabarum, amygd. amar. cortic. diligenter abluatur facies.

Tandem *per Magnetismm curari* posse *Icterum*, experimenta docent: & quidem locũ habet, & hæc curandi methodus, ubi viscera ac meatus bilarii nulla obstructione sunt obsessi.

Sic *Wirdig de Med. spir. l.* 2. *cap.* 22. Icterum curari asserit, si *urina ægri cineres imbibantur*, & iterato exsiccentur.

Boyle usefulnes. of. experim. Phil. haud absimili ratione Icterũ tolli refert, si *ex urina ægri recenti & cineribus fraxini fiant placentæ*, eæque sepeliantur; idq; experimento confirmat. Eundemq; effectum sequi recenset, si ex recenti urina icterica, quæ unâ vice mingitur, ac cineribus dictis fraxini cribratis, tres pilæ æquales formentur, & in loco clauso propè focum vel hypocaustum collocentur, donec exsiccatæ indurescant.

Alii

Alii commendant decrescente Luna, lotium ægri, in panno lineo non loto exceptum, nocturno aëri exponere, donec linteum exsiccatur, totiesque repetere jubent, donec Icterus cesset: & effectum votis respondisse *Hannemannus in Actis Danicis Anni* 1675. habet.

Sic mulierem Ictero diu molestatam, tandem *urinæ* propriæ, quotidie *acervo formicarum supperfusæ*, medio liberatam esse, *Mis. A. N. C. Ann.* 3. *Obs.* 89. *habent.*

Diætæ tandem etiam ratio habeatur, ubi quantitatis ratione mediocritas commendatur, qualium vero ratione, cibi crassioris succi, pisces imprimis ac carnes salitæ & infumatæ vitentur.

Potus sit *vinum* aut *cerevisia medicata aromaticis*; ubi in specie *grana juniperi*, & *radic. chelidon. maj.* singulariter conducunt &c.

Vel quando sitis, ut semper ferè hic solet, excruciat, loco cerevisiæ, quam haud benè ferunt Icterici, quia ventriculum onerat, fiat Decoctum ex *Herb. & rad. fragar. cum passulis*, ex aqua; vel quibus fragar. amaror est molestus, *solum Passularum Decoctum* veniat in usum.

Sanè inquit *B. Ettmüll. in Praxi*, multum in recessu habent, unde non possum non laudare *Electuarium Dygbæi p.* 1. *experim.* ad quemvis Icterum paratum, *ex passulis min. & rhabarbara.* Plura vide capite de cachexia, & alibi.

Iliaca Passio.

Est intestinorum convulsio gravis, Ilei præcipuè & Cœci, cum dolore intensissimo, alvique constipatione aliquando pertinacissima, fœcum vero sive excrementorum rejectione per os, non rarò excrucians, à singulari lymphæ nerveæ intestinalisque & similium acrimoniâ constringente excitata.

Subjectum Intestina esse, vel solus situs docet, præ aliis tamen *Ileon magis aptum* est, non solū ob gyros plures in quos convertitur, sed & fibras tensiores, & nervos plures.

Neque tamen Cœcum excluditur, utpote circa quod originem hujus affectus *Bartholinus* notavit.

Et quoniam in dextro latere, haud procul a renibus situm est hoc intestinum Cœcum, hinc affectus hic, sive dolor non rarò Calculo, adscribitur ab imperitis.

Sic & *Colon*, *ac Rectum motibus hisce convulsivis affici*, docere videntur excrementa, motu peristaltico rejecta.

Nec ventriculus ita existit immunis, quin ob continuatum ductum, ex simili intestinorum substantia, simul quoque in consensum trahatur.

Signa

Signa, quæ præsentiam crudelis hujus passionis denuntiant, *Intestina*, *si admovetur manus* loco dolenti, à constrictione fibrarum nimia, *chordæ intensæ*, & duriter convolutæ *speciem* repræsentantia exhibent.

Ut & *intestina* farciminum instar *inflata*, ob materiam flatulentam inclusam, & ob constrictionem supra & infra factam, incarceratam.

Ob nervosas fibras constrictas, & tensas vero, animæ defertur exquisitissimus dolor: & quò magis, & violenter fibræ extenduntur à flatibus, eò major exoritur dolor.

Sic *dolores* illi non facile cessant, remittunt quidem non rarò, sed *haud penitus intermittunt*, *ob spasmum continuò durantem*, nisi ultimis diebus, ubi nunc indisposita facta fuêre intestina, animæ dolorem deferre.

Vulgò *alvi obstructio* est adeo pertinax, & intestinum rectum ita constrictum, ut etiam per os, intestinorum contenta excrementa, vomitu rejici, necessum sit, prægressis nausea & singultu; & hæc imminentem produnt ileum. Accedunt *anxietas cordis*, *respirandi difficultas*, & non rarò *convulsiones* magis universales se jungunt cum delirio.

Emaciantur etiam aliquando ægri, præcipuè infantes, quando intestinorum convulsionibus sæpius affliguntur, ob impeditum chyli transitum.

Natu-

Naturaliter namque in eundem finem se constringunt intestina, ut chylus exprimatur in vasa lactea: quando verò motus est p. n. convulsivus, constringunt se quidem fibræ, sed constringuntur quoque simul, & sic occluduntur vasa lactea, ut sic chylus transire haud queat.

Si vera excrementa rejiciuntur, Colon simul est affectum, & ubi circa umbilicum, ac in iliaca regione excruciant dolores, Ileon & intestina tenuia affecta esse denotant. *In latere vero dextro* si dolor fixus hæret, *cæcum affectum esse indicat.*

Si acre acidum causam mali fovet, constrictio major adest. Si flatus, intestina magis distensa sunt, neque tamen ructus aut crepitus levamen afferunt, quoniam occlusi remaneant. Si bilis est in causa, ea rejicitur, eamque comitatur calor & anxietas.

Si ab hernia dependet incarcerata, facillimè dignoscitur.

Differentiarum ratione alia est vehemens, alia levior, quæ à colica convulsiva parum differt. *Alia essentialis* à causis, in intestinis genitis: *Alia symptomatica*, quæ alios insequitur morbos: *Alia periodica*, *Foresto* teste, tertio quovis die recurrens.

Plures qui desiderat differentias, ex signis eas eruere poterit: v. g. Alia est à flatibus, alia absque eis &c.

Non-

Nonnunquam verò *contagiosa* etiam est, vel & *Epidemica*, aut *Endemia*, ut in *Jamaica* Insula, *Bartholino* testante.

Causa immediata est *intestinorum spasmodica irritatio*, sive peristalticus inversus motus, quo mediante non solùm omnia sursum inclinant, sed & eis per inferiora via præcluditur, & alvus obstruitur.

Et quicquid *in ventriculo vomitus est*, hoc *in intestino Ileo* incipiens, est *Iliaca passio*; circa ductum vero pancreaticum & cholodochum originem sumens, *cholera*. Et saltem *differunt hi morbi ratione loci*, non ratione causæ essentialis materialis.

Unus namque est tractus continuus, ejusdem substantiæ membranosæ, à summitate gulæ ad podicem usque, fibris circularibus constantis, qui cùm in statu naturali à summitate gulæ usque ad podicem, immissa, naturali suo peristaltico motu vermiculari, qua in parte intestinis accedant, per inferiora protrudit; quid ni, si invertitur hic motus, excretio contrario modo, per superiora, & sursum versus fiet, quocunque etiam in loco infunditur acris irritans, & convellens causa.

Sic *causam mediatam proximiorem* constituunt humores acres, & austeri, qui, si intra cavitatem, & membranas ac fibras ventriculi latitant & vellicant, vomitum excitabunt: circa ductus cholodochum, & pancreaticum, chole-

choleram: in Ileis vero, vel infimis intestinorum partibus stagnantes, Ileum.

Acres vero dicti humores advehuntur vel *cũ sanguine ex arteriis*, in scorbutica dispositione, & vel *visciditate*, vel *acredine peccantes*, *vel ex nervis.*

Vel mediante lympha adducuntur, & à glandulis intestinalibus secernuntur.

Sic nec succus pancreaticus hic est extra culpam, quando nimis est acidus acris.

Neque *bilis ab acido in æruginosam*, sive salinum tertium degenerans: vel & *intestinorum lympha* ab acido *in pituitam acrem conversa*, hincque dependentes flatus, causam non sustinent aliquando.

Antecedentibus his materiam substernunt *causæ remotiores* aliæ, ubi (transeuntibus Naturalibus, cum hoc morbi genus nulli nec ætati, nec sexui parcat,) *ex Nonnaturalibus* haud exiguum pondus addit *Aer* vel nimis frigidus, acido suo austero, in corpore jam latitans illud augendo, & fibras fortius tunc constringendo: vel nimis calidus, subtilium exhalationi, crassiorum vero & acidorum generationi vel promotioni, haud minus ansam suppeditans.

Quantum *depravata victus ratio* hic valeat, exempla loquuntur.

Sic ex esu & ingurgitatione pyrorum crudorum, *Forestus*: ex usu cydoniorum, *Zacutus*,

tus Lus. Post usum Brassicæ & cœnam largiorem, *Rolfinc.* Post casei immoderatum esum *Helvvig. in Obs.* Iliacam passionem exortam fuisse testantur.

Peccant itaque omnia ea, *quæ* in copia assumta, *chylum crudum, crassum, austerum fundunt*; ubi & fructus horarii immaturi, lac ab acido coagulatum, in infantibus præcipuè, non excluduntur: sic & Fabarum, ac pisorum, mespilorum &c. usus, flatus gignendo & fibras constringendo, hic instar veneni rejiciuntur, non aliter ac ipsa venena, arsenicum, Mercurius sublimatus, purgantiaque fortiora.

Excernenda retenta hic potissimum ferè ministrare ansam, negari vix potest, credo namque stagnantes acrimonia singulari peccantes excrementorum particulas, aliquando fundamentum mali ponere, & morâ suâ, rodendo & vellicando, propriam sibi viam præcludere, majori vero acrimoniâ sensim conceptâ, ipsum hoc malum cudere, & plures tum partes in consensum trahere.

Ex Præternaturalibus rebus plurimæ adstant causæ. Sic sanguis in circulo suo in intestinis impeditus, & tum in vasis illis relinquens partes stagnantes, quæ inflammationi ansam dare poterunt, haud rara solet esse causa, à qua exulcerationes, gangræna, &c. nervorumque variæ irritationes & convulsiones in intestinis, originem trahunt.

Sic

Sic & *hernia incarcerata*, excernendis viam occludens, & stagnantibus humoribus ad acredinem concipiendam, tempus relinquens, *haud rarò in causa est.*

Sic & *fæces non rarò cumulatæ*, in loco ubi hærent, intestini illam partem dum extendunt nimium, efficiunt ut in proximis partibus intestinorum fibræ contrahantur, sicque ipsæ fœces sibi vias præcludant.

Colica Passio, quemadmodum aliquando à Passione Iliaca parum differt, sic sæpè in eam facillimè degenerat, sicuti Colica docet convulsiva, quæ ab Ileo parum abest.

Sic *nec lumbricis* hic aliquando disputatur causæ locus, utpote à quibus epilepsiam etiam exortam esse, testes advocari possent.

Communis fuit *veterum opinio*, *intestina* aliquando ita *inter se convolvi & implicari*, ut levi negotio sic Iliaca exoriatur passio: sed falsam omninò esse hanc convolutionem, mesenterium docet, quod, cùm ubique intestinis connexum sit, impossibile est dari talem convolutionem, multo minus quod in nodos quasi complicentur & intricentur intestina tenuia.

Sed descensum unius intestini in alterum, scil. superioris in inferius, vel contra, frequentem esse Ilei causam, *Sylvius* observavit, & *Peyerus de intest. gland.* fiendi modum oculariter notavit.

Prognosis sanè indicat, *nullum Ileum periculo vacare*, sed semper dubii esse eventus.

Minus tamen *periculosum* est malum, *si à fæcum* saltem *duritie*, originem traxit, *& medicamina* tam, quam *alimenta admittuntur* à ventriculo *& retinentur*, motuque naturali ad intestina promoventur adhucdum.

Pueri etiam facilius quam senes, ob fibras nondum adeò induratas, emergunt.

Sic & ex hernia, nunc plus, nunc minus periculosa solet esse passio hæc.

Periculosissima vero est, & ferè semper incurabilis, *si ab inflammatione & gangræna originem hausit*: & ubi singultus, convulsiones & delirium superveniunt, *Hippocr. teste*: aut si stercoris vomitus accedit, anhelitum de se spirant fœtidum, sudoresque excernunt fœtidos.

Nec evadunt, quibus pars intestini superior, inferiorem ingreditur, sic enim nec globuli nec clysteres, aut aliud remedii genus juvare poterit.

Dolor si subitò absque manifesta causa *vanescit*, gangrænam accessisse denotat: ab opiatis verò remittens, salvam adhuc esse rem indicat, *Ettmüll. teste*.

Sic ad salutem tendit malum, quando symptomata urgentia cum euphoria remittunt: vel si robore circulantis naturæ, propellitur materia depravata, vel per alvum, urinam &c.

Ad mortem si properat, symptomata ingravescunt, & tum *morituris accedit sudor frigidus, urinæ difficultas, respiratio difficilis*, podex ita adstrictus, ut ne fistulam clysmaticam admittat: & foetor ubique exit.

Non tamen simpliciter lethale esse signum, fæcum rejectionem per vomitum, exempla testantur: quale & *M. A. N. C. Ann.* 6. *Obs.* 11. habent: *& Bonnet. Sepulchr. lib.* 3. *sect.* 10. *p.* 909. communicat.

Curationem nunc haud esse differendam, affectus gravitas postulat.

Primario verò medelam *fibrarum* requirit *contractio*, ac intestinorum inde dependens irritatio.

Alteram exposcunt depravata varia & *acria contenta* corrigenda, & quovis modo eliminanda. Hæc si præstantur, redit pacata quies, dolores remittunt, syptomataque alia cedunt, & vires colliguntur rursus.

Quomodo verò, & quibus mediis intentionibus hisce satisfaciendum sit: An purgantia præmittendo ad rejiciendam causam, an opiata ad irritationem prius sistendam, diversi sunt Practici.

Nonnulli statim in principio *vomitoria dari debere contendunt*, ubi certò constat, in ventriculo & superioribus intestinis, causam acrem irritantem hærere.

Sic & purgantia commendant, ut mediantibus iis inversus intestinorum motus, divertatur, & deorsum propellatur, præterea etiam fœces retentæ expellantur.

Alii è contra, cum mediantibus purgantibus irritatio intendatur, & malum exasperetur, *opiata prius dare præcipiunt*, ut irritatio mitescat.

Sed cùm hac methodo præter irritationem, etiam sistatur tantoperè expetita excretio: Propterea *B. Cl. Ettmüller in Praxi* mediam tenere viam jubet, & ad magis urgens respicere hortatur. Ubi si major & vehemens est irritatio & dolor, opiata præmittere, purgantia vero subjungere docet.

Sed si ex obstructione undecunque orta, enatum est malum, illaque magis urgeat, purgantia præmitti, opiata vero ad irritatum plus motum sopiendum, subjungi vult.

Interim si ad sopiendum intestinorum furorem, & inversum motum, *opio ubique opus* esse ducatur, *viribus adhuc constantibus hoc in usum veniat*: ne Medico vel medicamento generoso imputetur mors eorum, qui servari amplius haud potuerunt.

In binis namque hisce mediis, purgantibus & opiatis, unicè versari iliacorum salutem *Cl. Wedelius in sua opiolog. p.*120. testatur: ubi etiam cum purgantibus opium combinare jubet: vel hoc præmittere.

Minime ergò *conveniunt purgantia*, præcipuè

puè fortiora, *nisi ubi* omnis *irritatio jam est sedata*, vel ubi hæc non adeò urget: aut donec ad naturalem motum intestina deducta apparent.

Tutius ergo hic usurpantur *clysteres emollientes*, in induratis fœcibus præstantissimi, clausam enim alvum egregiè reserant.

Et quidem insignis usus sunt clysteres antimoniati sæpius injecti: Sic *Rolfinc. consil. 4. lib. 7.* refert, fœminam hernia inguinali per biennium leviter tumente laborantem, passione Iliaca cum excrementorum vomitu quinque clysteribus antimoniatis liberatam fuisse, subsequente aliquot dierum diarrhœa, quæ vero excedens, laudano opiato ablata fuerit.

Rulandus Ileum curavit clystere *ex sem. lini, olei* ℥vj. *troch. alhand.* ʒiß. parùm bullito oleo inunxit umbilicum, reliquum injecit, excretisque copiosis insequentibus ægrum restituit.

Omni ergò studio motus humorum deorsum revocandus, qui sursum viam affectat, ut sic recidiva avertatur, *profluviumque alvi ergo vel sponte, vel per artem provocetur; in declinatione videlicet mali*, sedatis prius gravioribus symptomatibus, si urgent, ut supra monitum.

Non absurdam aut inanem Ilei curandi methodum nobis commendat *Cl. Sydenham. de Febribus*: Indicationibus vero supra notatis satisfacit, sequentibus, curationemque hoc modo instituit.

Primo *Salis absynthii* ℈j. ex cochleari uno succi limonum, mane & sero sumendum præscribit: Intermediis vero temporibus *aquæ menthæ* still. sine saccharo, vel alio additamento, cochlearia aliquot, quavis hora bis propinat: sic vel solius hujus repetito usu, & vomitum & dolorem subito evanescere ait.

Dum hæc fiunt, *catulum viventem* nudo ventri indesinenter accumbere jubet, & postquam vero dolor cum vomitu, per diei unius, vel alterius spatium, omnino cessavit, tum *Pillul. cochiar. major.* ʒj. *in aquâ mentha* solut. exhibet, quam aquam ut eo certius vomitus recursum prævertat, toto Catharseos tempore sæpius sumendam injungit. Neque catulus removendus, antequam pillularum usum æger aggrediatur.

Observari, frustra Pillulas istas, vel quodvis aliud Catharticum, etsi fortè, propinari, nisi ventriculo corroborato, & ad motum naturalem reducto, intestina etiam ad proprium motum reducta fuerint. Cathartica enim sic omnia intus assumta emetica evadere, & plus damni quàm commodi afferre, asserit.

Victum tenuem præscribit, ita ut non nisi cochlearia aliquot jusculi ex pullo gallinaceo, bis vel ter in die permittat: Et ut per totum morbi decursum in lecto decumbat præcipit, donec perfectæ sanationis signa appareant.

Post sanationem vero adhuc per longum tem-

tempus in aquæ menthæ usu persistere, laneisque duplicatis, ventrem à frigore bene defendere imperat, ne recidiva fiat.

Hanc curam aliquoties felici cum successu institutam esse, à se ipso, scribit *ad B. Strausium, Anton. Boxbarter, Collegii Medici Ulmensis quondam Director. Strauss. Palæstra Med. de Ileo, p.* 153.

Præter hæc, *specificè* etiam, in hoc malo conducunt *Antepileptica*, quia non raro magis in intestinorum tubulis, ex lympha nervea acri, vel lympha simili in glandulis stagnantibus, & irritantibus, ac contrahentibus malum latet: quemadmodum hoc docuerunt, hoc malo defunctorum intestina, quæ vacua fuere reperta: Propterea mira hic præstant *Cinabarina, Castorina cum anodynis* maritata. Sic

℞. *Cinab. nativ.*
Cran. human. præparat. aa. ℈ß.
Salis vol. cran. human. gr. v.
Extract. Castor. gr. vj.
Opii cum ▽ a facti gr. j. mf. fiant Pill. pro dosi, vel Pulveris forma dentur.

Sic post clysteres, *saponem venetum* ad ℥iij. usque ad ℥iß. cum *sero lactis* exhibitum, ceu expertum à se commendat *Cl. Doleus*. Clysteribus verò, loco salis, essentiam castorei addere jubet.

Plura Antepileptica suppeditabit titulus de Convulsionibus, & Colica, ubi Decoctum

Fl. Chamomillæ laudatum etiam hic insignis est efficaciæ.

Venter inungatur unguento spasmodico *Mynsichti*, vel *Galbaneto Paracelsi.* Aut

℞. *Axung. human.*
Olei petræ ra. ℥j.
Camphoræ ʒij. mſ.

Si verò fœcibus admodum impactis, nec clysteribus solubilibus, malum ortum debeat, & alvi clausura partinax sit, tentetur cura per globulos sclopetorum deglutitos, ex *amalgamate* ☿ii & ♄ni factos & ʒij. pendentes præter propter: præmisso tamen *Oleo amygd.* d. ut viæ lubricentur.

Aut ☿ii vivi quantitas ℥iiij. vel & librarum aliquot, ut alii volunt, propinetur, instituto deinde motu, & agitatione in curru, ex commendatione *Erbenii de dolore Hypoch.* vel immittatur æger in solium aquâ tepidâ plenum, ut sic Mercurii motus promoveatur, aut aliud fomentum blandum ventri applicetur.

Postquam verò ☿. per alvum rursus effluxit, capiat æger *Ol. amygd. d.* ℥ß, cum *olei anisi* gutt. aliquot.

Sed *si inflammationis, aut exulcerationis metus*, vel initium adesse hariolerur, *caveto ab usu mercurii*, facilius namque pondere suo exulcerata intestina perrumpere, quàm fœces penetrare sic posset, aut in corpore remanendo salivationem inducere valeret.

Si

Si ab Hernia incarcerata malum dependet, tum *intestina ante omnia reponantur* Emplastro Magnetico lumbis imposito, experimento certo *Fr. Hofmanni.*

Vel *stercus ovillum cum lacte dulci* coquatur, & cataplasmatis instar pro fotu applicetur: fidem facio. *B. Ettmüller* inquit, me aliquoties hoc fotu, cùm res in præcipiti esse videretur, prolapsa intestina reposuisse, frustra antea tentatis aliis.

Scultetus commendat Fila cruda, einen strang Garn / *Decocto cumini* mediante *lixivio è cineribus fagi* facto, addito in fine pauco *vino malvatico*, immergere & calidè sæpiùs applicare.

Horum verò loco *Riverius Spir. Vini* calidè imponit.

Durities, quæ *in intestinis in scrotum delapsis* hic apparet, non est à fœcibus duris, sed à spasmodicis intestinorũ tensionibus, nam *intestina tenuia saltem prolabuntur*, in quibus nondum sunt fœces.

Propterea non solum blandis fomentis, sed & internis aromaticis cedit. Confirmat hoc *Cl. Wedelius M. C. Ann.* 2. *& in opiologia p.* 120. Cum Studioso, inquit, Iliaco ex Herniâ opem laturus, pleraque, feliciter aliàs data, in cassum tentassem, optato eventu compescui, eademque methodo rusticum, enterocele prægranti laborantem, restitui.

In

In *Diæta* tandem durante morbo strictè observanda, sollicitus sit æger: Sit verò victus commendante *Sydenhammo* tenuis, & bis vel ter in die cochlearia aliquot jusculi ex pullo gallinaceo parati sufficiant.

Potus omnis frigidus vitetur, sed calida intus & extus usurpentur: Convalescentesque tanquam puerperæ tractentur, neque enim in victu adhucdum peccare, neque frigido aëri se exponere conducet.

Excretorum vel excernendorum ratione, etiam in fine morbi adhuc magna cautela esse debet, ut humorum motus semper deorsum promoveatur non solùm, & securus reddatur æger de recidiva, sed & circulantes humores depurentur efficacius. In hunc finem fiat tale vinum medicatum.

℞. *Herb. cent. min.*
Menthæ aa. m. j.
Summ. roris mar. p. j.
Fl. Chamomill. m. ß.
Rad. Zedoar. ʒij.
Fol. Senn. el. ʒvj.
Rhabarb. el. ℥ß.
Passular. minor. ℥ij.
Cortic. aurant. ʒiij.
Cinamomi ʒiß.

Dentur incisa ad nodulum, mensuræ vini infundendum, & de infuso bibat reconvalescens

pro

pro doſi ℥iiij. vel ſingulo, vel alternis diebus, pro circumſtantiarum ratione.

Iſchuria.

Eſt ſeri, ſive laticis aquoſi, ſale oleoſo ſalſo volatili impraegnatio, ſive in lixivium volatile, aut urinam generatio, & à circulantibus reliquis humoribus ſeparatio, vel ſeparati excretio, vario modo abolita, vel ſuppreſſa.

Subjectum affectus ſuppeditant *vel renes*, dum nulla in eis fit urinæ generatio, & ſecretio, adque veſicam transmiſſio, quemadmodum hoc cathere explorari poteſt. Vel ubi nullus veſicæ tumor præſens, nulla tenſio, nullus in pube dolor, nulla peritonæi gravitas, & ſimilia phænomena hoc indicant.

Vel veſica Subjecti locum tenet, quando ea à renibus transmiſſam urinam haud excernit: inde verò diſtenditur, conatusque ad mejendum continuo urget &c. Et ex his *Signis* hujus mali præſentiam, vel hujus, vel illorum vitio ortam, cognoſces.

Ad meliorem diſtinctionem Subjecti, *veſicæ ratione ortam Iſchuriam, veram vocamus*, alteram renum vitio haud ſegregantium, notham appellamus.

Ab-

Abolita dicitur generatio, vel excretio urinæ Ischuria, *ad differentiam imminutæ secretionis*, quando plus liquidi sive potus assumitur; parum verò, quod assumto potui haud respondet, rursus excernitur, ut in hydrope, vel quando continuis sudoribus exhauritur: aut quando renes calculis scatent, vel plures tubuli obstructi parum transmittunt.

Causa Ischuriæ immediata est urinæ vel generatio, vel secretio frustrata.

Mediatæ proximiores variæ possunt esse causæ. *Ischuriæ veræ proximior causa* vel est spasmodica vesicæ & orificii ejus contractio, vel à calculo, callo &c. occlusio.

Nothæ Ischuriæ verò *proximiorem causam* suppeditat vel circulantium humorum crassities, ab acido salso immixto ita contexta, ut renum secretioni dicatis poris haud ampliùs respondeat: *Sylvio* hoc etiam agnoscente *append. Tract. V. §.* 275. Urinæ suppressionem, inquit, agnoscere aliquando pro causa ipsum sanguinem, censeo, ita scil. affectum, & secundum varias sui partes confusum ac mixtum, ut à reliquis secerni nequeat in renibus serum. Et certè ipsum *sanguinem ita affici* posse, *ut partes ipsius serosæ*, urinæ materiam suppeditantes, *cæteris misceantur intimiùs*, *ut ab illis secerni nequeant*, plurima sunt quæ persuadent, sive quis ægrorum tunc urgentia symptomata, sive curan-

curandi rationem per ſalia volatilia expenderit: Certum namque eſt ſolum ſal volatile vim habere ſolvendi omnem humorem viſcidum, à quo partium fluidarum æquè ac ſolidarum connexus vitioſus ortum habere ſolet: *Soluto* autem *humore viſcido, ſecedere poſſunt faciliùs ab invicem partes ſanguinis,* haud ita intimè ſibi invicem conjunctæ &c.

Notum eſt *in morbis à craſſo*, & quoad texturam *vitioſo ſanguine* dependentibus, parùm vel tenuis ſaltem, *nullis contentis impregnatæ, ſed crudæ urinæ portionem excerni.* Propinatis verò reſolventibus, & texturam debitam reſtituentibus, copioſiorem & turbidam exire: ſicque texturam inverſam peccaſſe.

Riverius ſanguinis abundantiæ etiam aliquando Iſchuriæ nothæ cauſam adſcribit: Sed ego *niſi craſſities*, & immutata mixtura concurrat, vix capio, niſi in majoribus vaſis nimia extenſio in minimis contractionem cauſando, malum fovere dicamus: exemplum habet *Centur.* 1. *Obſ.* 1. *&c.* ubi ſexagenarium Nobilem, ſanguineum, athleticum, calidiſſimis æſtivis diebus iter facientem, multoque potu ſitim ab æſtu contractam, ſedando ſibi Iſchuriam contrahentem, nullum verò dolorem neque in lumbis aut pube ſentientem, liberavit larga ſanguinis miſſione ad ℔j. inſtituta.

Altera Iſchuriæ proximior cauſa poteſt eſſe

vel

vel *tubulorum renalium obstructio*, vel spasmodica fibrillarum ejus contractio.

Alii adjungunt fermenti renalis, & urinam non bene promoventis inertiam.

Sed in quo consistat hoc fermentum renale, vel aliorum viscerum, haud capio: Inane commentum potiùs esse credo, cum tale fermentum neque in hoc, neque alio viscere ob circulationis continuum motum stare haud possit: Sufficit circulationis lege interruptâ, adductus, laudabiliterque contextus sanguis, & tubulorum diversorum legitima textura & dispositio, cuique proportionato liquori, liberum aditum & reditum, vel transgressum, ubique concedens.

Primum negotium iam supra expedivimus, alterum Tubulorum depravata textura, vel ab obstructione vel contractione spasmodica dependet: Illa oritur vel *à congrumato sanguine in casu ab alto*: vel *ab ulcere & pure* aut intus genito, aut aliunde transmisso, vel *à calculis intus stabulantibus.*

Hæc spasmodica contractio, à fluidi nervei acrimonia, crassitie, &c. originem trahit.

Præmissis causis, plures aliæ *Remotiores* vulgo vocatæ, ansam addere possunt: & quidem *ex Naturalium rerum classe* non leve aliquando momentum addit circulantium humorum *Temperies*, à crassis, lentis, viscidis, minus mobilibus humoribus originem trahens: Hinc infantibus non raro familiaris, ob succos non-

nondum adeo mobiles, sed (ob nutrimentum lacteum, coagulationi facillimè obnoxium, & acescens,) crassos, & obstructionibus leviter obnoxios.

Ex Nonnaturalium rerum classe, non minimam ansam suppeditant *cibus crassioris succi, ex lacticiniis*, & quoad potum, cerevisia cruda, aqua limosa, *vino austero* & similibus, constans.

Inter Præternaturales res præter supradictas tales causas, plerumque frequens esse solet *laterum vesicæ distensio*, *orificii vero contractio*; sicuti accidit ob diutiùs retentam, & collectam urinam, quando ob ebrietatem delirantes, vel præ pudore urinam cohibent, donec coarctato, & contracto vesicæ orificio, ampliùs expelli nequit.

Prognosis nobis sistit malum satis periculosum, ubi tamen illud *vitio renum enatum periculosius*, quàm vitio vesicæ contractum. Item vitio renum contracta Ischuria, *si absque dolore* est, *magis* existit *periculosa*, quàm si cum dolore juncta affligit.

Notat enim *in renibus nullam planè ampliùs fieri urinæ segregationem*, aut stagnationem: sed serum in urinam convertibile aliàs, aliò vel diverti, & extravasari, *ut in ascite*, *sudoribus colliquativis*: vel immediatè in vasis stagnare, & volatiles mobiles ubique circulantium humorum partes, irretire, ac quasi

ſuffocare, unde anxietates, ſenſuum torpores &c. originem ſumunt.

Ubi ſi eò deventum eſt, ut *ſudores fœtidi*, urinam olentes, excernantur, *lethale* eſt.

Sic & *à calculis*, ureterum orificiis incumbentibus, contractum hoc malum, utplurimum *lethale* exiſtit.

Salutis adhuc ſpes ſupereſt, ſi ante ſeptimum diem mejere incipiat.

Ubi in longius tamen tempus ſe protrahi patitur Iſchuria, quando per alia loca, ſudores videlicet vomitumque, crebrior excretio accidit: Sic *M. A. N. C. Ann.* 6. *p.* 149. exemplum producunt Iſchuriæ dierum undecim curatæ.

Alii ad 14. imo alii per 17. dies durantem obſervarunt Iſchuriam, raro tamen ad 20. dies protrahitur, niſi ut ſupra dictum per alia loca excretio fieri contingat.

Vera autem Iſchuria, veſicæ vitio exorta, facilioris eſt curationis.

In curatione nunc vel Iſchuriæ veræ, veſicæ vitio exortæ, vel Nothæ reſpectus habeatur.

In Iſchuria ergo vera, *fiat inunctio peritonæi* cum *Oleo Scorpionum, & oleo petræ*, tum imponatur hoc cataplaſma *Ettmülleri*:

℞. *Cæpar. alb. crud.* no. vj.
Capit. allii non. iiij.
In mortario contuſis adde
Pingued. anſerin. q. ſ.

Olei

Olei Scorpion. pro lubitu.
Juniperi gutt. aliquot; mſ. & calidè applica.

Vel fiat inſeſſus talis:

℞. *Herb. malv.*
alth.
meliloti.
heder. terr.
ononid.
Flor. Chamomill.
Stramin. Fabar.
Baccar. juniperi aa. pro lubitu.

Inciſa & contuſa coquantur in aqua pro Balneo.

His vel ſimilibus fruſtra tentatis, *Blegni omnibus præfert catheteris uſum*, ut ſic vel calculus removeatur, vel contractum orificium reſeretur.

Jubet vero non ſolum mediante cathetere, pro ſemel & ſemper urinam educere, ſed *catheterem immiſſum retinere*, ne urina ſtagnare rurſus queat, ſed ut ſemper excernatur, & fibræ interea vires ſuas recuperare queant; neque ſæpiùs iterata catheteris immiſſione orificium veſicæ & ejus fibræ lædantur. Interea vero *fotibus adſtringentibus*, regionem veſicæ ſæpiùs fovere injungit: & ex ſimibus adſtringentibus ſpeciebus injectiones commendat.

Præter hæc *Clysteres emollientes* non erunt absque effectu si intermediantur.

Vel si ob diutinam moram, aut ebrietatem, urina ampliùs excerni nequit, facilem modum commendat *Sylvius*, quem cum egregio successu se aliquoties instituisse asserit: Immittit nimirum in ureterem ad vesicæ cavitatem usque tenuissimam ceream candelam, in sui extremo obtusam redditam, & oleo illitam, Catheteris loco, utpote quem cum maribus præsertim, nisi cum difficultate & dolore intrudi nequeat, etiam si à peritis applicetur, propterea raro, vel cautè admodum adhibere præcipit.

Præterea *vitentur Diureticæ*, ne urina, præsente stagnatione in vesica, mole sua augeatur, & dolor exacerbetur. *Oleum* tamen *amygd. d.* ad lubricandum orificium conducit. Vel & ad Spasmum sistendum *Opium* sive *Tinctura anodyna* cum *Ess. succini* maritata satisfaciet.

In Notha Ischuria verò ante omnia sanguinis sive circulantium humorum textura restituatur: Et cum vitium in genere foveat acidum, hinc corrigendo huic insistendum, *alcalinis & dissolventibus* variis: *absorbentibus*, *cinnabarinis* &c. Sic.

℞. *Cinnab.* ♁. ℈j.
Ocul. cancr. ʒj.
⊖. *urinæ volat.* ʒß.
Laud. opiat. gr. iij. m. f. fiat pulvis pro 4. dos.

Vel

Vel ℞. *Essent. meæ succini* ℥ij.
Salis volat. succini.
urinæ aa. ʒß.
Opobalsami veri ℈ß. misce dosis gutt. 30. cum liquore conveniente.

Si magis diuretica, crassitiemque humorum colliquantia expetuntur, tum *infusum Cantharidum* insigne esse Ischuriæ remedium *Bartholinus Cent.* 5. *hist.* 82. &c. asserit, ejusque felicem usum se non semel expertum esse refert.

Cantharidum verò ℈j. in pulverem redactus, infundatur in *vini Rhenani* ℥iij. vel iiij. stet in infusione per aliquot dies, tum per chartam filtretur, ne ex substantia cantharidum quid admisceatur. Ex colato verò liquore *cochlear unum, septem aliis* seu *vini*, seu *cerevisiæ* admisceatur, ex hoc mixto, primo die unum, altero duo cochlearia, sic deinceps propinentur.

Pro potu ordinario detur *Decoctum juniperi, & baccarum alkekengi*, cum parum *macis* factum.

Plura insignia Diuretica suppeditabit titulus de Nephritide.

Lepra.

SUmmus scabiei gradus: est glandularum & pororum cutis, vel in totum, vel pro parte facta obstructio, indeque inducta ero-

sio, à sale corrosivo, cum sero vel lympha illuc deportato, cutemque pruriginosa squamosa scabie defœdante, excitata.

Subjectum constituit tota illa substantia fibrosa, sive *cutis*, ex *arteriarum*, *venarum*, *nervorum*, *tendinumque extremitatibus contexta*, & cum pyramidalibus papillulis, ipsis nervis continuis, cumque sudoris vasculis, ad cuticulam exsurgentibus intertexta.

Veteres ob plura non rarò differentia phænomena, plures Lepræ constituerunt species, quas nos gradus saltem esse comperimur.

Sic quam simpliciter Lepram, aut Græcorum Lepram, sive impetiginem Celsi illi vocarunt; nobis est levior gradus.

Eam verò, quam Arabes Lepram, Græci vero Elephantiasin appellarunt, nos gravem esse Lepram experimus.

Sed cùm *levior Lepra aliquando sub scabiei nomine dissimulari*, paulò gravior verò cum Lue Venerea, ratione symptomatum, ferè eadem esse soleat, sicuti *raucedo*, *alopecia*, *narium*, *fætor*, partium corrosio, *pustulæ*, *leuce* &c. docent; hinc pro majori distinctione

Signa probè notentur. Fiendi modum *Willis Phar. rat. p 2.* hunc in modum describit; *In variis corporis partibus*, *brachiis* præcipuè & *cruribus*, excitantur papillæ, sive *pustulæ rubræ* modò singulares modo plures congestæ, qui-

bus

bus *morbo incrementum capiente novæ ubique adjungantur*, & brevi talium plures velut aggeries, ſive corymbi fiunt. Papillæ namque juxta unamquamque ſtirpem, primo indies erumpentes, & latiùs uſque ſerpentes, ſeſe in orbem diffundunt, adeoque exanthematum aggeries quaſque amplificari faciunt. Cujuſque harum ſuperficies aſpera eſt, & nonnihil albida, & ſquamoſa apparet, unde ſi ſcalpatur ſquamæ decidunt, & ichor ſæpe tenuis exſudat, qui tamen mox exſiccatus in ſquamam rurſus cruſtaceam indureſcit.

Celſus dicit, eſſe bullulas, ex quibus interpoſito tempore ſquamulæ reſolvuntur.

Alii has puſtulas rotundas varis ſimiles, ſed obſcurè rubras, & duras circa frontem, & aliis in faciei partibus, brachiis circa cubitum, manibus, femore, cruribus &c. mobiles eſſe, & indolentes ab initio, quibus tum plures tres forſan aut quatuor junctæ, denarii magnitudinem exæquant.

Poſtea vero *ſi morbus accreſcere ſinitur*, crebriores ubique erumpunt, quæ quidem quoad areas ſenſim auctæ, poſtea *coronam argenteam æquant aut ſuperant*, non vero ſemper rotundæ aut figuræ regularis, ſed varii formes exiſtunt.

In ſtatu vero hoc non ſiſtitur affectus, ſed niſi per medicinam cohibeatur, in plurimis uſque

locis ebulliens, & latius ubique serpens, tandem haud solùm membra integra, sed & totum corpus vitiligine leprosa obducit.

In deterius verò vergens malum, & ad Elephantiasin accedens, membra & *cutim reddit tumidam, scabram, rugosam, tuberosam* & *inæqualem*, non aliter *ac elephantum cutim*: labia simul crassa, nasus tumidus, & in fronte hinc inde enata tubercula, cornuum instar; faciem Satyrorum faciei similem reddunt, tandem digiti in manibus & pedibus sub tumore conduntur &c.

Præterea *Leprosi aliquando afficiuntur* ulcusculis intra digitos pedum & plantas, ut & *circa juncturam cubiti*; ulcuscula hæc sunt lata, labia eorum sunt dura & tumida, ad levem tactum ichorem fundentia, indolentia tamen sunt, & ultra cutem, ad carnem haud pertingunt, in hoc loco etiam cedentes, in alio rursus emergunt.

Non rarò etiam *oculi pterygio*, sive excrescentia membranosa, versus pupillam excrescente, notantur.

Ungues incurvantur & finduntur. Nares aliquando *cancro planè exeduntur*. Lingua circa radicem, non aliter ac sues, vasis repleta conspicitur indolentibus, mox flavis, mox lividis.

Squamæ præcipuè *in capite*, & *superciliis* notabiles sunt, mox albæ, mox lividæ, & vel cum pruritu, vel absque hoc decidunt.

Tan-

Tandem & *defluunt Pili* in barba præcipuè, & superciliis, *raucedo se jungit*, *nares fœtent*, &c. & quæ sunt similes *sanguinis*, muriæ salinæ instar, *crassi*, *acris*, & *corrodentis effectus*, primò externas, temporis successu & internas partes solidas, corrumpentis.

Nec mirum à sero crasso muriæ instar salso, urinam dependere crassam, etiam gravem quandam materiam, haud demergi permittentem: quale signum *Hafenreffer in nosodochio cutis* tradit, ubi cineres plumbi usti Leprosorum urinis supernatare asserit: quod tamen nimiùm esse dictum credo. Sic & sanguinem arenosum fuisse deprehensum vix capio, ast *concretionibus salinis* (non aliter ac in scorbuticorum urina emissa cohærere solent) *serosam circulantium humorum partem refertam esse*, verissimè mihi persuadeo, quemadmodum paulò infrà in causis docetur.

Sed cùm magnam aliquando affinitatem hoc malum habere soleat cum aliis externis cutis vitiis, hinc *ne scabiosum pro leproso*, *leprosum pro scorbutico*, & contra pronunties, *Differentiæ probè* sunt notandæ.

A scabie verò differt pustularum forma, in hac enim pustulæ ubique ferè singulares, & spatiis etsi exiguis ab invicem remotæ sunt: è contra *in Lepra plures conglobatim, & quasi per racemos* magnis intervallis sejunctos *erumpunt*.

Sic & in ſcabie furfuracea quædam corpora decidunt: *in Lepra* verò *quæ decidunt, ſquamas piſcium referunt*, ſive ſcalpentibus, ſive non ſcalpentibus.

In ſcabie etiam materia tenuior eſt, & ſummam ſaltem cutim depopulatur, in Lepra verò materia craſſior eſt, & non ſolùm ſummam ſuperficiē, ſed & profundiora cutis depaſcitur.

Pro more tamen plus aut minus maligno, propius vel ad ſcabiei, vel ad Lepræ gravioris naturam accedit, ſive elephantiaſin, vel ſtatu medio ſe habet, veluti levior Lepra.

Nonnunquam enim *membra ſaltem quædam*, ut *brachia*, vel *crura*, reliquis partibus intactis, *infeſtat*. Interdum verò in illis omnibus ſimul incipit, & ubique ſparſim corymbos excitat.

Sic & *eruptiones tales*, aliquando *in quibusdam temporariæ exiſtunt*, & *hyeme tantùm infeſtant*, circa æſtatem evaneſcentes. In aliis circa hyemem evaneſcunt, & vere rurſus emergunt. *In pleriſque* verò *morbus continuus eſt*, & nullam remiſſionem, vel mediocrem obſervat.

Elephantiaſis Arabum, ſunt *pedum tumores*, quales in mendicantibus non raro obſervantur, qui *cruſtoſa* aliquando *ſcabie rugoſa*, elephantis pedes referunt; & poſſent dici particularis Græcorum Elephantiaſis.

Lichen ſive Serpigo. der Haarwurm/ ſcabiei

biei potius ſpecies, quam lepræ eſſe videtur, eſt enim ſaltem cutis quædam aſperitas volatilis, cum pruritu, faciem aliquando ſolam occupans: in infantibus vero non raro circa ſcrotum, intra femora, vel in inguine cutim excorians; inque his facile rurſus ſola frigidæ fluentis ablutione, mane & veſperi inſtituta, cedens.

Quomodo à Scorbuto, & *partim à lue venerea differat*, ſigna horum pathognomonica ſignificabunt.

Reſtat contagii paucis mentionem facere: Sic *ſcabies quæcunque contagioſa eſt*, & raro niſi per contagium propagatur, quia contagium ſaltem magis volatile eſt in cute.

Lepra vero quia cauſam magis intricatam in ſanguine agnoſcit, hinc *raró niſi diſpoſitos contagio afficit*, quia miaſmata paulò craſſiora in cute hærent, neq; etiam ſubtilia prævalent, hinc miaſmata hæc à viris in uxores, aut contra vix tranſire, *Willis* eſt qui credit, contra aliorum mentem.

Cauſa immediata eſt glandularum & pororum cutis eroſio, & ſquamoſâ ſcabie, cutis ſuperficiei defœdatio.

Mediata proximior eſt lymphæ ac ſeroſæ partis ſanguinis diſpoſitio acido-ſalina, & craſſa, quarum particulæ exhalaturæ, ſed nimis craſſæ, & glandularum minimarum poris haud reſpondentes, in eis ſtagnare coguntur.

Sed quoniam à tergo insequentibus, mediante circulatione propulsis augentur, hinc in tumores dictas glandulas attollere, easque erodere sensim coguntur: & *prout* vel *strictiores*, vel *ampliores tales glandulas vel poros*, hic aut alibi *offendunt*, pro eo mox hic mox alibi primæ pustularum aggeries exoriuntur.

Postea verò cùm sanguinis dispositio talis salina uberius progignitur, plures ejus portiones, aliis in locis erumpunt, donec sic sensim successu temporis cutis superficies incrustatione squamosa, & leprosa, ex omni parte obducatur.

Quibus verò *ex causis salina crassa dispositio in sanguine exoriri queat*, titulo de affectione hypochondriaca ac scorbuto, latius explicatum reperies.

In his affectibus verò, salina circulantium humorum dispositio magis adhuc existit volatilis, quæ plus fixo sale emicat in lepra.

Sic & viscera interna in illis affectibus plus occupantur; in lepra vero plus externa cutis vitium capit, fortè ob singularem ejus texturam, poris admodum arctis constantem; internis vero vasis & visceribus satis amplis præditam, & contra, in scorbuticis ac hypochondriacis.

Levis enim salinæ texturæ & concretionis mutatio ac diversitas, differenti etiam effectui symbolum addere poterit; sed quis specifi-

cas

cas tales concretionum texturas expiscabitur? sufficit in genere acidum concretionum talium apicem & causam existere, cui generando *remotiores* plures *causæ* ansam addere possunt: ubi *ex Nonnaturalium* rerum classe præcipuam occasionem ministrare poterit *mala victus ratio*: ubi eminet *carnium salitarum*, & *fumo induratarum*, præcipuè *porcinæ* carnis, ac *piscium* præcipuè crustatorum creber usus: sic non absque ratione ad avertendam lepram, *Judæis, sub calidiori Sole habitantibus*, *interdicebatur caro porcina.*

Et non absque causa, oram maritimam *in Anglia* incolentes, teste *Willisio*, affectibus leprosis devenerunt obnoxii, cùm pauperiores tantùm piscibus vescerentur.

Longo enim diætæ talis crudæ & crassæ usu, non mirum particulas copiosas crassas, sanguinem crassum salinum haud ritè miscibilem generasse, & sic affectibus leprosis materiam convexisse.

Ex præternaturalibus rebus non levem lepræ occasionem præbent, aliquando in massa sanguinea *relicta, & haud ritè inversa*, & in melius conversa *luis venereæ, aut scorbuti miasmata* salina; levi enim negotio salium plurium combinationes, lepræ constitutiva fabricant, & phænomena leprosa producunt.

Prognosin quod concernit, notandum, quod

quod etsi malum hoc lethale raro existat, attamen radicatum, curatu admodum difficile; quin imo incurabile omnino extet.

Cùm enim incipiens, & in uno saltem, aut altero membro pustularum aggeries excitans, vix nisi efficacioribus medicaminibus, *Willisio* teste, cedat: Quidni incurabile existat omnino, si morbus invaluerit, ut in toto corpore sparsim papillarum corymbi exoriantur, & perfecta lepra, ac tandem ipsa Græcorum Elephantiasis fabricetur: à qua abstinendum esse, veluti malo incurabili *Celsus* pronunciat.

Curatio ergo *malum* adhuc *curabile respiciat*, & *nullæ*, etiam leviori initio, *moræ relinquantur;* sed protinus efficacissima hujus morbi antidota in usum vocentur. Propterea.

℞. *Extract. helleb. nigri* ℈j.
☿*ii dulcis* gr. xv.
Resin. jalapp. gr. iiij.

cum *Syr. de cichor. cum rhabarb.* fiant Pillulæ pro dosi.

Colliquatis sic paulisper concretionibus salinis in primis viis hospitantibus, ad alterantia & salinam sanguinis dispositionem resolventia, & eluentia accessus fiat.

Inter hæc ab omnibus ferè Practicis commendata legimus *chalybeata*, *acidulas*, *serum lactis*, *Decocta* item *ex lignis*, & in specie *Salivatio*,

vationem: ſed non ſemper votis hæc reſpondere ſequentia nos erudiunt exempla.

Sic *Henricus ab Heer Obſerv.* 22. refert, ad ſe veniſſe juvenem rufum, cholericum, lacerrima, & altis rimis pervia cute per totum corpus: Leproſiorem per totam vitam vidi neminem, inquit, *Gajaci Decoctum ſepties*, qualibet vice ad dies quadraginta potarat, unde perfectam incurrerat lepram. Illi calidiſſimum à natura hepar habenti, meo judicio calidiſſimum corroſivum ſanguinem,) tot calidis potionibus ferè cinerato, præſcribo uſum *cryſtalli montani præparati*, quotidie manè, ʒß. *cum ſuccis foliorum nymphææ, ribes & berberorum*, (vitato ſaccharo & ſaccharatis,) ſuperbibendo *ſeri lactis* cum tantillo *ſalis prunellæ*, quantum poſſet, deinde in ſtramineo lectulo, ſub altiſſimo molendino jacentem, ſtillicidium ex alto in hepatis regionem cadens, aquæ gelidiſſimæ, neque ſolaribus radiis calefactæ excipere juſſi: hoc cum manè & ſeſquihora ante cœnam aliquot dies feciſſet, ſaniſſimus & pulcherrimus factus eſt.

Anno 1675. (referente ita *Beneto*,) menſe Septembri, quidam Italus lepræ ſuſpectus erat, furfures ex toto largiſſimè excidebant, vox erat ſubrauca, anhelitus fœtidus, macies magna: Sylva remediorum antea adhibita fuerat, tandem præſcripto ptialiſmo, & præmiſſa *Diæta ex China & Sarſa*, pleniſſimam ſanitatem

brevi

brevi tempore consequutus est, quanquam radicis egisset affectus.

Willis è contra asserit, quod, etsi plerique aliis remediis nil juvantibus, *Salivationem* tanquam *athletam fortissimum*, tanto hosti parem hic commendent: attamen prægrandi huic expectationi eventus non semper respondeat.

Fateor enim, me hoc remedium in quatuor Personis, impetigine graviori & medicamentis aliis obstinatâ laborantibus, sine commodo expertum fuisse. Quidam ex his per inunctionem ex hydrargyro, alii per Pillulas *ex præcipitato Solari*, in sputationem copiosissimã, quam per viginti circiter dies pertulerunt, ciebantur: quo temporis spatio elapso, eruptiones omnes squamosæ & papillarum corymbi evanuerunt; nihilominus ad confirmandam curam *potus Diateticus ex Decocto Sarsæ*, cum crebra sudatione interjecta, institutus per mensem continuabatur: attamen hoc cursu finito, cùm nulla tunc impetiginis vestigia relinqui viderentur, intra mensem alternm, nova ejusdem morbi seges pullulare incipiens, brevi tempore ad solitam maturitatem accrevit.

Imò cùm unus ex his hanc medicinam repetere, atque alter post duas morbi recidivas, eam tertiâ vice experiri voluit, uterque tamen post immanes tot ærumnarũ perpessiones, de cura-

curationis spe decidit : unde *constat*, *luem venerea*m etsi summè malignam, atque ulcera fœtidissima, & cacoëthea, carnes, & ossa depascentia, excitantem, *multo facilius*, *& certius quam lepram sanari posse.*

Sed cum interim *acidulæ*, & *medicamina ex viperis*, optimi semper effectus deprehensa fuerint, hinc non omittantur hæc : sic & *cucumeres*, utpote virtute nitrosa præditos, contra hunc morbum utiles esse, *Willis* per experientiam probat : hinc sæpius comedere præcipit ; vel & tres aut quatuor, in taleolos concisos, aquæ fontanæ ℔ iij. per noctem infundere, liquori vero tunc claro effuso *salis prunellæ* ℥iij. addere, & ter aut sæpius in die ℔. ß. bibere jubet.

Vel & *sedi majoris* m. ij. contundere, ac in *lactis recentis* ℔. iiß. coquere, ac in serum convertere, colaturam verò claram bis in die ad ℔. j. assumere præcipit : Præprimis si reliquiis scorbuti malum debeat ortum : cùm enim calidiora antiscorbutica, *cochlearia, nasturtium* &c. *sanguinem nimis exagitent*, & *crasin ejus plus dissolvant*, *& coagula salina ad cutim uberius propellant*, & sic *magis nociva* quàm proficua esse deprehensa sint, hinc acrioribus similibus vitatis, nitroso sale prædita prædicta commendat.

Porrò cum papillarum eruptiones squamosæ, & in figuras velut corymbeas efformatæ ;

etiam *luis venereæ inveteratæ frequens symptoma* esse soleant, hinc *interrogare* jubet, *annon hujus luis aliquando participes fuerint*, & malignitatis adhuc quid lateat? In quo casu antiscorbuticis omissis, ad luis hujus specifica, *Decocta ex lignis*, vel his parum juvantibus ad medicamina ex ☿io protinus devenire præcipit: hacq; methodo se plures pro leprosis habitos, curasse asserit.

Præterea externa etiam haud negligantur, qualia de scabie, lueque venerea tradita sunt.

In *Diæta* mala vetus ratio emendetur, & vitentur ea, quæ supra ex Nonnaturalium rerum censu, causas sustinere diximus.

Lethargus.

Cum reliquis soporosis affectibus omnibus, gradus sunt, ad Apoplexiam minus magis accedentes, à causa quippe simili, debiliori tamen, vel fortiori dependentes.

Primus gradus est *Somnolentia nimia*, vel continua; secundum constituit *Coma seu Cataphora*; tertium *Lethargus*; quartum *Carus*; ultimus gradus *Apoplexia* est.

Soporosi hi affectus sunt vel major vel minor inevitabilis aut inexplebilis dormiendi necessitas, à circulantium humorum crassitie, vel

vel *plures* vel *pauciores*, *Cerebri*, & vaſorum ejus *tubulos*, *obſtruente*, ſicque fluidum nerveum liberè vel non tranſmittente, vel haud continente.

Subjectum Affectus conſtituit *Cerebrum*, *quoad tubulos & vaſa*, circulationi promovendæ deſtinata; & fluidi nervei tranſcolationi dicata.

Signa, affectus hos gradibus ſaltem à ſe invicem diſtare, breviter demonſtrabunt.

Somnolentiam continuam excipit *Coma ſomnolentum*: in hoc enim non ſolum *propenſio in ſomnum* urget, ſed & gravior, & diuturnus *ſopor opprimit*, cui tum ferè ſemper indulgentes, *ore hiante*, & *in axillâ inferiore demiſſâ* dormiunt; ſed *ſuſcitati circumſpiciunt*, & interrogatis breviter & appoſitè reſpondent quidem, ſed de rebus agendis colloquia miſcere nequeunt, quin à ſomno mox iterum placidè irrepente opprimantur: Atque hoc modo per plures dies, imò interdum per menſes, ſomnolenti perſtant, facilè tamen expergiſcibiles, ſed interturbari ægrè ferentes, memoria non admodum læsâ adhuc conſtantes.

Paulo aliter ſe gerit *Coma vigil*; in hoc enim laborantes, in ſomnum quidem continuo proclives ſunt, ſed etſi clauſis oculis jaceant ac dormire videantur, tamen dormire placidè haud queunt, ſed *phantaſmatibus variis agitati*,

tati, brachia vel crura huc illuc inordinatè jactant, imo aliquando *vix horæ momentum silent*, quin varia acsi somniantes, secum obmurmurent, vel clament, ejulent, exiliant, & excitati ad levem tactum torvum intueantur.

Familiare verò solet esse hòc *vitii genus febribus malignis* laborantibus, vel *phrenitide* prehensis, & raró solitariè existit, *Willisio* teste.

Lethargus verò tanto sopore laborantes obruit, *ut vix excitari queant*; vel si à punctione, aut vellicatione acriori forsan oculos aperiunt, tamē *statim insensiles facti obdormiunt*, & si ita somno perpetuò indulgentes relinquantur, facillimè sopori consanguineo, Letho traduntur. Vel *cessante* tandē*malo* graviore *rerum omnium obliti*, etiam propria vel amicorum nomina haud recordantur. Imo qui leviter saltem fuêre affecti, *tantum in memoria deficiunt*, ut nuperrimè actorum immemores, eandem quæstionem multoties proponant, & idem agendum sæpius repetant. Adjungitur etiam non raró *respirationis tarditas*, *tussis*, *tremores*, *urina turbida*, *febricula* &c.

Carus tandem, ad Apoplexiam proximè accedens affectus, inevitabilem dormiendi necessitatem, & altum somnium, adeo junctum habet, ut etiam compuncti, aut durius *vellicati vix sentiant*; vel etsi magnorū labore tandem excitentur, (non enim neque sentiunt neque audiunt, nisi compuncti,) tamen haud loquuntur,

tur, etsi oculos aperiant, eos tamen statim rursus claudunt : sicque *sensu & motu abolito jacent*, cum *capitis gravitate* : *respiratione tamen libera & absque febre.*

Sic aliquando sed impropriè dicitur Carus, qui ab immodico usu spiritus vini, vel ebrietate nimia quibusdam accidit.

B. Cl. Ettmüller ab interna causa exortum Carum, levem dicit esse Apoplexiam.

Differt tamen *ab Apoplexia*, quod in hac invasio sit subitanea, & affecti neque excitari queant, neque ullum sensuum præbeant indicium, respiratioque etiam admodum lædatur.

Carus verò haud adeò repente invadat, respiratio etiam non adeo lædatur, nisi in Apoplexiæ aut morti proximis: sic & *carotici excitari adhuc paulisper queunt*, vel compuncti saltem adhuc membrum retrahunt.

Distinguuntur etiam *affectus soporosi à Syncope*. quia in hac pulsus ferè abolitus extat, brevisque hujus est duratio.

Aliquando soporosorum *affectuum prodromi* sunt habitus corporis pituitosus, *facies subtumida, pallida, ætas senilis, puerilis*, tempestas humidior, excretiones consuetæ suppressæ, *gravitas capitis*, *lassitudo totius corporis* &c.

Causa affectuum horum *immediata*, est tubulorum, vel meatuum cerebri, vel plurium

vel pauciorum obstructio, & succi nervei frustrata generatio, & transmissio.

Causæ mediatæ proximiores sunt *humores circulantes, visciditate & crassitie peccantes*, circulationem propterea haud liberè instituentes, & subtilissimis particulis destituti, vel subtili nerveo sufficientem materiam haud suppeditantes, vel vasa deobstruendo, eis liberum transitum denegantes: sicque liberum motum ubique sibi ipsis sufflaminantes.

Quomodo crassi humores, subtilissimis in copia generandis sint impares, & affectuum horum fiant causa materialis, de Apoplexia traditum reperies.

Inter *causas mediatas remotiores ex Naturalium* rerum classe, præ aliis affectibus hisce subjacet *Temperies* circulantium humorum, ex crassis, & lentis humoribus magis, quam subtilibus, hinc motus legitimi & velocioris ac debiti, expertibus, conflata; qualis senibus, & pueris non raro familiaris esse solet: cui ansam addere solent ex

Nonnaturalibus rebus Aër frigidus & humidus, autumnali tempori & vernali communis.

Ex cibis crudi, pisces, lacticinia, fructus horarii, legumina.

Potus uberior, repetita ebrietas &c. Et quomodo

modo reliquæ res nonnaturales ſimul lædere queant, vide de dolore capitis.

Ex Præternaturalium claſſe cauſam aliquando ſuſtinent *Febres continuæ*, & intermittentes, *Phrenitis*, *Hydrops*, &c. non tam ob maligna miaſmata, ob quam lentum circulantium humorum motum ſtagnationi ubique proximum: Quemadmodum hoc docere videntur Caſus, Ictus, ſanguinis irruptioni & extra vaſa ſtagnationi anſam non rarò addentes, & affectibus lethalem cauſam nonnunquam miniſtrantes.

Affectuum horum *Prognoſin* quod concernit, ſciendum, *Hippocratem* etſi generalem, tamen certam nobis reliquiſſe *Sect. 2. aph. 3.* ubi ſomnum tam, quam vigilias ſi modum exceſſerint, malum ſignum eſſe prædicat.

Et certum eſt, *ſomnum, quo profundior* & diuturnior, eo periculoſiorem eſſe, vel enim *Lethargum*, vel *Carum*, vel *Apoplexiam minatur*.

Dubii ergo *eventus eſt, etiam levior affectuum horum ſpecies*: Periculoſior tamen in Continuis, quam in Intermittentibus Coma ſomnolentum exiſtit, circulantibus humoribus à ſua ordinaria textura plus deviantibus, & ſtagnationi magis aptis in illis, quam in his: id quod & de reliquis ſpeciebus intelligendum.

Sic *Coma Vigil*, quia *Febribus ardentibus plerumque familiare* esse solet, propterea magis existit periculosum, quàm Coma somnolentum, si Febribus intermittentibus supervenit.

Sic *Deliria* in hoc malo *convulsiones in propinquo esse significant*. Terminari tamen solet *surditatis indicio*, & per abscessus post aures: non aliter ac Coma somnolentum: Vel quia plerumque est symptoma Febrium malignarum, iis sublatis, & ipsum cessat.

Lethargi Prognosis limite magis angusto clauditur, est namque malum omnium confessione acutum, cui ni celeriter succurritur, intra septem dies mors subsequi solet. Lethalis verò utplurimum esse solet, quando ægrum statim gravis & perpetuus torpor obruit, & tanto somno opprimit, ac Apoplecticum ferè, qui neque sternutatorio movetur, neque excitatur: Vel quando malo indies crescente, tremor succedit, urinis sponte fluentibus, discoloribus, aut jumentorum similibus, apparente sudore frigido circa caput, tendinibus subsilientibus, & insequentibus motibus convulsivis. Sic & *pessimum est signum respiratio tarda, cum ronchis magnis*.

Dubium eventum indicat, quando Juvenis *æstate corripitur*, si *urinæ* sunt *claræ*, & tenues, si *fluor alvi* accedit. Superato verò die septimo præsertim si à crapula, capitis Ictu &c. excitatum fuit malum, eventum minus funestum arguit:

arguit: Item si corpori prius sano & robusto accidit, *si primo insultu sensum & memoriam non penitus tollit*, si responsio adhuc obsequatur anhelitus liberior est, sternutatio frequens, cum narium aut oculorum stillicidiis evenit, & excretiones aliæ per os, aures, alvum, sudores, urinas, cum levamine succedunt, sic & per parotides aliquando finiri solet.

Carus vero quemadmodum prægressis profundior, ita periculosior esse solet.

Frequentissimus namque ejus *transitus est in Apoplexiam* lethalem.

Sic *perniciosissimum est malum*, *in declinatione Febrium continuarum* viribus exhaustis accidens, vel Febri malignæ, ac diuturnæ haud judicatæ, item Cephalalgiæ, Epilepsiæ, vel acceptæ contusioni, ictui &c. cum vocis, motus & sensus privatione, superveniens.

Interim, si circulantium humorum crassities haud adeo est magna, & dissolubilis, salutis spem superesse testatur *Rajm. Joh. Fortis*, qui nonnullos pro desperatis habitos, restitutos fuisse testatur.

Curatio affectuum horum unicè consistit in humorum, & quantis & qualibus peccantium emendatione, ægrique diligenti excitatione.

Vocatus namque ad ægrum Medicus, sopore gravi oppressum, omnibus modis excitare allaboret.

Sic ægri oculos ad radios solares, vel lucem splendidam dirigat.

In aures clamores frequentes proprii nominis impelli curet, vel tympanorum pulsationibus, tubarum sonitu, eos excitare tentet &c.

Naribus admoveantur *Spiritus Salis armoniaci*, *castoreum suffitus succini albi* &c.

Lingua & palatum inungantur theriaca, aquâ Apoplecticâ soluta.

Pedes fricentur cum *sale & aceto*, *scylla* addita, & *castorei oleo*.

Caput derasis capillis confricetur linteis, castoreo, Spir. ✱ci, & ▽â Anhaltinâ impraegnatis. Pili vellicentur fortiter : & acupuncturis vexetur æger.

Hisce parum juvantibus, & si à crapula, vel venenis aut narcoticis assumtis malum duxerit ortum, statim *vomitorium* propinetur. Vel si æger exsuscitari potest, propinetur tale purgans, v. g.

℞. *Resin. jalapp.* gr. xij.
Castor. pulveris. gr. x.
Salis Succini vol. gr. iiij.
Olei Succini gutt. j. mf. f. Pulvis pro dosi.

Vel & clysteres acriores, bis vel ter de die injiciantur. Sic

℞. *Herb. absynth.*
ruthæ. aa. m. j.

Rad.

Rad. pyrethri ℥iij.
Colocynth. in petia ligat. ʒj.
Decocto cum aqua facto q. s. adde
Infusi croci metall. ℥iij.
Vitelli ovi no. j. ms. f. clyster.

Interea continuò in usu sint attenuantia, & tenaces humores dissolventia, Spiritus confortantia, & liberum circulantibus humoribus motum restituentia, de Apoplexia & Epilepsia tradita &c. Vel &

℞. ▽. *hirund. cum castor.* ℥ij.
meliss.
fl. thiliæ aa. ℥iiij.
Ess. castor. cum Spir. ✳*ci facti.*
Succini meæ aa ʒiß.
Syr. cinamomi ℥ß. ms. & dentur singulis momentis aliquot cochlearia.

Vesicatoria etiam in nucha, & retrò aures non omittantur; vel & toti capiti raro applicentur, *Willisio* ita admodum commendante, & per experimenta demonstrante. Præ cæteris topicis maximum juvamen, inquit, vesicatorio amplo, ulcuscula plurimum manantia, in toto capitis ambitu excitante, collatum novi: Duos ego lethargicos post morbum diu protractum, & non solùm memoriam, sed & notitiam ferè omnẽ deperditã, ab hoc potissimũ remedio sanatos vidi: quippe in utrisque loca excoriata, cum iis cicatrix haud facilè obduceretur,

retur, ichoris tenuis copiam ingentem, nempè quotidiè circiter libræ semis profuderint.

Nec *sternutatoria* negligantur. Plura suppeditabit titulus de Apoplexia, quæ enim ibi fortiori malo debellando dicata sunt, plus hic in paulo levioribus malis præstabunt.

Quod si verò accidat, quemadmodum non rarò fieri consuevit, ut stagnatio, & coagulatio lymphæ in pulmonibus etiam accidat, tussimque & respirationem difficilem excitet, laudant plures *Balf.* 🜍 *therebinth.* gutt. v. cum *Syr. de jububis* ad lambendum sæpius exhibere.

In *Diæta* cibus sint juscula carnium, caponum, herbis cephalicis conditarum &c. *Potus* constet ex *Thea* vel *Coffe*, vel fiat decoctum ex *China, Sarsaparilla, Santalor. Cinamomo, cent. minor. card. bened. &c.*

Lues Venerea.

Est circulantium humorum major vel minor depravata dispositio, sive inversa textura, crassitie & corrosiva acredine conspicua, mediante coitu cum infectis, utplurimum contracta, & solidas glandulosas, carnosas, nervosas &c. partes non tantum, sed & solidissimas, ossa etiam exedens, & diverso modo corrumpens, innumera-

meraque graviſſima phænomena ſic inducendo , nec animam intactam relinquens, ſed varium ei dolorem deferens.

Subjectum ergo totus ferè conſtituit homo,tam enim fluidæ,quàm ſolidæ omnes partes,huic tyrannidi ſubjacent.

Sed cum plurima phænomena, Lui huic familiaria, cum illis, Lepræ & Scorbuti ſymptomatibus,ferê eadem aliquando eſſe ſoleant, & vix differant , niſi quod *per partes genitales* utplurimum,*mediante coitu* impuro *Lues communicari*,Lepra verò, vel Scorbutus diæta depravatâ mediante , per primas vias irrepere conſueverint :

Hinc *Signa* viam monſtrabunt, quibus Lues ab illis affectibus ſeorſim cognoſci debeat : Lepræ & Scorbuti phænomena ſuis titulis tradita extant.

Lues venerea vero , etſi ob ſymptomatum diverſitatem quibus ad prædictos affectus ferè accedit, ægrè aliquando cognoſcatur, niſi laborantis cõfeſſio accedat: tamen ex ſequentibus ſatis eluceſcet : & fiendi modus hic eſt :

Ipſo nimirum coitus actu,raræ & mollioris texturæ penis,(vel vagina uteri)fluidi nervei orgaſmo turgidus , poris ſic dilatatis, alterius infecti particulas, pro ratione ſuæ texturæ magis,minuſvè idoneas ſibi aſſociat. Remittente vero mox orgaſmo , concidentes rurſus tubuli

tubuli penis aliquando remanere illas particulas necessitant, subtilissimis partim dissipatis, vel regressis: illæ verò pro *corrodente sua vi carnosam virgæ substantiam adoriuntur stagnantes*, & nonnunquam glandem, præputium ac penem inflammatione & intumescentia afficiunt, *inque pene* disseminatarum glandularum *lympham variè inspissant*, & sic *gonorrhœam virulentam inducunt*, à gonorrhœa simplici notha, vix nisi causæ magis activæ, & corrosivæ ratione, differentem: vide gonorrhœæ simplicis nothæ subjectum, suo titulo.

Prout vero mulier, cum qua congressus institutus, *magis minus fuit inquinata*, & vir pro virgæ suæ, vel rariore, vel magis solidiore texturâ, magis minùs, particulis ejus venenatis, sive acrioribus excipiendis, idoneus: pro eo vel serius, vel ocyùs, lue corripitur: & pro majori acrimonia remanentis miasmatis venerei, loco tumoris, in glande pustula exoritur, cum liquoris virulenti, mox flavescentis, mox virescentis, rejectione: Pustula verò hæc sensim in ulcus degenerat, & indies latiùs & profundiùs serpit, accedentibus orificii callo & duritie.

Qui verò recutiti sunt, & cutem glandis magis induratam habēt, illi hujusmodi *glandis ulcere haud afficiuntur*, sed in eis gonorrhœa excitatur frequentius: Sensim vero puris acrioris continuo effluxu, urethra etiam excoriatur, unde urinæ stranguriam non solùm excitat, &

ardo-

ardorem inducit, ſed & circulans natura, novum advehens nutrimentum, & in deperdita carne reſtituenda occupatior, ſpongioſam ſubſtituit, quæ mole aucta carunculis meatum urinarium obſtruit, ut urinæ vix detur exitus: tandem hæc ſymptomata penem planè corrodunt, & incurvatum relinquunt, & ad ſemen ritè ejaculandum, ineptum reddunt.

Quando vero *Luis hujus concepta*, & in tubulis relicta miaſmata, diu haud relinquuntur, ſed *mediantibus* circulantibus humoribus, in ſpecie *lymphâ*, *ſurſum feruntur*, & *fluido ſimul nerveo ubique communicantur*, tum progredientis luis methodus aliter ſe habet.

Primis diebus infectus *ſentit laſſitudinem*, & *totius corporis torporem*, ingruente *vago artuum*, vel *capitis*, aut alterius partis dolore, tumque *faciei aliquando mutatur color*, *labia pallent*, *oculi circulo notantur livido*, virginum menſtruatarum inſtar, *facies inflatur*, *manus & pedes* ad tactum etiam hyemis tempore *plus ſolitò calent*. *Somnolentia* etiam, & *tamen inquietæ noctes* infeſtant, cum *ſegnitie*, *mærore* & *triſtitia*, abſque prægreſſa evidenti cauſa, non ut melancholicos, ſed ut torpidos ac laſſos, & ſic ſenſim magis magiſque ingruente lymphæ coagulatione, ſæpiùs *primò glandulæ in inguine tumore notantur*, & progrediente ſemper lym-

phæ

phæ coagulatione, & inde *inductâ glandularum* plurium externarum etiam, *cutis* scil. *obstructione*, *crustulæ*, *& porrigines*, variis in corporis partibus exoriuntur, instar favi ferè flavescentes, & mediante hoc signo à reliquis distinctæ;. quæ quandoque superficie latiore occupant varia corporis loca, non aliter ac Lepra. Quanto vero magis scabies ita diffunditur, tanto minùs æger excruciatur.

Ita vero *pedetentim incrudescunt symptomata, dolor vero præ reliquis*, qui tandem ita exacerbatur, ut etiam se in lecto æger continere nequeat.

Sic & *præ doloris causæ vehementia*, coagulantis scil. *acidi acrimonia*, nutritiæ ossium partes in excrescentias osseas, iis in equorum tibiis haud absimiles, degenerant, & in ossium tubulos, sic inductis corrodentibus particulis, ipsa *ossa cariosa redduntur*.

Imo plures aliæ partes, *phagædenicis afficiuntur* & depopulantur *ulceribus*, quæ fauces utplurimum primo aggredientia sensim obstructis palati glandulis, in cartilaginem nasi propagantur, quàm mox absumendo, faciunt, ut nasus fulcro destitutus planè concidat: & œsaphago exulcerato raucedo se jungat, pili defluant, glandulis & poris cutis erosis &c.

Atque hæc sunt Luis venereæ potissimum phænomena, quæ tamen non in omnibus

omnia

omnia ſunt obvia, ſed hic plura, alius pauciora experitur: pro diſpoſitione magis minùs apta; & contagio vel leviori, vel graviori, aut magis corroſivo.

Cauſa Immediata hujus mali, quod Veneris nepotuli momentanea ſibi contrahunt voluptate, eſt *glandularum*, *pororum*, vel & aliarum partium, plurium vel pauciorum, ut ex ſignis patet, *obſtructio*, & inde dependens *exeſio*, *corruptio*, & omnimoda inverſio.

Mediatam Proximiorem Cauſam inducunt *effluvia acida*, *corroſiva*, *mercurii ſublimati adinſtar*; ab infecta jam lue perſona emanantia; & *in orgaſmo venereo*, ſani alias hominis, *poros penis patulos ingredientia*; relicta verò, & in tubulis ac glandulis ejus ſtagnantia, vel corroſionem inibi ſaltem inſtituentia, & lympham adductam corrumpentia; vel ex tubulis illis ad reliquos circulantes humores delata, varia inibi depravata producta, conficientia, & varias obſtructiones & exulcerationes inducentia.

Eſt ergo *contagioſum* hoc malum, non tamen malignorum morborum modo, ſed *mediante*, interveniente que *impuro coitu*, in motum cieri opus habent corroſiva dicta effluvia, ut actuentur & communicentur: Propterea adulti, quorum fibræ jam ſolidiores, & firmiores obduruerunt, vix aliter affici queunt, etſi ſanus cum infecta ſimul dormiat; ubi è

 con-

contra *infantum rarior laxiorque textura, ab effluviis haud adeò tuta degit*, si nudi cum inquinatis in eodem lecto dormiant, teste *Sydenhammo*.

Effectum corrosivorum effluviorum coagulando & corrodendo se prodere, varia supradicta phænomena, bubones, ossium excrescentiæ, ulcera, & similia, luculenter demonstrant.

Romotiores aliæ causæ vix accusari queunt in generanda hac Lue. *Nullum* namque *temperamentum, nulla ætas* præ alia, prærogativa gaudet: Sic nec cibus & potus, quicunque is etiam sit, nisi à Lue infecta persona sæpius tangatur, vel saliva ejus inquinetur, hic causa esse possunt. *Sola Venus* mediante *impuro coitu* hic *causam ludit utplurimùm*.

Prognosis docet, mali hujus eventum varium esse, & vel magis minùs diuturnum, pro affecti constitutione, succorum suorum vel circulantium humorum ratione videlicet, puriori vel impuriori, & jam magis minus acida, acribusque particulis constructa.

Sic *difficilius* cedit *in temperie humorum pituitosa*, sive magis acida, quàm magis mobilibus partibus compaginata.

Difficilius etiam illi curantur, qui multis iisque gravioribus excruciantur symptomatibus

bus, utpote ulceribus, tophis, raucedine & similibus, vel si hydrops, profluvium alvi putridum, &c. se jungunt.

Gonorrhœa, quia à Lue venerea non nisi *loci ratione differt*, æquè grave est malum, ac ipsa universalis Lues, utplurimùm verò *steriles reddit viros*; viis & vasis seminalibus inversis, ut semen laudabile vel haud ampliùs generare, vel retinere; aut cum vigore ejaculare queant.

Difficilis etiam magis curatu est, si cum tumore penis, & exulceratione, & caruncuhis in urethra contingit; quàm si absque his affligit. *Solitaria* enim *gonorrhœa* liquorem sive *lympham depravatam semper evacuat*, quia lympha ex illis glandulis haud regreditur; sed excretioni jam destinata est.

In pene verò quia varia alia vasa circulationi dicata excurrunt, hinc illa miasmata recepta secum abripiunt, & toti circulanti massæ involvunt, & communicant.

Ulcera ani omnium *pessima esse*, & curatu difficilia, Practici confitentur.

Mulieres etiam *ob mensium effluxum minùs huic malo obnoxias* esse viris, uno ore contendunt: propterea illæ sanæ adhuc apparent, miasmate venereo, partium genitalium illuvie ita detento, ut segnius sanguinem invadat.

Sic & recutiti illis, qui glandem haud denudatam habent, minùs hoc malo afficiuntur.

Autumno item & *hyeme curatio* multò existit *difficilior*, quàm æstate, propterea in frigidioribus regionibus longè difficilior curatu etiam existit, ac in calidioribus, Gallia, Italia, Hispania &c.

Sic *Angli* aliquando ut ab hoc malo liberentur, *in Galliam migrare coguntur* non, ut *Sydenham* refert, quod Practici in *Gallia*, methodum, quâ hoc malum exstirpatur, meliùs calleant, quàm in *Anglia*; sed quod aër multò subtilior, & magis serenus, coagulationi magis aptus, multum ad curationem contribuat.

Si malum à gonorrhœa incipit, & quidem brevi à coitu, tum quia virus saltem circa genitalia existit, *facilioris est curationis*, neque hinc æger vehementi gradu excruciandus. Secus quàm si longiùs à coitu cum periculosioribus symptomatibus infestet, Lues vera, absque gonorr. ubi efficaciora requiruntur luis antidota.

Quando ergo hoc malum adhuc intra gonorrhϾ limites subsistit, neque omnis circulans massa contaminata extat, & particularis adhuc Luis nomine gaudere potest, hinc quia ab initio adhuc leve est malum, statim huc dirigatur.

Curatio, in qua *omni studio corruptam & acrem prostatarum lympham virulentam*, vel antequam virescit, vel cœrulescit, *corrigere* & ex locis his exturbare, intentus sit Medicus, antequam cum circulantibus humoribus univer-

versum corpus inquinatur, vel & prostatæ glandulosæ non tantùm, sed & urethra exulceratur, & carunculæ in hac excrescunt.

Sydenham Purgantibus hic *primas defert*, experientiam etenim sibi dictare inquit, morbum hunc à quolibet Cathartico, sæpe diuque exhibito, sanatum iri: ea verò hic præsentissima esse vult, quæ serum fortiter subducunt: propterea solâ radice jalappæ se pauperibus aliquoties subvenisse ait. Ego

℞. *Terebinth. opt.* q. s.
☿. *dulcis* gr. xv.
Resin. jalapp. gr. v.
Extr. troch. alhand. gr. iij. m. f. Pillulæ.

Vel ℞. *Tereb. Venet.* ʒß.
☿. *dulcis* ℈j m. f. F. Pillulæ. Quæ tam laxant, quam lympham virulentam corrigunt.

Harum & aliarum pillularum dosin *Sydenham* singulis auroris, hora quarta vel quinta, ita ut æger superdormiat, ad dies 12. 14. deglutire jubet, *donec & urinæ ardor*, & *materiæ seminiformis color flavus imminuatur*: quæ si pro voto successerint, satis esse autumat, si æger interjecto semper uno die easdem repetat, ad 2. adhuc septimanas: quo tempore elapso, sufficere dicit, si bis saltem in septimana sumantur pillulæ, donec humor ex urethra stillare solitus, prorsus evanescat, id quod utplurimùm non nisi *post multos dies* contingere asserit.

Quod si verò malum quis haud omninò deletum sentiat, vel catharseos molestiam declinare velit, nondum radicitùs extirpato malo, tum ex levissima occasione malum plenariè rursus recrudescere contendit.

Propterea, si post tot evacuationes, gonorrhœa nondum cedit, tum in illis, qui difficiliùs purgantur, loco pillularum Decoctum purgans subinde intercalare jubet, *ex Tamarindis, Fol. Senn. Rhabarb. manna Syr. rosar. solutivo* &c. Vel *Turbeth. mineral.* gr. viij. saltem bis vel ter (interposito spatio, ne ptyalismum excitet;) propinare præcipit, ceu remedium in pervicaciori gonorrhœa validum.

Aut si à toties repetito medicaminum catharticorum usu abhorret æger, *Enemata* bis de die injungit, semel saltem aut bis in hebdomade cathartico interno imperato.

Noctibus etiam singulis *Opobalsami* vel *Balsami veri è Mecha* gutt. 25. sacchari frustulo exceptas, sub lecti ingressu concedit; aut in ejus defectu *Therebinthinam Cypriam*, quantitate avellanæ substituit.

Hac methodo, inquit, quæ mihi semper pro voto cessit in gonorrhœa sananda, meliorem nondum comperi; maximè in iis, qui facilè purgantur: in iis verò, qui purgantur ægriùs, acuenda sunt Cathartica, & repetenda sæpiùs, inque eorum usu diutiùs perseverandum: etenim *Catharsis hic est instar omnium.*

Aquas

Aquas minerales, *acidulas*, ab aliis hic præscriptas, *vitare jubet*, cum adstringente vi pejora symptomata, utpote scroti tumores excitare soleant, *sive in principio*, *sive statu*, potentur.

Observatione namque frequenti se deprehendisse, inquit, materiam eliminandam, adstringentium vi in corpore detentam, maximum ægris dedisse malum.

Neque majore *cum fructu*, licet periculo minore, *Decoctum Lignorum usurpatum* se comperisse, dum partem affectam jam nimis incalescentem, ulteriùs adhuc inflammet: adeò ut gonorrhœam, quæ paulò ante evanuerat, se denuo revertisse notasset.

Sed *si cum gonorrhœa, glandis*, *præputii inflammatio* & *exulceratio* cum tumore, duro, calloso, simul adsit, *tum remedia purgantia frustrà exhiberi dicit*, nisi pars hæc affecta ad statum naturalem redeat, & durities ac tumor auferatur. Propterea fotum applicare jubet bis vel ter in die, ex *Rad. alth. lilior. alb. Fol. malv. verbasci, sambuci, hyosciami, fl. Chamæm. melilot. sem. lini, fænugræc.* cum aqua factum: Post fotum oleum lini inungere, & *empl. è mucilaginibus* superimponere præcipit.

Hæc vero dum peraguntur, non desinit *Catharticis*, & *refrigerantibus emulsionibus*, ac *Diæta* ex cibis boni succi, parce tamen in usum vocatis, (tantùm ut ægri vires non labascant) &

vino planè interdicto, hostem urgere, neque religioni ducit, quovis morbi tempore sanguinem ad ℥. IX. vel X. è brachio detrahere, præcipuè *quando scrotum*, ex gonorrhœâ maturiùs, ob exercitium vehementiùs, vel aliam ob causam, cessante, *in tumorem insignem attollitur*, prædicto fotu simul bis in die admoto imminuendum.

Atque hæc est *Sydenhammi* gonorrhœam virulentam curandi methodus, quæ an ubique conveniens possit esse; vel an non potiùs alia specifica viis urinariis vel seminalibus dicata eundem effectum meliùs sint præstitura, dubito.

Cùm enim malum hoc saltem à stabulante dependeat fermento in glandulosis prostatis, delatam lympham corrumpente, neque ad massam sanguineam adhuc virus suum extendente, vix credo opus esse, tot repetitis catharticis circulantes fundere humores, ut fusi, partimque per vias urinarias amandati, eluvionis saltem officium præstent.

Potiùs alia specifica, serosam circulantium humorum partem, ad vias urinarias derivantia, hinc possent esse ex usu, qualia sunt balsamica abstergentia, *ex therebinthina*, *Balsamo vero*, *de Copaiba*, utpote insignis hic admodum effectus, & in hac gonorrhœa specifici, usus, ad gtt. 30. cum vehiculo calido propinatus.

Vel si præstantius ac validius expetatur, posset

posset omnem paginam absolvere *Infusum cantharidum* supra de Ischuria commendatum. Vel & *ab Ettmüllero laudatum* euporiston, ex ☿. *vivo in aqua Decocto*, & Decocto manè & vesperi in usum vocato. Non tamen omissis supra dictis & sæpius reiteratis purgantibus: quibus si *præcipitatus viridis* adderetur, magis specificè operari deberent; etsi ab initio malum augere videantur.

Cl. Muys in sua rationali chirurgia refert, se sequentibus restituisse ægrum, *gonorrhœa ex impuro coitu contracta*, laborantem. Præscribit verò primò has pillulas:

℞. *Extr. cathol.* gr. 24.
☿. *dulcis* gr. vj.
Ⓓ ♂*iati* gr. v. ms. f. Pill.

Has Pillulas tempore matutino assumsit patiens, ac sequentibus diebus quinque, semel quotidiè jejunus hunc bolum devoravit.

℞. *Tereb. Venet.* ℥iij.
Rhabarb. pulveris. ℥j. ms.

Post iterum mox præscripta purgatione, & bolis usus, ut ante atque hoc pacto sanitatem adeptus fuit æger.

Pro præservatione commendat, ut mox à coitu *membrum virile propria abluatur urina.*

Si verò leviori malo ab initio neglecto, & gonorrhœa incuriè habitâ, in ipsam universalem Luem degeneravit malum, vel & absque

absque Gonorrhœa, acido-corrosivum virus ad massam sanguineam abreptum, lympham, nunc corrumpere incipit: tum duriori nodo cuneus itidem durior adhibendus.

Atque in hoc negotio *Salivationem* omnem hic numerum absolvere posse, supra laudatus *Cl. Sydenham* contendit, quicquid etiam alii tam docti, quàm indocti, de aliis sanandi modis temerè effutiant.

Consentientem verò etiam novimus *Hartmannum*, qui curationis fundamentum in ☿io collocat.

Neque *Sylvius* abest, qui in colliquefaciendâ coagulata lympha ☿io primas defert.

Omissa verò omni & *purgatione*, & *V. Sect.* ut sic nullis evacuationibus infirmat, salivationis impetum multò meliùs sustinere queant infecti, *statim ad inunctionem mercurialem* progreditur. Propterea

℞. *☿ii crudi* ℥j.
Axung. porcin. ℥ij. mf.

Tertia parte hujus simplicis unguenti, neque calidiori quovis oleo addito, fortè minùs efficacis redditi, præcipit ut *æger suis manibus, brachia, crura*, & *tibias ad tres noctes continuas perungat*: ita tamen ut neque axillas, neque inguina attingat, & abdomen panno laneo tenuiore, à linimenti contactu diligenter muniat.

Auro-

Aurorâ illâ, quæ postremam inunctionem proximè insequitur, exhibet *Turbith. mineralis* gr. viij. cum conserva rosarum.

Tum verò post tertiam inunctionem, vel saltem post assumtum *Turbith minerale*, gingivæ utplurimum intumescunt, & ptyalismus suboritur.

Jam vero id negotii Medico tantum esse, inquit, ut salivationis gradum scrupulosè expendat, ne salivationem reperitis salivantibus eo usque evehat, ut æger de vita periclitetur.

Ubi ergo ptyalismus statutum tempus fuit adeptus, (in quo nycthemeri spatio utplurimum libræ quatuor expuuntur,) & symptomata, etiamsi parcius expuat æger, evanescant, (quod plerumque contingit post quartum diem à statu salivationis,) *tum indusium & lintea*, aliis, quæ tamen post loturam usurpata ab aliis aliquandiu fuerunt, *permutanda sunt*: *ne priora ista unguento infecta salivationem* magis, quam ægro expedit, *intendere*, & longius protrahere fortè *queant*.

Si verò salivatio prius elanguescit, antequam symptomata penitus disparuerunt, tum eam subinde exstimulare præcipit ☿*io dulci* ad ℈j. pro dosi exhibito: solet vero finire intra quindecim utplurimum dies ordinariè.

Convalescente nunc ægro, (ubi tamen os adhuc exulceratur, veluti ptyalismi genuino fructu,) tum salivatio, quæ indies imminuitur,

neg

nec purgatione, nec alio quovis modo sistenda, neque *lignorum Decocto* exsiccanda est: quemadmodum consuetum aliàs est nonnullis, qui Mercurium è corpore rursus omni studio eliminandum esse volunt, forte ut putant, post salivationem relictum.

Sed longè consultius esse contendit *Cl. Sydenham.* ptyalismum promovere *Mercurio dulci*, semel in hebdomade exhibito, *etiam postquam omninò convaluit æger*, & jam sub diu versatur rursus; quam eundem purgantibus datis, præmaturius inhibere, & recidivæ ansam addere.

Nisi quando salivatio eousque in statum est evecta, *re malè gesta*, ut æger de vita periclitetur, *tum necessarium ducit cathartico ingesto ptyalismum ad eum gradum deprimere*, ut cùm ægri tolerantia procedat, & sic effectum suum ritè absolvat.

Sed licet jam laudata methodus in plerisque optimè cedat, ut inunctione per tres noctes continuas, & exhibito *Turbith minerali* aurorâ ista, quæ postremam excipit, *Mercurio* item *dulci* ad vices aliquot ptyalismo fatiscente, exhibito lues abeat: *reperiuntur* tamen aliqui, *qui* cùm *ægrè purgentur*, etiam *ægrè ad ptyalismum perducuntur*, adeoque ut laudata methodus vix gingivarum exulcerationem efficere queat, multo minus salivationem procurare, quæ malo eradicando par sit.

In

In his cavendum, ne, naturâ recalcitrante, *salivatio urgeatur* : quoniam salivationis loco ventris tormina, dejectionesque dysentericæ, vel dolores ventriculi, sudore frigidi, horrendaque alia symptomata contrahi possent, vel ad interitum ægri deduci.

Quamprimum ergo tale symptoma inunctionem succedit, statim desistatur ab inunctione, donec planè rursus remiserunt symptomata.

Tum verò leniùs procedatur, & ☿ *dulcis* ℈j. semel aut bis in septimana exhibeatur, vel per se, vel cum *Diascordii* ʒj. si in diarrhœam æger propensior sit, atque sic tandem, *etsi ptyalismus ad plenum statum* ita *nunquam assurgit, æger copiosius tamen*, quam pro more solito, *expuet*, & fœtor justæ salivationis comes, imminutiorem hanc salivationem haud destituet : notat enim humores eam alterationem attigisse, quæ tandem expugnando malo insistat, eamque debellare, concesso debito temporis spatio, sufficiens existat.

Hæc methodus quemadmodum expeditior est, cùm neque tot dies corpori ante salivationem præparando inutiliter insumendos, nec frequentes istas purgationes, aut Decocta solennia post salivationem, ægris imponat; ita certissimus sum, eandem longè faciliorem esse, & minus periculosam, nec recidivæ amplius obno-

obnoxiam: Mihi saltem ex animi voto successit in quamplurimis.

Sed *si accidit*, quemadmodum sæpius fieri solet, *ut gonorrhœa præsente*, *malum ulterius serpat*, & sic totum corpus occupet, atque universalis lues cum particulari concurrat: tum *salivatione*, *universalis prius lues*, *eradicetur*, & quoniam gonorrhœa salivatione interim non cedit, utpote particulari in parte nidum suum nacta, *hinc*, postquam majus malum debellatum fuit, *gonorrhœa*, prægressa salivatione, paulisper subacta, *minori cum negotio expugnari potest*, methodo supra commendata.

Quæ tamen non instituenda, neque catharticis res aggredienda est, donec omnis salivationis reliquiæ evanuerunt. Postea *Turbith minerale* semel aut bis in hebdomade in usum veniat: cum hujus vi non solum aliquantulum promoveatur ptyalismus, sed & materia gonorrhœam constituens, paulatim excernatur.

Symptomatis ratione, *exulcerationis oris* videlicet, quæ unicè salivationi, quoties more solito administratur, accidit, eluatur sæpius os *lacte calido aquæ permisto*, vel *radic. althææ & sem. cydon. Decocto*; adstringentia verò vitentur.

Sanè, si dolor & exulceratio oris arte aliqua protelari possent, haud multo molestiorē fore morbi hujus curationem, quam est alio-

rum

rum aliquot longè minus famigeratorum, contendit *Cl. Sydenham.*

Nullas alias præter ſupra dictas *cautelas* Author Cl. ponit, ubi è contra alii obſervari volunt, *ne hanc curam*, per ſalivationem videlicet, *inſtituamus in illis*, *qui angina* infeſtantur, *vel* qui *aliis oris ulceribus fuerunt obnoxii*, nec in iis *qui tremore*, *paralyſi*, *hectica* jam ſunt affecti.

Quod *ſi* vero tandem *finito ſalivationis actu*, ulceribus oris rurſus ſanatis, *non omnino ceſſent ſymptomata*, tum *reiteranda cura* de novo: modo ſupra notata ſymptomata haud contradicant, & reiteratam inunctionem reſpuant.

Diætam durante hac cura quod concernit, ea conſtet ex cibis boni ſucci, moderatè in uſum vocatis, ita tamen, *ut naturæ circulanti*, *& cum veneno confligenti*, *animum & vires addat*, ne tanto oneri ſuccumbere cogatur.

Propterea præter *juſculum avenaceum*, *panatellam*, *lac cereviſiatum*, *juſcula* etiam è *carne pullorũ*, *vitulorum* &c. mediocri quantitate concedantur. Et quando gingivarum tumor eouſque ſubſedit, ut dentes rurſus obfirmati paulum extent, tum *pullorum*, *agnorum* &c. *carnes parca manu dentur*.

Interea vero dum ptyaliſmo expugnatur hic morbus, & non diaphoreſi, licitum eſt vel *in lecto ſe continere*, *vel ad ignem*, aut in *hypocauſto*

pocausto calido, sedere, non enim necessum est, ut æger nulla necessitate urgente, nimio mactetur calore.

Cùm primùm ad praxin chirurgicam me accinxissem, refert *Hildanus Cent. 5. Obs. 97.* diu in ambiguo fui, *an prægnantes, & pueri lue infecti*, sine discrimine sanitatis aut vitæ, *per illinitiones mercuriales sanari possent?* Nodum hunc tandem mihi solvit *Massa*, qui id sine periculo fieri posse asserit *lib. de Lue vener.*

Idque verum esse experientia propria confirmavit: Mulier gravida infantem 20. mensium lactans, lue inficitur: huic præscribo *apozema alterans*, & *syrupum magistralem* purgantem, quo dum utebatur, infans simul purgabatur. Satis purgato corpore, (etsi hoc non opus fuisset ex principiis supra traditis,) articulos semel in die, ad salivationem usque, sed lenissimè inungere jussi, unde infans, etsi non inunctus, multum pituitæ expuebat: quare ablactari jussi, ne amplius vapores Mercurii, (vel Mercurium ipsum,) à matre susciperet: Sic feliciter mater & infans convaluerunt, & post sex circiter menses infantem sanum peperit.

Præter hanc verò luis *mediante salivatione*, curandæ, methodum, *datur alia per sudorifera specifica*, utpote *lignorum Decocta* &c. curandi ratio, quæ hunc in modum instituitur.

Primo si corpus, vel primæ viæ, crudi succi copia repleta sentiuntur, datur tale purgans: v.g.

v.g. ℞. *Extr. catholic. vel helleb. nigr.* gr. x.
☿. *dulcis.*
Cinnab. ♁. aa gr. vj.
Resin. jalapp. gr. v. cum syr. rosar. solut. fiant Pillulæ pro dosi.

Corpore sic paulisper ruditatibus superfluis liberato,

℞. *Ligni Sancti* ℥iij.
Cortic. ejusdem ℥v.
Sassafras ℥j.
Sarsæparill. ℥ij.
☿ *vivi in petia ligati.*
♁ *crud. in pet. ligat.* aa. ℔. j.

Incisa incidenda coque in aqua mensuris 12. in olla cooperculo, foraminulo prædito, clausa, ad tertias.

Vel ℞. *Ligni Quajaci raspati* ℔. j.
Liquirit. rasæ ℥j.
Aquæ font. mensur. 4.

Stent per noctem infusa, manè leniter coquantur per 6. horas, vase clauso, donec una tertia pars aquæ decocta extet.

Hujus simplicis, vel illius à *Zuvelfero* tam laudati Decocti, detur ægro singulis diebus manè haustus ad ℥vj. calidus, & tum sudor proliciatur, vel in lecto ad hoc opus parato, ut igniti carbones submitti queant, vel in hypocausto calido: primo die per dimidium horæ spatium, altero per tres horæ partes, & sic

 ascen-

aſcendendo ad duas horas, pro tolerantia tamen ægri, vel ſemel, vel bis in die.

Peracto ſudore linteis calidis abſtergatur æger, & confortans detur, aërque paulo liberior concedatur, imprimis à meridie.

In hoc vero Decocti ſudoriferi uſu perſiſtendum ad 30. 40. & ultra dies, & ſic facilè malum non admodum inveteratum; cui hæc cura ſaltem dicata eſt, cedet: ſed ſi ſemel in die ſudant, ac malum pertinax, 60. dies aliquando requiruntur.

In quibuſdam verò, Decocta hæc loco ſudoris urinam propellunt, & quoties notamus, ægrum difficilius ſudare, copioſius autem urinam tum craſſam, tum ſedimento multo & laudabili plenam excernere, tum nulla vi ſudor propellatur, ſed ex urinæ expulſione curationem expectet. Et tum non erit extra rem, Diuretica admiſcere Decoctis, vel ea ſubinde ſeorſim aſſumere.

Si Lue correptus ad Hecticam inclinet, Decoctum fiat cum jure gallinæ vel caponis, addendo *Quajaco Sarſaparillam*. Poſtea pro Potu ordinario detur *Decoctum chinæ cum paſſulis*. Sudent verò hi de die ſaltem ſemel: In aliis vero magis ſucculentis etiam bis de die ſudor injungi poteſt: atque ſic cura abſolvitur breviori tempore, ut intrâ 14. vel 20. dies nonnunquam cedat malum nondum admodum confirmatum.

Si

Si cum jusculis Decoctum sit, non plus paretur, quàm una vice vel ad summum duabus vicibus assumi debet, cum facile acescat.

Cum aqua vero si fit, ad quatuor dies durabile existit.

Oportet vero, ut Decoctum exhibeatur tam diu, donec omnia symptomata sint ablata, & licet interea temporis æger admodum macilentus fiat, tamen post curam mox rursus pinguescit.

In *Diata* saltem concedantur ea, quæ optimi sunt nutrimenti, ut *juscula consummata, pullorum, gallinarum, caponum, cremor hordei* &c. moderatè tamen propinata. *Potus* constet *ex china, sarsaparilla, santalo, passulis* &c. & vino assuetis moderatus ejus usus haud omninò est denegandus.

Motus sit moderatus, ante utrumque pastum, quovis modo procuratus. Alvus servetur aperta, modo lenientibus, modo clysteribus.

Si Bubonibus glandulæ

in inguinibus, obstructione scilicet & tumore notantur, tum præter curam sudoriferam, ad majorem discussionem, & stagnantis lymphæ resolutionem, imponatur Emplastrum tale: v. g.

℞. *Gummi Ammon.*
galban. aa. ℥iiij.

aceto solutis, expressis, & rursus inspissatis adde

Empl. diachyl. simpl.
de melilot. aa. ℥iiß.
Bals. 🜂 *Ruland.* ℥j.
Terebinth. ℥iß.
Ceræ ℥ij. F. s. a. Empl.

Sed si dolor magis excruciat, prius demulceatur mediante hoc cataplasmate, v. g.

℞. *Flor. meliloti.*
verbasci aa. m. j.
Farin. alth.
fœnugræc. aa. ℥ij.

coque cum Decocto Quajaci in formam cataplasmatis, cui adde

Axung. anat. vel anserin.
Ol. anethi aa. ℥j. ms.

Si verò Bubones magis ad maturitatem, quam discussionem inclinare videntur, tum jam dictis, cataplasmate, & emplastro maturanti, aperiantur lancertâ, ac tum mediante unguento maturativo, ac empl. oppodeldoch, ad sanationem perducantur.

Tophos ossibus adnatos resolvit *Empl. de ranis cum* ☿*io.*

Verrucæ *spiritu nitri* removentur.

Et aliæ cutis pustulæ, vel scabies superficialis, optimè cedunt cingulo mercuriali.

Mania,

Mania, Raserey/Tollsucht.

Mania est crudelis animæ passio, cum actionum ejus plurium, vel sensuum omnium perturbatione, præprimis delirio, cum audacia & furore, absque tamen febre à texturæ-pororum cerebri, & vasorum ejus inversione, & circulantium humorum nimia crassitie, & acrimonia ignea, dependens.

Subjectum est cerebrum, cum omnibus suis tam passivis, quam activis incolis.

Signa ut in definitione, sunt *delirium perpetuum, cum audacia & furore, aspectuque horrendo*, hinc cum ferocia quæcunque arripiunt objecta, ea, si libertas conceditur, dilacerant, vel in proprium etiam corpus desæviunt, & absurda plura omni pudore deposito peragunt.

Hæc omnia comitantur *vigiliæ continuæ*, & *stupendum corporis robur*, quo etiam vincula, fores, muros &c. incredibili cum robore confringunt.

Frigus nudi etiam *haud sentiunt*, & vulnera aut verbera, fustigationes, nec jejunia noxam eis inferunt sensibilem, dies noctesque

 absur-

absurda multa fabulantur, vociferanturque, mox in risum, mox in mœrorem vel timorem inanium rerum labentes &c.

Causa immediata est texturæ --- *pororum cerebri*, & vasorum ejus maxima perturbatio & *inversio*, unde objecta externa animæ absurdè admodum præsentantur: non secus ac in speculo variè inæquali, quæque objecta horrenda, nobis perversa & terribilia apparent.

Ob causam vero intus crudeliter excruciantem, ipsa apparent animæ, ac si cruciatus inferrent, quos homo in bestiam metamorphosatus, removere volens aggreditur objecta.

Causa mediata proximior est massæ sanguineæ, sive humorum circulantium crassities, in specie vero fluidum nerveum admodum igneum sive elasticum continuo vellicans, & stimulans, nervosque expandens, & in continuo detinens motu, *unde vigiliæ perpetuæ*, *stupendum robur*, *calor igneus*, & alia plura phænomena originem trahunt, non aliter, ac convulsionibus tentatis accidit.

Fluidum sive subtile illud nerveum, cũ lympha, alias spirit⁹ naturalis nomine veniẽs, naturaliter constitutũ *constat ex particulis purissimis salis alcalici volatilis*, *aqueis purissimis particulis solutis*, & mediantibus cerebri innumeris glandulis

dulis ab aliis circulantibus humoribus sequestratis, & separatis.

Motus ejus dependet à reliquorum circulantium humorum motu, quo alterato, vel impedito, hic liquor in suo motu simul sufflaminatur. Vide de his egregiè disserentem *Cl. Bontekoë* in tractatu de vita, morbis, & morte hominis *p. 97. 98. &c.*

Naturali jam liquoris hujus indole cognita, facile concludere licet, in quo præternaturalis consistat. Hanc in acido-oleoso consistere, admodum probabile nobis videtur, sunt enim hæc ignis constitutiva principalia, quibus *nervos esse tensos*, & *semper quasi leviter convulsos*, designat effectus.

Causam ergo proximiorem liquoris hujus vitiosi latere in sanguine, veluti natalibus suis, apertò hinc constat: quomodo verò & quibus mediis M. sanguinea reddatur vitiosa, & acida, ut huic malo ministret ansam, docebunt

Causæ remotiores: inter quæ ex Naturalibus rebus primum tenet locum, *Temperamentum ex particulis acidis*, sed volatilioribus, veluti *activis* magis, & crassioribus aliis passivis, aqueis, terreis &c. combinatum, vulgò temperamentum calidum & siccum.

Ex enumeratorum mixtura singularis oritur Massæ Sanguineæ textura, & pororum configuratio, quæ levi errore coarctantur magis,

magis, & vario alio modo alterantur, (unde tum subtilis æther, ob poros præpeditos, motum suum haud liberè satis exercet, unde particulas præprimis leviores igneas confusè agitat, & sic calorem igneum excitat, qui tum ulteriùs promovetur per *Nonnaturales* dictas *causas*, inter quæ quomodo cibus & potus ansam ministrare possint, vide de dolore capitis &c. ubi & reliquarum rerum nonnaturalium causas, huc symbolum conferentes, designatas reperies: præter quæ tamen hic in specie aliquando *Philtra*, & *singularia alia venena*, locum etiam inter causas remotas sibi sumunt,

Prognoseos ratione hic notetur, quod *Mania quidem rarò sit lethalis*, curatu tamen admodum difficilis, inprimis ubi jam altas egit radices: quis etenim S. Massam vitiosè contextam integram tam leviter restituet, & tot innumeras, & quidem varias particulas vitiosè situatas, & dispositas, legitimè tam citò disponet.

Ubi tamen *hæmorrhoides*, *& varices superveniunt, bonum omen denotant*, & ubi delirium somnus adhuc sedat.

Sed *ubi vigiliæ sunt pertinaces, malum* significant, tandem vero ferocia cessante viribus remittentibus, *stultitia remanet*, vel ad tempus quandoq; cessat, donec æthere quodam peregrino accedente, & poros molestante, denuò recrudescit malum. *Cu-*

Curatio mali hujus curatu admodum difficilis primario fundari debet in restituenda, & corrigenda, & ad naturalem suum statum reducenda integra Massa sanguinea; ut tum exinde rursus laudabilis segregari queat liquor nerveus, animæ actionibus haud contrarius, sed illis promovendis blandus & amicus.

Ex primo præsidiorum genere *Veteres omnes spem in Vena Sectione posuerunt*, ignorantes veram intentionis suæ causam, siquidem principalem ejus effectum in caloris ignei refrigeratione posuêre: Ast *Venæ-sectionem sanguinem haud refrigerare posse*, de phrenitide notatum reperies, non enim hoc modo ignis alteratur, vel aboletur, quando aliquam saltem ejus partem aufero, sed pro alicujus ignis extinctione requiritur, ut omnes ejus scintillulæ etiam suffocentur, ne denuò accendatur ignis.

Prima ergo intentionis meta, ad quam *Venæ-Sectionem* hic collimare autumamus, hæc est, *ut sensim omnis sanguis educatur vitiosus*, quo sic diæta alterata & convenienter instituta, planè alius chylus & sanguis corpori sensim ingeneretur.

Hoc est, circa quod Veteres occupati fuêre: *per repetitas namq; V. Sectiones* mox in brachio, tum in fronte, dein pede, & sic vicissim, atque sic multis vacuationibus malum exhauserunt; quod etsi plerosq; non docuisse, aliquos etiam improbasse sciam. *Platerus Tom.* 1. *cap.* 3.

inquit, *longa* tamen *observatione*, *innumeros hac ratione ſanatos fuiſſe*, ab iis, qui ex profeſſo ſanandis hiſce morbis operam dabant, cognovi: qui vicies, ſexagies quoque venas tundendo, inſanos penitus, vel melancholicos ita reſtituerunt, ut poſtea incolumes adhuc longam vitam vixerint; qui *in vena certa eligenda nil laborarunt*, ſed nunc brachii, nunc pedis, hanc illamve, nunc alibi ſine diſcrimine aperiebant: quod remedii genus nos quoque minimè negligere debemus. Hæc ille.

Notamus ex his, quod *deſperato malo deſperatum ſimul remedium* ſit applicandum. In leviori quidem malo, ubi alia generoſa remedia fundum mali exhaurire poſſunt, Venæ-ſectionem minimè probo, quia *vix novus ſanguis ad tantam pervenit perfectionem*, qualis ille fuit, qui tot circulationibus depuratus, exaltatus & obfirmatus devenit.

Sed ubi ſanguinem in integrum depravatum, & omnes corporis actus depravantem obſervamus, tum meliùs erit anceps experiri auxilium, & quidem experimentis plurimis comprobatum expertum, quàm nullum, vel itidem dubioſum aut invalidum aliud.

Ejuſdem conditionis cum V. Sectione ſæpius reiterata eſt in hoc malo deſperato *ſanguinis transfuſio*, hac ratione itidem texturæ Maſſæ circulanti vitioſæ ſubvenitur, immittendo, & immiſcendo hominis ſanguini vitioſo, vituli

vel

vel alterius animalis ſanguinem, unde tum ex texturis diverſis ſe apprehendentibus, tertium quid emergit, unde mali fit alteratio vel & curatio; exemplum habet *Denysi Phil. & Math. Prof. Pariſ. in epiſtola de transfuſione ſanguinis, & Chirurgia infuſoria.*

Validum item & magnum remedium præbet *Cauteria actualia.* Sic *Dodonæus* cauterio poſito in nucha, Maniacum ſanatum vidit. *Severinus l. de efficaci medicina*, v. imò vij. cauteria furioſis felici ſucceſſu admovit.

Quod expertus ſum magnoperè contuliſſe, eſt *cauteriorum genus*, inquit, nam ſi fiat, *cauterium*, & apertum detineatur, vel *in nucha*, vel *ſupra ſuturam coronalem*, certè utile eſt, quia vapores acres & fervidi per ea foramina diſſipantur, & educuntur, ſed non ſolùm cauterium unum vel alterum in capite juvat, ſed ſi ſit etiam *in ambobus & brachiis*, & *cruribus*, mirificum adjumentum afferunt.

Et ego ſcio hic Patavii, nobiliſſimum juvenem furentem, poſt infinita remedia, tandem rediiſſe ad mentem, uſu quatuor cauteriorum, in brachiis & cruribus; *Mercurialis l.* I. *c.* 16. *habet.*

Sic nos ad præſentem diem uſque, tres inſanos curavimus, uſu cauteriorum, maximè in capite, circa Suturam coronalem & ſagittalem, qui verè erant amantes; *Ferdinandus Epiph. hiſtoria* 91. refert.

Porrò *Sevtrenus med. effic. p.* 84. ſe vidiſſe ſcribit empiricum, qui ad locum ſuturæ coronalis & ſagittalis medium, deraſam cutem ſcalpro obverſo diſſidiſſet, uſque dum os occurreret, & conſervato diu ulcere nonnullos liberaſſet.

Sat teſtium, cauteria in hoc malo remedium eſſe Herculeum: cauſam verò veteres minimè penetrarunt, ex qua tam *promptus effectus*, quem his noſtris diebus *à penetrantiſſimis* veſicatoriorum, vel cauteriorum *particulis alcalicis volatiliſſimis* dependere cõperimur, hic etenim pori & vaſa penetrantur, & contenti liquores acidi corriguntur, ut motum expeditè rurſus abſolvere eis liberum ſit.

Veritatem expeditæ activitatis & penetrationis, pauca *cantharidum* grana applicata quandoque demonſtrarunt, ubi poſt applicationem per urinam ſanguinem exiiſſe Practici notarunt; evidenti argumento, *particulas ſalinas volatiles cantharidum*, per poros ad circulantem devolutas eſſe ſanguinis maſſam, & talem inſtituiſſe alterationem & attenuationem, ut etiam aliæ particulæ, quibus ante non poſſibile fuiſſet poros renum penetrare, jam eos tranſierint.

Poſt fontem Chirurgicum, quem hic exhauſimus ferè, ad pharmaceuticum fit tranſitus, ex hoc primum locum *vomitoria* tenent, id quod *Cl. Ettmüller in Praxi* teſtatur, qui radigem curationis in vomitoriis validis & gene-

mis consistere asserit, quæ nos hic ex ōio depromimus, quæ si non sufficiunt, cum *helleboro* combinanda sunt, ut sic quovis modo humorum coagulationi dissolvendæ instituatur, tum verò ad alia validiora dissolventia, & quietem promoventia fiat accessus, ex quibus plurimos Cl. Practicos *Opium* commendare, & extollere observamus.

Helmont. contrariam fovet sententiam, ac insigniter eos errare *libro de Lith.* scribit, qui Maniam opiatis compescere intendunt: Amentia vel Mania, quoniam nil sit præter somnium vigilans, *Opium* verò in se sit amens, hinc amentiam augentibus maniam curare velle, absonum esse credit: præterea etiam quod magna requiratur dosis opii, cùm minor nil efficiat, & quæ sunt aliæ ejus querelæ.

Sed si respectum habemus subjecti Mania laborantis, & in constitutiva ejus inquirimus, num sanguine antea sanus volatili, bilioso, & sero minus perfuso degat, vel an contrarium observatum fuerit, tum facilè decisa erit lis.

Cùm enim opium constet ex particulis volatilibus oleosis penetrantissimis, hinc iis minus quidem conducere probabile esse videtur, qui sanguine bilioso dicto, seroque minùs abundante gaudent, quàm qui contrario modo se habent.

Sed si mali hujus causam proximiorem Ma∫-

sæ videlicet sanguineæ crassitiem, in quavis Mania consideramus, tum particulas opii volatiles oleosas solventes non malè illi applicari concludimus. Præmissis tamen priùs præmittendis, & igneis particulis liquoris nervosi priùs cicuratis: id quod optimè præstabit *nitrum* vel crudum *vel antimoniatum* in potu copiosè solutum, ceu diureticum, & dissolvens, ac temperans præstantissimum.

In Opii exhibitione gradatim eundem, à minori dosi ascendendo sensim, commodè tamen ei jungatur *camphora*, ceu penetrantissimum attemperans, & narcoticum simul, de quo *Cl. Ettmüller*, *Comment. in Schröd. de camphora* testatur, quod in deliriis, melancholicis & Mania, præmisso vomitu rarò falliat, cum saccharo, vel arcano duplicato remixta.

Præter hæc ad specifica accurrunt Practici, in ea tandem omnem spem locantes, inter quæ apud plurimos invenimus *sanguinem asini arteriosum*, in mactatione *retrò aures collectum*, fortè propter Sal quod continet volatile, cui forsan meliùs substitueretur ipsum ⊖. *Sang. volatile. B. D. Michael* tamen se S. hoc Maniacum curasse asserit in hunc modum: *Sanguinem* dictum *asini linteis excepit*, quæ siccata ad usum reposuit, tempore

re usus linteum sanguine imbutum *aquæ anagallidis & fl. hyperici* infudit, quam tinctam propinavit aliquoties: Alias sanguinis exsiccati, vel recentis Dosis est ℥j. per se, aquis tum pro vehiculo affusis.

Quercetanus extollit *Decoctum anagallidis fl. phœniceo*, quo mira se præstasse scribit: Poterit in usum venire pro potu ordinario, cum sero lactis, acidulis & similibus.

Cl. Dolæus sibi pro arcano communicatum dicit, *succum pullorum hirundinum* ad ℥j. in *aqua anagallidis* bis vel ter propinandum.

Externa quoque raso capiti applicata hic alii multum laudant, inter quæ alii *gallinam nigram* vivam, alii *hirundines* dissectas calentes applicatas, ceu experta commendant.

Mihi aliquando à Nobili, qui id magno emerat pretio, communicatum fuit hoc, v. gr.

℞. *Radic. angelic.*
Cinamomi.
Macis.
Caryophyll. aa. ℨij.
Cubebar.
Galang.
Granor. paradys.

Croci

Croci aa. ʒj.
Thuris albi.
Camphoræ aa. ℥j.
Myrrh. r.
Asædulcis aa. ʒiß.
Sem. papav. alb.
Nucl. persicor.
Bacc. juniperi aa. ℥ß.
Herb. majoran.
Fl. rosar. r.
Lavendul. aa. m. ß.

Pulverisata omnia cum s. q. ▽. *ros.* & *album. ovor.* misceantur, fiatque cataplasma pro usu, quod servetur clausum.

Hoc q. s. alutæ inductum, capiti raso toto ita applicetur per medium divisum, ut Sutura sagittalis per medium caput excurrens aperta maneat: Fasciis verò probè muniatur Cataplasma, & patiens observetur ne avellat.

Maneat verò hoc primum Cataplasma per novem dies ita impositum: postea remove, & adhærentem exsiccatam materiã abrasam reliquæ remanenti massæ commisce, & ▽ *rosar.* si opus, dilue, ut alutæ induci rursus queat.

Tum alterum hoc cataplasma maneat in capite, per tres septimanas, nec auferatur, etsi Mania cessasse videatur.

Ne verò interea temporis cataplasma capiti impositum nimiùm exsiccetur, alternis dieb⁹

super

super caput irroretur ▽ *a rosarum*, ut sic semper humidum maneat.

Interea, dum Cataplasma capiti ita applicatum continuò tenetur, æger suffiatur capite munito, ut vapor penetret, sequentibus, v. gr.

℞. *Thuris alb.*
Succini alb. aa. ℥ß.
Rad. helen.
Angelic.
Camphor.
Myrrhæ r. aa. ʒj. mſ.

De hoc pulvere pugilli tres injiciantur carbonibus; ut sic patiens fumum excipiat capite munito, per os & nares.

Collo verò appendantur interim hæc in nodulo. v. gr.

℞. *Rad. Angelic.*
Camphor.
Asæ dulcis.
Thuris. aa. q. ſ. Fiat nodulus.

Ut odorem hunc æger continuò naribus excipiat.

Tandem si statuto tempore Cataplasma removendum, fiat lixivium *ex cineribus Rorismarini*, cui *mentha*, *chamomilla*, *majorana*, *lavendula*, *fl. hyperici* &c. imposita sint per dies tres: Cataplasmate tum remoto, lixivio hoc lavetur caput: tunc verò tegatur integumento præcedenti suffitu perfumato.

In *Diæta* vitentur carnes salitæ, suillæ præprimis, ac vaporosa omnia, cæpæ, raphanus, rapæ, & legumina varia.

In Potu vinum omne exulet.

Emplastrum remotum fluenti aquæ injiciatur.

Præter hæc *severior disciplina, vincula*, & *verbera*, Maniacorum sunt necessaria requisita, quibus cicurantur furiæ, & anima elatior supprimitur.

Melancholia.

A Mania saltem gradu minore distat, & *Est Animæ singularis passio, à texturæ pororum cerebri & vasorum ejus inversione, sive depravata dispositione fluidum nerveum, pro actionibus animæ ritè obeundis, nimis crudum transmittente: hoc verò objecta animæ admodum irregulariter deferente, & delirio sive phantasmatibus variis absurdis, absque tamen furore & febre, laborantem afficiente, enata.*

Subjectum sunt animæ omnia organa, rationi destinata, tam *activa*, ut fluidum sive subtile *nerveum*, quàm *passiva*, ut varii *cerebri & nervorum tubuli, & glandulæ.*

Signa per se manifesta, sunt Delirium, phantasma-

tasmatibus variis innixum: ubi *plures* absque evidenti causa tristes *cum Heraclito* semper lachrymis diffluunt, *alii cum Democrito*, sed ut stulti, continuum effunduntur in risum: alii se metamorphosatos credunt in canes, lupos, vasa vitrea: aliis cum rixis de bello, aliis de venereis rebus, varius & diversus est sermo. Sic vigilantibus his accidit, quod aliis somniantibus, *juncto tamen ferè semper timore*, & *vigiliis nimiis*.

Est tamen *delirium in quibusdam fixum*, dum circa unum aliquod subjectum phantasmata eorum sunt occupata: *in nonnullis vagum*, ubi plura absurda atque delira ipsis sunt familiaria, & multum diversa, adeo ut ex centum vix duo eodem delirii genere laborare deprehendamus.

Causa immediata, ut in Mania, est eadem, *textura pororum cerebri* videlicet, & vasorum ejus, *depravata dispositio*, non nisi absurdè externa objecta animæ deferri permittens: Non aliter ac infantibus accidit, qui eâdem gaudent animâ, ac Senes, sed ob organorum indispositionem objecta externa non ita regulariter & expeditè menti offeruntur adhuc.

Proximior Mediata Causa est *circulantium humorum* aliquando *singularis crassities*, & dispositio, fluido nerveo laudabili generando inepta.

In specie vero fluidum hoc magis crassum,

 lente

lente mobile, inordinatè tamen motum, & in loco quodam quasi defixum, ac nervos nimiũ tendens, melancholicis & meditabundis Imaginationibus occupatam tenet mentem, magis vero adhuc mobile & volatile hoc fluidum per inordinatè contextos vel dispositos nervorum tubulos, variè & citiùs motum, variis phantasmatibus mox cum risu, cum saltationibus, cum cantu & similibus, mentem afficit.

Atque ideo cujusvis temperiei homines, sive succis constent, magis mobilibus, sive magis crassis & tardis, hoc malo affici possunt: & sola *depravata* instrumentorum animæ, sive sensuum organorum in specie *nervorum dispositio, causam tenet immediatam*: quam quidem depravati adducti alimenti dispositio, ita depravatè contexere valet.

Vel & subtile hoc fluidum nerveum, externis objectis amoris, tristitiæ, iræ &c. fortiter commotum, & agitatum, nervos tendendo fortiter, aliquando à sua proportionata textura ita invertere, & tensos servare potest, ut tum subtile id nerveum eadem objecta semper menti deferat, eodem modo per ita dispositos nervorum tensos tubulos, semper uti tum temporis, motum influens.

Cogitationes namque *longas & fortes hanc passionem contrahere posse*, quando haud queunt consequi effectum rerum, de quibus cogitant, exempla testantur.

Ner-

Nervi namque repetitis, & continuis talibus cogitationibus, ita aptantur & disponuntur, ut fluidum nerveum non nisi ideas tales repetere, vel in confusum motum actum, alia absona antea impressa, vel de novo accedentia objecta, deferre falso queat.

Utque adeo vix dentur *ex Remotis causis* aliæ, quàm ex animi pathematibus *amor, metus*, vel aliæ circa externas res, *fortes imaginationis occupationes*: Non enim à cibis nimium salitis, aut fumo induratis, melancholicum provenire delirium, rustici testantur, qui, si ex simili causa ortum traheret, omnes hoc malo affici deberent.

Ubi tamen non negandum, *delirium hoc* aliquando *cum affectione hypochondriaca jungi*, vel ab illa occasionem sumere, aut illi supervenire, tanquam *à præternaturali* quadam causa.

In *Prognosi* malum hoc non immerito Opprobrium audit Medicorum, quod etsi suâ naturâ haud sit lethale, tamen quos semel invasit, ad mortem usque comitari solet, præsertim si à procatarxi, sive depravata circulantium humorum, aut hæreditario quodam conformationis vitio traxit ortum.

Vel si ex longa aliqua depravata imaginatione vel phantasia, circulantes etiam humo-

res nunc vitium ceperunt, atque morbus insaniam fuit sequutus, morbusque ab insania, hæc verò non ab illo dependeat.

Vel *si nervi in sua depravata figura nunc sunt confirmat*, iut subtile nerveum semper non nisi uno eodemque depravato modo influere, & moveri, animæque objecta semper depravatè deferre queat: quæ tum essentialis causa, nunc fixa, curam sanè vix recipit: quin potius in Maniam planè degeneret, non nisi ferocia, à fluidi nervei minori acrimonia videlicet, non admodum urgente, differens.

Sic &, ob non adeo distantem causam, nervorum tensionem videlicet, ab Epilepsia, in quam admodum pronum est nostrum malum, vix abest: Vel & ab Epilepsia non raró talis manet nervorum dispositio, quæ delirio melancholico ansam addit.

Malum tamen hoc non raró superveniente Dysenteria, aut Hæmorrhoidibus, cedere *Hippocrates testis est. S.6. aph.* 21. &c.

In genere tamen *eventus ratione, incerta omninò est Prognosis*, quippe non raro dantur, qui brevi convalescunt, ubi alii non nisi longo tempore, vel alii nunquam curantur. *Willisio* hoc confirmante.

Curatio ergo medicaminibus vix aggredienda videtur, cùm sæpiùs observemus, quàm irrito conatu delirantes Melancholici purgan-

gantibus vel aliis remediis variis torqueantur, qui aliquando contrariæ imaginationis firma persuasione fuerunt mutati in melius.

Sic quidam, qui sine capite se esse persuaserat, imposito capiti pileo plumbeo, curatus fuit absque ulla purgatione. *Primeros. de error. vulg. l. 2. c. 25.* &c.

Interim cùm imaginationes tales vix diu ita se gerant, quin, fluido nerveo alibi impedito, ac neq; famem neque sitim stimulante, vel inordinatè tamen; ansam sic addant nutrimento lacteo sive chylo depravato, ut tum compositum reddatur malum, ex affectione scilicet hypochondriaca, & delirio imaginativo;

Hinc utique oppugnandæ huic causæ intentus sit Medicus, ut circulantibus humoribus alimentum advehatur conveniens, ac sic fluido nerveo simul magis laudabili generando, particulæ magis laudabiles adducantur.

Quoniam vero anima imaginationibus ligata, neque de fame aut siti ordinatè cogitante, vel fame cogente, plura aliquando, & absurda devorant, quàm quæ laudabiliter dissolvi & in chylum alterari queunt, proptereaque ruditates acidæ, pituitosæ, coagulatæ & tenaces, primas vias inferciant, quæ nisi removeantur plurimis pessimis symptomatibus ansam addere possint; hinc cruditatum coagulatarum remotioni priùs insistendum, antequam ad alterantia fiat accessus.

Commendant vero Practici excellentes hic multum *Vomitoria* : sed ubi materia talis nimis viscida est, & coagulata, vix exoptatum præstant effectum, quemadmodum hoc propria experientia edoctus scio.

Aliquando tamen Illustri Personæ sequioris sexus, melancholico delirio, ab affectione hypochondriaca dependente, affectæ, *Vomitorium* obtuli, quod per inferiorâ simul agens, coagulatam eduxit pituitam, ulnam exæquantem, crassam, intestini complicati ad instar: quam mediante valido alio dissolvente & purgante potuisse educi, postea credidi.

Atque in hoc negotio postmodum satis validum expertus fui *Extractum Colocynthidis* (de quo & singulare experimentum communicat *Fr. Garmannus misc. Cur. ann.* 1672. *Obs.* 202) *cum ☿io dulci* combinatum.

Quid in Melancholia *Extractum Colocynthidis* valeat, ibi inquit, ostendit exemplum virginis, quæ per annum ferè integrum, melancholia taciturna detenta fuit, & postea exhibito à me Extracto dicto, in jure prunorum dissoluto, præter omnem spem, ac expectationem, ad sanam mentem rediit. Per alvum cum murmurationibus in magna copia materiam morbificam detrudebat, cujus excrementa tota mucosa, & pituitosa, atque adeo lenta & viscida erant, ut in altum longè extendi potuerint : Postquam paulum ad se rediret,

rediret, corpus totum humore atro, & melancholico refertum esse putabat, ac propterea alvi excrementa sedulo inspiciebat, quibus excretis atramentum scriptorium permisceri curaveram.

Mulier item natura & constitutione melancholica, atque sterilis, melancholicis pathematibus afflicta, expectans subinde lictores, atque carnifices, tandem ab adhibito *Extracto eodem Diacolocynth.* & alio arrepto bono dolo, à me curata fuit. *Garmanus d. loco.*

Talem effectum expertus aliquando fuit *Cl. Bonnetus*, in Bernense quodam Nobili, Melancholia gravi laborante: sed ex sola *Sennæ, cum Tartaro in ▽. meliss. borrag.* &c. infusione: ubi ex Ptisanæ talis usu, adeo crassa & viscida fuêre rejecta, ut intestinorum particulas se rejecisse credens, Pastorem, qui animæ consuleret, advocari curasset. Posteà optimè sanus factus.

Maximum ergo pondus habet in hoc malo *pituita acidi productum*, ex lympha ab intestinorum glandulis huc delata, sed coagulata, quæ nisi validis & appropriatis solventibus prius removetur, irritò omnia alia adhibentur, etsi valida præsidia, & specifica, nervorum tensionem reducentia existant.

Præter jam ab aliis laudata verò, insignem etiam præstat opem *Electuarium de Senna cum Ambra Norimbergens.* vel in hunc modum contractum, v. g.

℞. *Polypod. quercin.* ℥j.
Liquirit. ras. ʒß.
Sem. carthami ʒvj.
Fol. Senn. el. ℥iß.
Galang. min. ʒij.
▽. font. q. s. Fiat Decoctio s. a.

Mediante Decocto hoc extrahantur
Pulpæ passular. ℥iij. quibus adde
Rhabarb. el. pulveris. & olei cinam. gutt. x. irrorati.
Fol. Senn. el. pulveris. aa. ʒß.
Lapid. Lazuli præparati ʒij.
Syr. de pomis. q. s. ut fiat Electuarium, quod detur à ʒii. ad ℥ß.

Plura validiora solventia *ex Ammoniaco* ☿*io dulci*, *Extr. Colocynth.* invenies titulo de Hypochondriaca affect. & alibi.

Notetur tamen *Willisii monitum*, qui minimè laudat Veterum hujus morbi curandi methodum, ubi ad Melancholiam curandam nil agendum putabant, quàm atrabilarium expurgare humorem: Propterea monet, ne nimis frequenter utamur catharticis, sed quod sufficiat, intra 6. aut 7. dies purgantia saltem si opus, repetere, *alvum* vero, si intereà obstructa extet, *enematibus subducere*. Præterea vero maximum curationis negotium in adhibendis aliis non evacuantibus ponere.

Qualia sunt succum pancreaticum ferè coagulatum resolventia & diluentia varia; Inter

ter quæ quidem *Acidulæ* diluendo & dissolvendo efficacissimæ *palmam aliis dubiam reddunt*; modo lympha in intestinis coagulata, liquefacta, priùs è corpore proscripta fuerit, primis viis frigidæ aquæ usum aliàs respuentibus.

Ubi tamen Acidulæ haberi commodè haud queunt, substituantur *Martialia* alia, inter quæ excellit *vinum Martiale*, *crocus Martis solubilis meus alcalinus*, vel *Mynsichti aperitivus*: imò *ipsa limaatura cum Passularum pulpa*, in electuarii forma, insignem præstabit opem, si post horam, insignem præstabit opem, si post horam *serum lactis caprini* desuper bibitur: cujus vel solius usus, acidularum loco, insignis est effectus.

Præter hæc tamen excellentes etiam vires exerunt *Elixir Polychr. ex Aloe, croco & myrrha: cum spir.* ♀ *sat.* & *liquore* ⊕ *i fixi* paratum.

Ettmülleri specifica hæc sunt *Camphora*, *Sacchar. Saturni*, *arcanum duplicatum Hypericum*, *crocus &c.* ex his ei placuit talem concinnare formulam.

℞. *Arcani dupl.* gr. xv.
Sacch. Saturni ℈ß.
Camph. gr. iij. mſ. pro dosi, tempore somni.

Ego ℞. *Tinct. Fl. hyperic. cum spir. vin.* ♀ *sat. fact.* ℥j.
Elixir. polychr. ʒij.
Camphor. ℈j. mſ.

Dosis

Dosis gutt. 60. cum ▽. fumar. syr. cinam. edulcorata.

Vel ℞. *Tinct. croci* ℥ß.

Camphoræ ℈j. Dosis gutt. 30. 40.

Hæc & similia vigilias continuas, ob nervos semper leviter convulsos, optimè demulcent, quibus & *opium maritari* commodè poterit.

Non verò hic *excludantur absorbentia & dulcificantia* alia, *martialia*, *cinnabarina*, *cancrina*, &c.

Diætam quod concernit, de ea notandum, quod etsi ad malum hoc ut causa raro concurrere soleat, tamen postquam nunc radices egit malum, hoc haud leviter aggravare queat.

Propterea omnia vitentur, quæ quovis modo viscido chylo materiam ministrare poterunt. Dum enim nervosus succus sive fluidum aliis jam phantasmatibus intentum, primam in ventriculo dissolutionem satis negligenter peragit, ac tum in intestinis ferè coagulata pancreatis & intestinorum lympha, non minus officii sui oblita, ulteriorem chyli dilutionem haud præstant, hinc facilis sint dissolutionis cibi, ne indissoluti elabantur, & in mucum facessant tenacem.

In hoc negotio ergo *Diæta lactea* non erit parvæ spei, *Cl. Wepfero* etiam consentiente; Quoniam digestionis instrumenta haud opus habent multum virium circa lac digerendum impen-

impendere, in chylum hominis levi negotio retexendum.

Potus sit infusum herbæ Theæ.

Mensium Emansio.

ANtequam ad ulteriorem affectus hujus, & exactiorem analysin faciamus progressum, necessum est in fundamentum inquirere, cui mulierum querelæ plurimam partem innituntur, quo sic ad mali propositi intimiorem cognitionem pateat via.

Constat, Deum *mirificum humani generis primum domicilium*, voluisse *Uterum*, & non ut generi humano propagando concipiat saltem, sed & ut conservet, & foveat conceptum semel fœtum, augeatque ad maturitatem usque debitam.

Requirebatur propterea talis Uteri & vasorum ejus structura, quæ apta esset, quovis tempore factæ conceptioni conveniens suppeditare nutrimentum.

Ideoque *arteriæ* (quarum ope semper ad corporis quasvis partes nutriendas, chylus, sive lactea nutritia, circulantium humorum pars aliàs pervenit) *uterinæ*, plurimam partem *ita fabricatæ extant*, in utero ad perfectionem perducto, & conceptioni idoneo, *ut semper dispositæ sint conceptioni factæ suos implicare ramos*, subti-

subtilissimos ab initio, ut sic cum umbilicalibus fœtus vasis placentam formare, communicatisque ita canaliculis, semper nutrimentum adducere valeant.

Hoc sanè est negotium, in quo omnis rei cardo vertitur, & hinc est, quod statuto tempore adeò exactè redeat sanguinis menstrui fluxus: *Neque ad lunarem quendam motum, aut fermentum aliquod uterinum*, fermentationem singulis mensibus instituentem, velut inanes saltem conceptus, recurrere opus habemus, cùm longè simpliciùs constituatur hoc opus.

Dum enim *Uteri* plures *arterias* huic negotio destinatas, semper *expectare oportet conceptionem*, atque huic ferè obviam quasi semper eundo, à sanguine scil. propulso; subtiles hæ arteriolæ excrescere opus habent; hinc *sensim cumulatus sanguis*, & *arteriolas longius serpentes & excrescentes tandem dilatat, & sibi effluenti rimas efficit*: sicque sanguis fluxum instituit: donec sic sensim majori copiâ excretâ, subtiles hæ arteriolæ in cincinnos resilientes clauduntur rursus, de novo affluxum & repletionem expectantes & excrescentes, donec tandem conceptione facta, intentionem suam consequitur sanguis, nutrimento advehendo destinatus; ubi tum effluxus ille naturaliter emanet, & vel in integrum, vel pro parte: Lateralibus namque arteriis non omninò adhuc

placen-

placentæ implicatis, per tempus aliquando, conceptione facta, durat effluxus statuto tempore, donec tandem omnes in placentam semper crescentem & auctam excurrunt, & ei implicitæ extant.

Inde jam est quod arteriolis his, vel naturâ non dispositis, ante sc. annum 14. vel 18. fluxus non accidat, neque conceptio fiat, deficiente nimirum nutrimento: *vel in vetulis*, aut annum 50. transgressis, ob arteriolas ferè callosas & rigidas, ut se dilatari haud amplius permittant, emaneat planè, & conceptioni inhabiles reddat; *vel & in jam dispositis*, aut *p. n.* planè emaneat, aut p.n. nimium fluat, atq; sic plurimis symptomatibus obnoxias reddat fœminas.

Est ergo mensium emansio (*in virginibus aut mulieribus justæ ætatis, organa aliàs naturaliter constituta habentibus:*) *sanguinis ad conceptionem expectandam, arteriolas uteri plurimas excrescere facientis, sed ob diutinam moram, singulis ferè mensibus ordinariè semel aperientis, & effluxum instituentis, detentio: à sanguinis ipsius circulantis vitio, arteriolarum dictarum p. naturalem indispositionem, aut accessoriam obstructionem instituente, dependens.*

Non

Non tangimus hic eas, quibus à natura non sunt ita disposita organa, ut fluxum instituere, & conceptioni nutrimentum debitum advehere queant, quales sunt à natura steriles.

Sed nobis saltem sermo est de illis, quibus organis ritè à natura concessis, p. n. quodam errore fluxus planè cessat, nec statuto aliàs, & consueto tempore revertitur.

Subjectum generationis affectus nostri constituunt dictæ Uteri arteriolæ.

Inhæsionis verò illud totus ferè ministrat corporis habitus, non aliter ac in cachexia.

Practici alii plura aliàs constituere & enumerare solent Subjecta, quæ verò, cùm potius causæ rationem habeant, ad causarum censum remittimus. *Subjectum namque morbi ego semper in solidis partibus quærere soleo: causam in fluidis ponens.*

Cùm vero nunc affectus hic non raro, furtivâ Venere ingravidatis, haud contemnendus soleat esse prætextus, quando Medicum implorant, ut medicaminibus sanguinem pellentibus succurrat: hinc, ne is decipiatur, &, num à graviditate, an ab alia p. n. causa emaneat sanguis, dubius hæreat; distinctiva probè notentur.

Signa, ubi experietur, præter propriam confessionem, concurrere & confirmationem addere oportere, *lassitudinem vel totius*, vel partium

partium saltem harum aut illarum corporis: *Dolores tensivos circa lumbos*: *anhelitum* in specie *difficilem*, post levem etiam motum: *Capitis dolorem* modo versus anticam, modo posticam partem, vel ad cervicem & scapulas se extendentem. *Colorem* etiam *faciei floridum, ex viriditate & flavo pallescentem, cachecticum*, cum pedum tumore non raro, vel ipsam cachexiam tandem insequentem, veluti certa confirmati hujus affectus phænomena præstò esse debere, etsi non omnia, tamen plura.

Quibus sæpè jungi solet *oculorum intumescentia*, *tristitia*, *vomitus* aut *pica*, vel & ipsa *lipothymia*, modò etiam crassa, vel rubicunda & turbida, aut nigricans urina &c.

Differentiæ ergo hujus emansionis exactè notentur, & an in genere, vel à naturali, aut præternaturali: vel in specie, à sola præternaturali causa, ortum ducat malum, Medicus perpendat.

Sic *emansionis naturalis causa* vel potest esse *Ætas*, v g. quando sanguis ante ann. decimum quartum, *organis nondum perfectis*, haud fluit: aut post annum quadragesimum nonum, ob arteriolas planè collabentes & induratas earum fibras, emanet. Vel potest esse *ingravidatio*, aut *lactatio*, ubi lactea sanguinis pars in alimentum cedit: vel quando *vasa uterina*, *arteriæ* videlicet dictæ, à natura sunt *occlusa*.

Ex præternaturali vero quodam vitio in genere possunt deficere menses, *quando mulier brevi ante gravi morbo laboravit*, ubi plerumque postea per aliquot menses sanguis emanet, morbo longo absumtus: vel *si hæmorrhagia* quævis *eum exoneravit.*

Sed in his & similibus naturalibus emansionibus, Medicus non desideratur: nisi quando à specie ex signis supra traditis patet, sanguinem proprio vitio vias sibi coarctasse, & obstructione affecisse, atque gravia symptomata inducere.

Causa immediata est arteriolarum supra dictarum obstructio.

Mediata proximior sunt circulantes *humores, crassitie peccantes*, vel perturbatâ mixturâ, arteriolis illis penetrandis inhabiles: Præcipue quoad lacteam suam partem, particulis volatilibus magis mobilibus destituta, & loco laudabilis succi nutritii, crassum, & circulationi ineptum, obstructionibus verò admodum aptum suppeditans ubique nutrimentum, phœnomenisque supra relatis excitandis, idoneum advehens pabulum.

Sic ob universalem circulantium humorum crassitiem, *liquor subtilis* nerveus neque quanto, neque qualibus laudabiliter inde generatur præditus, proptereaque adest totius segnities & gravitas, pica, inappetentia &c.

Ob

Ob stagnantes verò vel segniter circulantes humores crura intumescunt, dolor capitis varius affligit, Palpitatio cordis accedit, Pulsus celer & frequēs Febricitanti haud absimilis adjungitur &c. & ob nutrimentum ubique vitiosum color floridus perit, ac cachexia denique contrahitur, & quæ sunt similia supra notata phænomena.

Fiunt verò vitiosi circulantes humores, ab origine aliàs sani & laudabiliter constituti *Causarum remotarum* culpa: ubi quidem *ex Rerum Naturalium censu* primum pondus addit *Temperamentum* ab ortu frigidum vulgò & humidum, ubi nimirum volatiles particulæ sub serosarum coagulationibus leviter obnoxiarum, latent dominio.

Ætatis ratione puellæ dum puberes fieri incipiunt, & prima vice menses experiuntur, *leviter hoc malo corripiuntur.*

Quoniam enim fluxus tum temporis singulorum mensium seriem ad unguem nondum observat, dum in quibusdam, saltem per tempus, tertio mense accidit, donec successu temporis arteriolæ ad majorem perfectionem devenientes, & sanguis etiam copiâ auctus, nec ampliùs pro incremento corporis adeo sensibili absumtus, citiori termino assuescere, singuloque mense debita copia sanguinem elabi faciunt; citò vitium capere possunt, levi aliquando accedente *Rerum Nonnatural.* errore.

Sic *Aërem frigidum, humidum, & pluviosum* obstruendis aliàs poris idoneum, aliquando addere causam non contemnendam, experiuntur mulieres, non rarò suppressionem mensium incurrentes, quando externum frigus partibus genitalibus ex improviso excipiunt: vel si nudis pedibus incedunt, aut frigidæ pedes diutius immergunt.

Majus tamen symbolum hic addunt *Cibi, & quanto & qualibus peccantes*, id quod quotidiana docet experientia; quantam enim noxam inferant mulieribus mensium fluentium tempore copiosiùs ingesta viscida, dura, nimis salita, vel fumo indurata, ac acida alia, indies observamus: Ex crassis namque cibis haud subtilis vel volatilis chylus, multo minus ex hoc, mobiles admodum circulantes humores confici queunt.

Adnumeramus illis *cucumeres, melones, castaneas, lacticinia, carnem suillam, placentas, oleracea, fructus immaturos*, & *frigidæ nimium potum*, item *carbones, cretam*, & similia præternaturalis appetitus etiam delectamenta.

Quomodo reliquæ Nonnaturales res symbolum addere queant, titulo de dolore capitis & alibi reperire est.

Ex Præternaturalibus rebus plures morbi ab acido, ac viscidis humoribus circulantibus orti, affectus nostri causam non rarò sustinent, in specie *cachexia*, quæ semper hoc malum præcedere solet.

Cir-

Circa *Prognosin* notandum, quod, etsi quibusdam fœminis perpetuus mensium defectus familiaris esse soleat, constante interim integra valetudine, nihilominus tamen in illis, quibus semel fluere consueverunt, & nunc rursus emanent, gravissimorum morborum causa existant.

Oriuntur namque inde supra recitatæ varia satis molesta symptomata, *vertigines, capitis varii dolores, respiratio difficilis, palpitationes cordis*, & non rarò *graves & mirabiles convulsiones* &c. imo *cachexia* confirmata inde reddita, hydropis tandem prodromus est: Sic & gangræna à *Fabr. Hildano* inde oborta notatur.

Præterea nimis rigorosa est *Hippocratis* circa hunc affectum *Prognosis lib. de morb. mulierum*, ubi asserit, menstrua per sex menses suppressa, haud amplius provocari, malumque incurabile fieri: quod tamen haud semper absolutæ esse veritatis, exempla testantur, & tale quidē *l. 4. epidem. ipse* habet, ubi ancillæ menses, qui per septennium emanserant, rursus fluere cœperūt: & quæ sunt alia ab aliis notata exemp.

Inveteratum ergo *malum*, etsi haud prorsus incurabile, tamen *utplurimum chronicum*, & satis molestum erit pronunciandum; nisi statim in principio succurratur, antequam circulantium humorum crassities, & depravata mixtura nunc altas egit radices.

Curationis intentio nunc eo collimet, ut *causa* ferè semper *ex chylosi in ventriculo originem trahens removeatur*: Postea circulantes humores, cruditate crassitieque peccantes emendentur, & ad statum naturalem reducantur, ut sic rursus obstructas arteriolas Uteri aperire, & suam tandem pro conceptu fovendo & nutriendo, intentionem consequi queant.

Non vero aliter ac in cachexia lentè procedendum, cum plus præstent blanda, quam vehementia omnia, *Sylvio observante, lib* 3.

Primæ intentioni ante omnia satisfaciunt, primas vias à ruditatibus sensim liberantia. Et quidē si ruditates pituitosas, biliosas vulgo inibi turgere & viam per superiora affectare notamus, tum *citam opem præstant vomitoria*, & magis præsentaneum edunt effectum, quàm tot purgationes per inferiora.

Ubi vero ruditates illæ nimis tenaces, vomitoriorum vim eludere hariolamur, prius incidentia vel absorbentia præmittantur cum Marte combinata, v. g.

℞. *Croci. Mart. cum* ♀*o decoctione parati* ℈ß.
Rhabarb. el. pulveris. ℈j.
Cinomomi gr. vj.
Extr. cent. min.
chamædr. &c. aa. q. s. Fiant Pillulæ pro dosi.

Hoc vel simili per tempus p opinato, tum tandem vel vomitorio, vel si quid obstet, purgante

gante quodam convenienti, ruditates, alteratæ rejiciantur, v.g.

℞. *Extr. helleb. nigr.* ℈j.
Gumm. ammon. aceto solut. & inspiss. ʒj.
☿ *dulcis* ℈iß.
Extr. trochisc. alhand. gr. viij.
Myrrha.
Castor. aa. gr. vj. mf Fiant Pillulæ.

Quarum repetitis vicibus si opus, detur pro dosi ʒß.

Vel si ruditates tenaces prius alteratas, magis liquidis auscultare suspiceris, poterit fieri tale infusum & alterans & evacuans, v.g.

℞. *Herb. arthemis.*
puleg. aa. m. j.
rorismarin. m. ß.
Rad. helleb. nigr. ℥ß.
rhabarb. ℥j.
Fol. senn. el. ʒvj.
Costi aromatici veri ℥ß.
Galang. min. ʒij.
Croci ʒß.
♂ *cum* 🜍. *præparat.* ℥iß.
Ciner. juniperi ʒvj.

Incisa & contusa dentur ad nodulum, mensuræ uni semis infundendum. De quo tum semel vel bis in die detur haustus ℥iiij.

Si leniùs procedere intentio sit, tum pro scopo alterativo ab initio præmittatur *jusculum carnis, vel gallinæ*, in quo *radices fæniculi, petroselini, asparagi, decoctæ* sint, cuique instillatæ fuerint *Elixir. polychr. absque acido* cum *Spir. *ci* maritato, &c.

Postea verò ad magis validiora fiat accessus.

Primis viis vero hac methodo paulisper depuratis fiat accessus ad ea, quæ magis potenter circulantium humorum crassitiem corrigunt, & circulationi ineptum restituunt.

Talia sunt quævis *aromatica*, *amara cum ♂ialibus combinata*, & Cachexiæ ubique dicata, cumque *castoreo*, *myrrha*, *croco* & similibus maritata. Fiat verò vinum medicatum tale. v.g.

℞. *Radic. fæniculi helenii.*
Galangæ aa. ℥j.
Herb. cent. min.
Chamædr.
Puleg.
Artemis. aa. m. j.
Fl. Chamomill.
Anthos. aa. m. ß.
Baccar. lauri.
Juniperi aa. ℥iß.
Cinamomi acuti ℥ß.
Croci ℥ij.

Incisa & contusa infunde nodulo inclusa in vini generosi mensuris vj. & de hoc vino tum bibat

bibat ægra in singulo pastu bonum haustum.

Manè verò & vesperi sumat de *Essentia aperitiva Uterina* gutt. 30. 40. v. g.

℞. *⊖. vol. urin.*
Fl. ✳ci aa. ʒj.
Olei Succini.
Sabinæ aa. ℈j.
Tinct. castor. ʒij. mſ. & stent in infuso probè clausa.

Hisce verò quandoque intermedietur talis pulvis. v. g.

℞. *Spec. Diaturb. cum Rhabarb.* ʒß.
Cassiæ lign.
Savinæ aa. ʒj.
Croci ℈j.
Borracis ʒiß.
℘. Succini gutt. iiij. mſ. F. Pulvis qui detur dosi ʒj.

Qui simul & potenter reserabit & paulisper evacuabit.

Quod si ex nimia refrigeratione acciderit malum, tum ante dicta *Essentia aperitiva* insignis erit effectus, expectato blando sudore.

Sylvius hoc in casu admodum commendat *Spir. ✳ci*, cujus solius ope se plures restituisse asserit, bis vel ter in die propinando ad gutt. vj. prout potentior fuerit.

Et si, uti accidere solet, dolòr gravis uteri accedit, tum fiat ex *Chamomilla, croco & cinamo-*

mo Decoctum, quod bibatur calidè; *Sacculus vero ex Chamomilla in vino Decoctus* ita calidè regioni pubis imponatur.

Eadem conveniunt, si à terrore subitaneo malum derepente exoritur: tum enim *supradicta Essentia* cum ▽. *cinam.* propinata rem expediet, non omisso etiam *Spir.* ✻*ci.*

Hæc & similia dicata fortiori, suppressioni videlicet mensium, multò magis minùs malum, *paucitate exeuntes menses* corrigere valebunt. Si enim mulieres *sub fluxu patiuntur anxietates, palpitationes cordis*, vel & suprà dicta aliqua phænomena, tum certum est eas haud satis purgari, vel sanguinem earum peccare; quapropter citò in auxilium vocanda sunt emansioni mensium dicata medicamina, ne omissis talibus menses sensim planè subsistant, & sic malum gravius inducant.

Restat ut paucis *V. Sectionis* mentionem faciamus, hanc admodum urgent *Galeni* graves asseclæ, sed cum quo effectu, infausta plura exempla docent.

Sanè cùm vitium consistat in circulantibus humoribus, non tam quanto quam qualibus, crassitie, & lentore peccantibus, V. Sectione vero, tenacitas minimè corrigibilis existat: hinc non nisi concurrat insignis exsuperantia vel plethora, plus detrimenti quàm emolumenti afferret V. Sectio saltem per accidens aliquando proficua inventa, ad pressionem minuendam.

Præ-

Præcipuè verò hoc notetur *in puellis quibus menses primo erumpere solent, in his cave à V.Sectione*, nam cum in his magna adhuc sanguinis lactea pars, ad corpus augendum & extendendum insumitur, hinc vix offendemus in illis sanguinis abundantiam, propterea que inordinatè adhuc eorum sanguis exit: ubi si Galenicorum more sanguinem extrahere velles, interitum pro incremento maturares.

Minimè ergo, nisi apertè constet sanguinem peccare abundantia, conducet V.Sectio.

Dato verò hoc casu, *æque conducet in brachio, quam talo, Sylvio* hoc attestante. quo enim potentiùs inquit per universi corporis vasa movetur sanguis: eò potentiùs etiam & faciliùs sibi parabit exitum per uterum. *Prax.l.3. cap.3. Corruit* ergo meritò *Saphenæ* tam *sancta celebratio*, etiam derivationis inanis intentionis, meta: utpote cui adeo pertinaciter Veteres inhæserunt, ut ob tumentes pedes prohibitâ hac derivatione, ex venis sedalibus hirudinibus appositis, sanguinis copiam detrahere non erubuerint, ac si omnis salus à sanguinis extractione, & profusione dependeret: ubi tamen omnis curationis ratio consistere debuisset, in nostris quidem Septentrionalibus terris, in sola sanguineæ massæ, correctione, & ad statum suũ naturalem reductione: *Solidæ namque partes, quod habent vel incommodi vel commodi, unicè fluidis & circulantibus debent humoribus.*

Sed

Sed cum præter Interna supra selecta, etiam externa dentur, obstructionibus vel sanguinis stagnationibus resolvendis idonea, hinc ea V. Sectionis loco, & veræ intentioni haud contrariantia simul vocentur in usum, præprimis tamen circa id tempus, quo menses aliàs fluere consueverunt: id quod & de aliis sanguinem fortiter commoventibus & pellentibus notari volunt Practici.

Sunt verò magis præstantes *Thermæ* non adeò calidæ, quales sunt *Emsenses*, vel harum loco parati *insessus ex herbis uterinis aromaticis & emollientibus*. v. g.

℞. *Herb. artemis.*
Puleg.
Matricar.
Rorismarin.
Melilot.
Alth.
Fl. Chamomill. aa. q. s.

Incisa coquantur pro Balneo, quod tamen non adeo calidum veniat in usum, ne sudor multus promoveatur, & serositatibus sic plurimam partem extractis, relicti circulantes magis crassescant. Ubi aliàs insignis effectus esse possunt.

Insideat verò tali Balneo mulier ad umbilicum usque, & coctas herbas sacculo inclusas ventri imponat.

Post

• Post Balneum vero vicinæ uteri partes inungantur *Oleo Fl. Cheiri* cum *Oleo baccar. lauri, Sabinæ dest. Spicæ* &c. remixto. *Petræus, Nosolog. Hartmannus, D. Michels* & alii admodum extollunt in desperato malo *suffitum Scor. Reg.* ♂. v.g. recipere jubent *Scoriarum Reguli* ♂. ℥iij. in s.q. *lixivii è cineribus artemisiæ* parati decoquere, tum vero ad colatæ hujus decoctionis ʒvj. vini malvatici ℥ij. admiscere, deque hac mixtura cochlearia duo silicibus ignitis superfundere, & vaporem sub sella clausa excipere præcipiunt.

Alii admodum commendant tales pessos v.g.

℞. *Radic. helleb. nigr.*
Myrrhæ r.
Savinæ aa. ʒj.

Ex pulverisatis cum mucilagine tragacanthi fiant pessaria duo, quæ nodulo serico excipiantur, & applicentur, sed diu haud retineantur, ne exulcerent vaginam uteri.

Alii alia laudant ceu sed sufficiant hæc, experta.

Tandem verò *Diæta* diligenti curâ observetur, in quâ fugiantur cibi crassioris succi & difficilioris dissolutionis, carnes salitæ, fumo induratæ, pisces &c. item ob facilem acescentiam exulent lacticinia, fructus horarii, & similia acescentia, vel actu acida.

Frequenti verò in usu sint *jusculacarnis* cum *radic.*

radic. petroselini, asparagi, fœniculi, macere, cro-co &c. decocta.

Pro potu vitetur aqua frigida, præcipuè fluentibus mensibus; ejus loco vero in usum veniat vinum aromaticum supra commendatum.

Vel quæ vino non sunt assuetæ, bibant cerevisiam, *cum herb. meliss. Scolopendr. Fl. calendul. cortic. aurant.* &c. aromatisatam.

Aut sibi parent *Decoctum* cum aqua ex *Radic. Galang. Cinamomo, Sassafras* &c.

Omnia vero hæc eo diligentius observentur, quo propius imminent menses, ubi si alvus est adstricta, clysteribus sollicitetur: vel pillulæ ab initio descriptæ propinentur.

Mensium nimius fluxus.

PRægresso malo planè existit contrarius, & quod ille erat in defectu, hoc affectus hic est in excessu; *neque vero magis in considerationem venit, quando absque debilitate affligit, quàm si illa emansio scilicet absque molestis symptomatibus adest.*

Sic dantur aliquando mulieres quibus frequentius fluunt, & ordinarium tempus haud expectant, sed singulis, 2. vel 3. septimanis molestant, quod vero, si absque læsione fit, quemadmodũ aliquando plethoricis aut scorbuticis nonnullis accidit, non attendendum.

Sed si nimia copia huic vel illi subjecto insue-

sueta fluere volunt, ita ut sensibilem inde percipiant debilitatem, tum omni studio succurratur.

Est verò affectus hic immodica sanguinis ex uteri arteriis excretio, ab arteriolarum harum, quovis modo instituta apertione p. n. excitata.

Subjectum sunt jam in definitione expressæ *uteri ipsius arteriæ*, à mirifico rerum summo Conditore *ita fabricatæ*, *ut* naturali quadam crescendi vi, *conceptioni, semper crescendo obviam quasi eant*, sed illâ diutiùs protracta tandem propellente semper insequente sanguine, aperiantur; *naturaliter* tamen, sanguine nimiùm acri, arteriolas dictas ante ordinarium tempus erodente, & harum fibrillas quasi textura sua privante, ne resilire & se claudere ampliùs queant.

Signa affectus hujus, quod attinet, etsi illis vix opus videatur, cùm in sensus incurrat: tamen cùm non omnis largior mensium fluxus, statim symptomaticus & p. n. sit, cùm dentur mulieres quibus copiosius fluere consueverunt, hinc utique signa non negligenter notentur.

Si p. n. Fluxus nimius, tum *vires* subito *prosternuntur*, *corporis habitus fit decolor*, *anorexia, cephalalgia* vexant, *cachexia* in propin-

pinquo est, & ex facie haud difficulter legitur.

Causa immediata est arteriolarum dictarum uteri quovis modo facta apertio; sive dilatione, sive erosione &c. accidat.

Simplicistæ hic expultricem inculpant Facultatem nimium irritatam, sed quid sit, & unde illa dependeat facultas, omninò ignorant, & quid dicunt, nesciunt: merito ergo & hæc, cum aliis similibus facultatibus omnibus, in æternum proscripta extet; cùm sola sanguinis circulatio vel aucta, vel impedita, omnes illos effectus, facultatum nomine insignitos, unicè & regat & præstet. Propterea

Mediata Proximior affectus propositi *Causa* unicè consistit in circulantibus humoribus, crassitie, & *acredine conspicuis*: vel & *textura sua inversis*, ubi serosior pars prævalens salinis particulis turgida & stagnans (cui tam subjecta extat nexu suo soluta circulans massa, quàm ab acido incrassata, ambo enim minimis vasis penetrandis haud ampliùs quadrant:) erosioni majorem addit stimulum.

Effectus vero in genere ab obstructione plerumque dependet: Sicuti observavi in quamplurimis, quando per tempus mensium fluxu retento, postea uno impetu tantam perdiderunt sanguinis copiam, ut omnem sanguinem corpore exiisse putasses.

Non-

Nonnulli effervescentiam vel fermentationem accusant, *quam in* subsistentibus *præternaturaliter humoribus* quidem ipse haud rejicio, sed in circulantibus adhuc simplicissimè nego: Nisi quis texturam & positionem tot particularum, in massa sanguinea concurrentium, effervescendo, naturaliter fieri velit.

Ad massam namque sanguineam contrariantes naturaliter devenire particulas, (unde si fit, tot lachrymæ:) *minimè credo, sed hæ omnes, in prima digestione omni sua textura exuta, constituere debent succum lacteum sibi ubique similem, vel ita proportionatè dispositum, ut tum ad massam sanguineã delatus, contentas particulas huic vel illi visceri, aut tubulis proportionatas, liberrimè & amicè cedat, & relinquat.*

Quod si verò non fit, & in primis viis succo lacteo immistæ manent particulæ salinæ vel aliæ, quæ in massa sanguinea demum disproportionatè circulantur, tum oriuntur inde tot texturæ laudabilis confusiones, & inde dependentes tot varii morbi, obstructiones & similia.

In specie noster hic affectus, contentis circulantium humorum depravatè vitioséque contextis, nec ubique cohærentibus, serosisque præ reliquis obtinentibus, & plurimas salinas acriores particulas secũ ferentibus, originem debet.

Remotiores plures causæ quomodo huic malo ansam ministrare queant, vide de Hæ-

 mor-

morrhoidibus, eadem namque est omnium pr. naturalium sanguinis excretionum ratio, & non differunt nisi loci, aut organorum magis dispositorum causa.

Sic cum in mulieribus naturalis sanguinis fluxus viam semper patentem habere oporteat, hinc viam hanc & sanguis vitiosè contextus & dispositus affectat: sed vel stagnando & dilacerando, neque verò blandè aperiendo, malum concitat.

Prognosin non contemnendam *Hippocrates reliquit S. 2. aph.* 51. ubi plurimum atque repentè evacuare, periculosum esse pronunciat.

Atque *vix sani sunt quibus largius fluunt menses*; vel si sani videntur, à morbis supervenientibus non sunt immunes: præterquam enim quod ob sanguinem peccantem mox debilitentur vires; easdem sanè multò magis exhauriet, vel secum rapiet, in copia excretus sanguis, id quod lypothymiæ, vel aliæ similes debilitates, non tantum ægro, sed & Medico non rarò terrorem incutientes, satis probant.

Non rarò verò *hydropem, Tabem, gravidisque abortum præsagiunt.*

Aliquando tamen tam *juvenculis* quàm vetulis cum euphoria talis fluxus accidit: præcipuè *si sanguinis aliàs copia*, vel plethora adsit: quo in casu probè notetur, ne intempestivè talis effluxus supprimatur, nisi suffocationem,

hæ-

hæmoptysin, aut syncopen, ægræ contrahere velis: tolerantia verò hic viam monstrabit, quæ si adsit, non adeo sollicitus sis; secus si vires subitò prosternuntur, tum enim citò

Curationi intentus sit Medicus: Et cum paroxysmo præsente saltem, & urgente, ejus opera requiri soleat, hinc de *alterantibus & roborantibus* cogitet.

Commendantur verò tum varia, & *absorbendi & adstringendi* vi prædita: inter quæ nunc sæpius experta *Sylvii* mixtura facilè palmam aliis disputat, quam mihi ita concinnare soleo.

℞. *Corall. r.*
Oculi cancr. aa. ʒj.
Laud. opiati gr. v.
Aceti acerrimi ℥ij.
▽. *plantag.* ℥iij.
Syr. papav. err. ℥ß. m.f. detur cochleatim singulis momentis.

Vel ℞. ▽. *plantag.* ℥iß.
Antepilept. Amstelod.
Aceti destillat. aa. ℥ß.
Corall. r. præparat. ℈j.
Lapid. hæmat. ℈ß.
Laud. opiat. gr. ij.
Syr. myrtini ℥ß. m.f. detur sæpius in hora.

Vel ℞. *Fl papav. errat.*
Plantag. aa. ℥j.

⊖is *lapid. hæmatit. cum* ✱*co facti* gr. v.
Tinctur. anod. gutt. xv.
Syr. papav. errat. ʒij. mſ. pro doſi.

Cl. Ettmüller ceu mirabile (imo delicatis mirabile) non tamen cotemnendum commendat remedium, *ex ſtercor.* vel *aſin.* vel *ſuill.* ℥ß. cum ▽. *plantag.* diluti expreſſi, & *Syr. myrtillorum* ℥ß. remixti : ex *Roderici à Caſtro* commendatione.

Si purgandum, commendat idem *Cl. Ettmüller Rhabarbaram* ad ʒj. cum conſerva roſarum propinatam : id quod tamen inſtante paroxyſmo vix tutum.

Præter interna verò hæc, etiam externa hic admodum convenire ſolent.

Sic admodum hic commendatur ab *Ettmüllero ſtercus ſuillum* cum *aqua fervida ſubactum*, *abdomini* cataplaſmatis inſtar *applicatum.*

Vel & lumbis aut oſſi ſacro imponatur epithema ex ▽. *Sperm. ranar. ſolani, papav. err. aa.* ℥iij. *Aceti roſar.* ℥ij. *Sacchar.* ♄ni ʒj. *Alumin.* ʒij. mſ.

Diæta præmiſſis reſpondeat : Alimenta conſtent ex hordeo, oryza, ovis ſorbilibus, juſculis conſummatis, præcipuè ubi plethora non adeſt, ſintque incoctæ *radic. acetoſ. endiv. ſem. melon.* &c.

Potus ſit *Decoctum hordei*, cui *conſerva roſarum* incocta fuit. Cui aliquando intermedietur talis emulſio. v. g.

℞. *Sem. 4. frig. maj.*
papav. alb. aa. ʒij.
Amygd. d. ℥ij.
▽. *Papav. errat.*
Rosar.
Plantag. aa. ℥ij.
Decoct. hord. ℔ß. Fiat Emulsio. Vinum vitetur. Plura vide de Hæmorrhagia, & Hæmorrhoidibus, quæ huc trahantur.

Nephritis.

Est admodum gravis, & dolorifica sensatio mentis, excitata vel à calculo majori, sive arenulis: aut salina alia concretione, Renum glandulas, harumque tubulos, seri secretioni dicatos, non solum obstruente, sed & Fibras rosione, & convulsoria tensione, vel & constrictione, afficiente.

Subjectum ergo hic sunt Renes, vel unus aut alter, vel ambo, ex minutissimis & copiosis glandulis, (hisce verò ex tubulis curiosè contextis, & seri secretioni accommodatis:) præter sanguiveha vasa, constantes: nec nervis, à ramis stomachicis, & abdominis plexibus, interiori membranæ & substantiæ renum insertis, destituti.

Symptomata affectum hunc denuntiantia varia

ſunt & multa : Primùm & quidem *magis urgens Dolor eſt acutus*, *præſentem indicans paroxyſmum*, ſive urgentem obſtructionem : *in regione lumbari*, modo dextra vel ſiniſtra &c. pro uno vel altero, vel ambobus renibus affectis, excrucians, adeo ut præ anxietate nec interdiu, nec noctu quieſcere æger queat : Ubi ſi ad ureteres propellitur calculus, dolor magis acuitur, & lancinando, verſus pubem, ſecundum ureteri ductum protenditur.

A *nervulis* verò interea, vel tubulorum fibrillis, *roſis*, *compreſſis*, vel *extenſis*, ac ſic ſpaſmo graviori vel leviori affectis, & *contractis*, proximè cohærentes membranoſæ nervoſæ partes, ſimul affectæ, graviora alia ſimul inducere ſymptomata dolorifica, ut *Colicam Convulſivam*, *vel hyſtericam*, *teneſmum*, *obſtructionem alvi*, *præcordiorum anxietatem*, *nauſeam*, *vomitum*, *reſpirationis difficultatem*, *convulſiones digitorum*, *titillationes* in extremitate glandis penis retractionem teſticuli ad os *pubis latere renis affecti*, ut & *ſtuporem cruris*, *è regione renis hujus vel illius* affecti &c.

Sic & urina diverſimodè excernitur. Ureteres enim ſpaſmodica contractione affecti, & urinam & calculum frequenter detinent.

Vel & ipſum ſerum ſalinis tartareis particulis turgidum, & craſſum, ſibi vias præcludit, ita ut totaliter ſupprimatur, vel craſſioribus relictis, tenuis & aquoſa exeat : Vel latentes cal-

calculos protrudendo, (à circulante natura propulſa urina:) & vaſcula minima laceran-do, cruenta excernatur: Aut contentis ſalinis repleta, rubra & craſſa emittatur, non aliter ac hypochondriacis, arthriticis &c. conſue-tum eſt.

In ſpecie verò *arenulæ cum urina effluen-tes*, & citò fundum petentes, *certiſſimum ſunt præſentis calculi vel calculoſæ concretio-nis ſignum*: & veræ nephritidis phænome-non.

Non enim dolor renum, ſemper calculum præ cauſa habet, ſed & alia craſſa & acria ſive ſalina contenta, eundem excitare ſolent.

Præterea ſolent etiam aliquando calculi verſus ureteres propulſi, recedere, & ſic mali exactiorem cognitionem difficilem reddere, quia tunc dolor ceſſat, abſque ullo notabili ſymptomate: & an a calculo, an ab alia acri ma-teria fuerit, dubium imponit, niſi poſtmodum ſemper gravans dolor latentē calculū prodit.

Vel & urina tunc craſſior & turbida, cum arenulis & ardore exiens eum regreſſum notat.

Cùm verò Paroxyſmo præſente, ut ante dictum, Colicam aliquando mentiatur re-num dolor, hinc *differens afficiendi modus* no-tetur. In vera Colica, ſive convulſiva, ſive hu-moroſa dolor modo cedit, modo accedit, ubi è contra in nephritide fixus manet in dorſo: ſic nec hic flatus murmura & cogitationes in in-

testinis percipiuntur, ut in Colica, neque cruris stupor, qui nephriticis aliquando familiaris, in hac sentitur: nec urina cum ardore, ut plerumque in nephritide accidit, excernitur &c.

Causa affectus nostri *Immediata* est glandularum, & tubulorum renum, rosio, pressio, obstructio &c.

Mediata Proximior rosionem hanc, pressionem, contractionemve excitans, sunt ipsa calculosa, sabulosa, vel salina tartarea cõtenta, aut moram diutiùs nectentia, aut planè subsistentia, & stagnantia, ac impacta.

Quomodo verò *calculosæ fiant concretiones*, infinitæ sunt Practicorum opiniones: *Plurimi* ex recentioribus *Spiritui cuidam lapidifico*: Veteres *pituitæ in renibus coagulatæ*, alii alteri causæ Genesin adscribunt.

Sed nullus mihi satisfacit; unde enim iste Spiritus lapidificus? annon potiùs ipsæ lapidum particulæ terreæ salinis immistæ, & combinatæ calculos hos constituant?

Notum est, Hypochondriacos, Scorbuticos, Podagricos, ferè semper simul calculis laborare: Jam inspiciamus eorum urinam, & inveniemus esse turgidam sale quodam enixo, cristallulor. rubicundorũ, sive tartari instar, lateribus vasis se adponente, brevi concesâ morâ.

Enixum verò hoc sal est calcalini volatilis, in copia in omni sanguine sano præsentis, & acidi, volatilis utplurimum, depravatus pullus.

Ubi

Ubi si loco dicti acidi volatilis Scorbutici (terrearum particularum utplurimum expertis) ex primis viis immiscentur, *mediante chylo adductæ terreæ particulæ*, cum acido rudiori combinatæ, & textura suâ salinâ composita haud prorsus exutæ, *nec in primis viis ab invicem avulsæ, ac nexu suo solutæ*, & alteratæ; tum serum adductis illis incrassatur, ejusque particulæ volatiles alcalinæ, etiam adhuc dum circulantes jam ad calculosam concretionem disponuntur, ob negatam verò moram à concretione adhuc arcentur: nisi quando nunc renū, vel alterius visceris tubulos haud liberè cum magis liquidis transeunt, sed *stagnando particulas infigunt*, tum morâ datâ, in se amicè agendo, calculosam demum ineunt concretionem, *non aliter ac extra corpus proscriptæ, datâ nunc morâ in urina se apprehendunt*, & in tartarum sive Duelech concrescunt, antea solo motu à coagulatione vindicatæ, alcalino-acidæ particulæ magis volatiles.

Non ergo opus hic Fermento aliquo renum pr. naturali, cùm non adsit naturale, in sano statu: (quemadmodum sunt qui credunt:) Serum enim continuò à circulante sanguine adductum, & à glandulis segregatum, (relicto sanguine) ac insequente circulationis necessitate propulsum, & transiens, id dilueret & secum veheret, in quavis etiam liquoris vel spirituosissimi forma inesset.

Et licet inhæreret in quibusdam tubulis, ac præter labenti sero immisceretur; quomodo in tam angustis tubulis posset fieri fermentatio in urinam, cùm *transitus sit momentaneus*, & absque mora continuus. Quid ni ergo seorsim ab aliis sanguinis contentis segregatæ particulæ urinam constituent.

Circulantur enim in sanguine variæ particulæ, quæ vero ab hujus vel illius visceris poris transmissæ, pro diversitate plurium vel pauciorum transmissarum particularum, varios liquores vel succos efficiunt.

Sic intestinales glandulæ ita sunt constitutæ, ut pluribus simul viam cedant, ubi *Hepatis glandulæ* & tubuli saltem *oleosis & volatilibus* ceu minùs composito liquori ingressum permittunt.

Cerebri verò glandulæ, non nisi *volatilissimis* & *aquosis subtilissimis*, talem concedunt, quid ni & renes sola segregatione & magis salinarum &c. & aquosarum particularum transcolatione simul, urinam constituent, absque cujusdam fermenti interventu; utpote quod circulantes humores, etiam minimos tubulos transeuntes ubique revellerent.

Stat ergo sententia, donec mihi persuadeat probabilior, nullum p. naturale in renibus fermentum pro conficiendis calculis concurrere, sed solùm supradictas sero immistas terreas, acido junctas, & alcalinis volatilibus immixtas particulas, causam agere.

Quæ

Quæ vero non in omnibus statim calculos producunt; quamdiu enim apertos & patentes offendunt renales tubulos, nec vel nimia propria crassities, vel nimis angusta hæreditaria structura, liberum disputat transitum, tum obstructiones vix moliuntur, nec ut vel stagnent, vel concrescant, mora datur.

Quamprimum vero vel *crassities nimia, vel tubulorum nimia angustia obstant*, tum cito hic vel ibi hærent, stagnando vero, (magis liquidis interea præterlabentibus,) se apprehendunt, & *proxime sibi invicem appositæ, solidi consistentiam assumunt*, primo in minimis tubulis: ex his vero circulante naturâ fortiter tum propulsæ, vel arenularum adhuc formâ excernuntur: vel in magis amplis & apertis tubulis hærentibus, (urinâ interim propulsâ,) noviter accedentes agglomerantur, & sic sensim augentur moleculæ, donec moles, sive maior lapis, pro cavitatis tubuli capacitate, inde exsurgit.

Quamprimum verò aliæ accedentes molem nunc ita auxerunt, ut urina de novo haud penetrare tubulum illum possit, eum veluti cuneus cuneum trudit rursus, & sic paroxysmum inchoat: quo actu fibras tubuli illius roduntur & extenduntur, dolorq; sic menti defertur.

Quo plures vero tubuli ita sunt obstructi, eo magis etiam dolor intenditur, quando plures moventur & punguntur fibræ.

Duran-

Durante verò tali paroxyſmo, ſtagnans in his vel illis tubulis urina, acrimoniâ ſuâ ſimul compungendo *ſpaſmum inducit*, *& ſic ſibi & calculo viam præcludit*: ubi ergo interim circulantis & propellentis ſanguinis fortitudo vincit, & cum maximis doloribus interim calculum in ureteres protruſit, tum ceſſat urinæ retentio, ſemper enim ad latera calculi, quæ inæqualia ferè ſunt in omnibus, viam invenit.

Sic *Sylvius* notavit *Prax. lib.* 1. *c.* 56. calculo nunc in uretere uno vel altero, vel ambobus hærente, vix, vel ſaltem non diu, urinam impediri.

Cùm verò prægreſſæ cauſæ abſque materia vel pabulo ſuum haud diu conſequuntur effectum, hinc unde illud plerumque petunt, *remotiores cauſæ* ſunt: ubi quidem *ex Naturalibus* non contemnendum pondus & cauſam *Temperamentum* addit: quando humoribus magis craſſis, terreis & acidis conſtat: *hæreditariaque renum anguſtia* ſymbolum confert.

Sic nullam aliam hæreditariam diſpoſitionem, quam vaſorum aut tubulorum nonnullorum in renibus anguſtiam nimiam, à parentibus in liberos propagatam, agnoſcit *Borrichius Act. Haffn. vol.* 5.

Ex Nonnaturalium rerum claſſe longè magis conſiderandum pabulum, præter Aërem addunt *alimenta*: Sic ex lacte nutricis contracti calculi exemplum *Helmont. Tr.* infantis nutrit. habet.

habet. *Lacticinia ergo omnium consensu, ut & caseosa hic admodum sunt suspecta*, quoniam ex acido in primis viis contento, leviter invertuntur & acescunt, ac tum terreo suo alcali in ipsis primis viis coagulato, calculi primordia ponunt. *Pisces etiam malè audiunt glutinosi, anguillæ*; inter carnes suillæ vel & aliæ salitæ & fumo induratæ &c.

Inter *Potus* genera, *vinum terreis particulis turgidum* & acido-austero refertum, ut sunt *Franconica*, & alia in frigidis locis & frigidiore sub Sole enata, Bacchi filiis pro grato aciditatis gustu, calculosam frequentissimè relinquere solent dispositionem, fidissimum Arthritidis, Scorbuti &c. comitem.

Prognosis hic nobis sistit affectum, etsi rarò lethalem, aut citò jugulantem: attamen acerbum & chronicum plerumque, præcipuè hæreditaria lege contractum, vel & senes corripiens ferè incurabile: *Hippocr.* hoc annotante, qui ipse renum affectiones ultra quinquagesimum annum non vidit sanatas, *lib. 9. Epid. Sect. 8.*

Sic *Forestus* observavit, rene uno affecto, alterum quoque reddi inutilem, & urinæ fluxum intercipi: ob communem causam tam huic quam alteri advectam: quod verò hic citius quam alter afficiatur, tubulorum magis angustorum, ab ortu ita contextorum, culpa fit.

Vix enim offendimus hominem, ubi in partibus aliàs quoad usum æqualibus, æqualia vasa & æquales tubulos reperimus: quin diversitas quædam vel quoad situm, vel quoad texturam aliam occurrat.

Cl. Ettmüller non tam ratione pathematum convulsivorum, quam subsequentis aliquando inflammationis, & inde inductæ Ischuriæ lethalis causa, periculosum esse hunc affectum docet.

Et verum est, esse hæc, obstructionis & tubulorum renalium occlusorum, immediatum consequens, mortem certo accelerans, vel & hydropi materiam relinquens; Vel etsi mortem haud cito inducat inflammatio, tamen insequentes ulcerationes, abscessus, & consumptiones, sensim ad interitum deducunt.

Sic totum renis parenchyma in pus conversum, solà remanente tunicâ, notavit *Segerus.*

Et ipse quondam novi Consiliarium Palatinum, qui sinistrum renem sub puris forma cum sanguine excrevit, cujus loco post mortem pinguedo, membrana renis instar circumsepta, & ureter in ligamentum conversus, inventus fuit; dextro rene simul corrupto, & materiam cadaverosam, ac in plurimis foveolis & tubulis calculos comminutos, sanguinemque putridum continente adhuc dum.

Quando

Quando *gravidæ affectu hoc corripiuntur, tum facile abortum patiuntur.*

Paroxysmus si nullis remediis placabilis existit, cumque superveniunt extremorum frigus, sudor frigidus, cum Ischuria præsertim, tum mortem in propinquo esse experimur.

Aliquando vero *hecticam* simul *incurrunt nephritici.*

Sic & non raro periodicè affligunt paroxysmi, vel symptomata certis intervallis cedunt & redeunt certo tempore, febrium instar, quale exemplum *Cl. Ettmuller notavit in Praxi p.* 178.

Convalescentiæ tandem, & paroxysmi cedentis signum est, si urina ab initio tenuis & alba, postea vero crassa, in fundo matulæ sabulum, vel frustula quasi lapidum deponit.

Ad Curam devolutis, duplex se sistit curandi ratio. Prior paroxysmum respicit compescendum: altera extra paroxysmum calculorum resolutioni, expulsioni, & ne de novo concrescant, præservationi incumbendum esse jubet.

In paroxysmo verò ante omnia calculi, à circulante natura fortiter propulsi, & inde excitatorum pathematum dolorosorum, convulsivorum &c. maximus habeatur respectus.

Propterea ante omnia vel calculus commotus ad quietem disponatur, vel viis dilatandis

dis insistatur, ut absque magna pressione cedant tubuli, & fibræ convulsæ remittant, contractioque cedat.

Præstant vero hoc emollientia calida, & internè mediantibus clysteribus, quā externe pro fotu applicata; Poteritque commodè fieri tale enema:

℞. *Flor. chamomill.*
verbasci
hyperici
Herb. & flor. melilot. aa. q. s.
Sem. lini ℥j.

Coque cum *lacte*, & saccharo addito exhibe.

Cl. Sim. Pauli Quadripartit. Botan. Class. 3. *p.* 512. sanctè testatur, se sæpius plus commodi vidisse ægros percipere, sive colicis, sive nephriticis doloribus cruciatos, ab usu simplicis clysteris, *ex lacte vaccino, & saccharo parati*, in quo ad exemplum *Cratonis* vel *veronicam*, vel *chamomillam* decoxerit, quam ex aliis tot ingredientibus paratis clysteribus.

Non verò clysteris talis effectus inde est, quod fœces ex accidenti educendo, renum compressionem, ut putant, à fœcibus excitatam, arceant, (sanè renum parenchyma est corpus admodum solidæ texturæ, quod adeo levi compressione ab extra facta se comprimi haud patitur, & quidem à rebus sibi invicem adhuc

adhuc cedentibus,) ſed clyſteris hunc eſſe expetitum effectum, certum eſt, quod particulis ſuis humidis demulcentibus, poros non ſolùm inteſtinorum, ſed & adjacentium membranoſarum partium penetrent, & calore activo ſpaſmodicam earundem contracturam auferant, ſicque tubulos etiam renum dilatando, contractionem eorum ſimul abigant & ceſſare faciant; ut tum calculis viam liberius cedant, & dilatari, (vel ad minimum à ſpaſmis coarctari non amplius,) ſe patiantur.

Id quod præter enemata etiam optimè præſtant *Fotus*, & poris calore pauliſper dilatatis *Litus* optimè penetrantes.

Pro Fotu verò

℞. *Herb. & Flor. melilot.*
Flor. chamomill.
verbaſci
geniſtæ. aa. q. ſ.

Fiant exinde ſacculi, qui *cum lacte cocti* & expreſſi, ita calidè lumbis & renum regioni imponantur, & ſæpius calidi reiterentur. Poſtea

℞. *Ol. ſcorpion.*
amygd. amar.
petræ aa. q. ſ. mſ.

Vel. ℞. *Ol. petræ alb.*
Camphor. mſ. & poſt Fotum diligenter inunge, ac ſacculos calidos deſuper rurſus impone.

Fotus loco etiam *Balnea ex emollientibus herbis* parata insignem præstant usum, ubi sacculus cum similibus herbis repletus lumbis admoveri, post egressum vero jam commendati litus in usum vocari debent.

Ingredientia pro Balneo hæc vel similia esse possunt.

℞. *Herb. heder. terrestr.*
parietar.
violar.
Flor. chamomill.
melilot.
genist.
verbasci
sambuci
Baccar. juniperi.
Stramin. fabar. aa. q. s. pro Balneo.

Cui insidens patiens assumat *olei amygd. d.* ℥j. in jusculo carnis, cui *radic. petroselin.* incoctæ fuerant: & si propulsioni calculosæ concretionis fortius paulò insistere licet, spasmis nimirum sedatis, tum inferius selecta etiam propinari possunt.

Quod mucilaginosa sem. lini. fænugræc. omiserim pro Balneo & Fotu, ac olea clysteribus indita haud commendem, inde est quod hæc poros potius deobstruendo, quam verè aperiendo insistant, contra nostram intentionem: nisi volatilia sint & penetrantia.

Sed

Sed si demulcentibus hisce externis dolor haud cedit, & subsistentis urinæ acrimonia, & calculosæ concretionis acumina, interim à sua rosione, & spasmodica vellicatione haud remittunt, tum *ad anodyna* interna, *& acrimoniam* stagnantis seri *demulcentia*, fiat accessus.

℞. *ergò* *Ocul. cancr.* ʒß.
Cinnab. ♉. ℈j.
Mandib. lucii ʒj.
⊖ *vol. urin.* ℈ß.
Extr. opii gr. v. mſ. pro 5. dosibus.

Vel & ex tanta *Cl. Simonis Pauli* commendatione, propina *Decoctum flor. chamomill.*

Occurrunt hic *Simplicistæ*, qui *clamant, opiatis suam sopiri putatitiam facultatem expultricem*, & ligari quasi, cum potius ad expellendum instigari debeat.

Illis vero objicimus illud *Cl. Wedelii de Opiologia p.* 125. ubi, si dolor urgeat, inquit, calculus sit magnus, vigiliæque inde, & denique forte lipothymiæ oriantur, propina quæso expellentia, stimulantia, facultatem expultricem roborantia, ipsamque vitam cum gemitu expelle. Non possunt expelli calculi ut lumbrici. Quin sæpè cùm calculus jam intravit ureteres, insignesque ciet cruciatus, neque tamen expelli potest, adhibitis aliis externis, quæ eundem retrahunt, cessant dolores.

Contra ea observatum est à nobis, sæpius datis ejusmodi demulcentibus facultatem longe magis roborari. Neque sopitur eadem hoc modo in totum, ut nil amplius agat, sed dolores sopiuntur, ut facultas expultrix, (circulantis naturæ motus mihi,) eo valentius insurgere queat. Ita Pulvis *ex ocul. cancr. cinnab. mineral. & opio Excell. Dn. Ludovici*, crebriori nostra experientia longè optimus est, cui resolventia alia *ex sperm. ceti*, aliisque quandoque non inutiliter miscuimus.

Egresso verò è renibus, & ureteribus altè impacto, inefficax esse hoc remedium, *Unzerus* notavit.

Notabilis est historia, quam recitat *Riverius Cent. 2. Obs.* 15. Vidua dolore nephritico vehementissimo vexabatur, cum urinæ acrimonia, & frequenti micturitione: huic neque *clysteres cum* ▽. *benedicta, neque cum terebinthina, neque cum laudano, neque semicupium, neque laudanum* assumtum, quicquam profuêre, dolore clamoso per biduum perseverante: tandem aperta fuit vena malleoli, & statim sanguine misso, dolor ingens quievit, superstite saltem dolore obtusiore.

Venæ Sectionis Patroni magnum hoc argumentum fortè esse gloriabuntur, quo suam ubique commendatam necessarii liquoris vitalis profusionem defendere possent: sed adhuc dubium restat, an prægressa medicamina non

non potius fuerint effectus optati causa, quam Ven. sectio: cùm aliquando effectus non adeo subitaneus, sed diebus aliquot assumta medicamina insequi soleat.

Interim non potest negari, Ven. sectionem aliquando per accidens levamen afferre posse, quando circulantis sanguinis propulsio nimis fortiter calculum urget, plurimum seri convehendo, tum si plethora urget, imminuta ejus quantitas levamen aliquod præstare poterit.

Præmissis interim, doloreque & spasmodicâ contractione quodammodo sedatis, ad calculum infringentia, si adesse hariolatur, vel ad præservantia accurratur, simul Diuretica; quæ specificè ad calculum dissolvendum experta fuere inventa, non aliter ac Aqua fortis ad metalla, Lunam, Venerem, &c. Aqua Regia ad Aurum: Acetum ad testacea &c. ubi tamen propterea non requiritur ulla corrosivitas, sed singularis particularum dispositio, quæ calculum & non aliud quid aggreditur, ut aqua saccharum, & sal, non vero terebinthinam, oleum &c. Sic *Boyle in Phil. exper.* aliquot refert exempla, per solum *semen Dauci* fracti renum calculi.

Similium virium sunt *Hedera terrestris, veronica, fragaria, capita allii, semen hyperici, terebinthina* &c. ex simplicibus.

Sic v. g.

℞. *Hederæ terrestr.*
Capitum allii
Spir. vini ℥xij.

Stent hæc benè clausa, tum verò pro scopo præservativo singulis Novilunijs detur cochl. j. loco spir. vini alii commendant vinum malvaticum, cum baccis juniperi destillatum, tum Rob juniperino prius saturatum, & affusum.

In Persicaria etiam multum latitare contra calculum, *Cl. Ettmüller ex Boyleo Phil. exper. persuasus*, asserit *in Praxi*, si ejus aqua destillata aliquoties à recenti planta cohobatur, ac pro potu exhibetur.

Ex his & aliis poterit fieri tale Decoctum, v. g.

℞. *Sem. Dauci*
hyperici aa. ℥ß.
Fruct. alkekeng. n. x.
Baccar. juniper. m. j.

Coque cum ▽. *petroselini* & fontana, Colaturæ adde *spir.* ⊖ *dulcis*, q. s.

Præter hæc & Therebinthinata non sunt rejicienda, v. g.

℞. *Terebinth. Cypr.* ʒß.
Sem. Dauci ℈j.
lycopod. ℈j. ms. Fiant Pillulæ pro dosi.

Vel

Vel ℞. *Sem. Dauci*
hyperici aa. ʒj.
papav. alb. ʒß.
▽. *heder. terrestr.*
veronic. aa. ℥ij. Fiat Emulsio pro dosi.

Vel ℞. *Nitri puriss.*
⊖. *urin. volat.* aa. ℈ß. misce, pro dosi.

Vel ℞. *Essent. meæ succini* ℥j.
Salis vol. succini ℈j.
Balsami veri ℈ß. ms. Fiat Essentia.

Hæc & similia sedato dolore sæpius in usum vocata, insignem præstabunt opem.

Spuriam quod concernit Nephritidem, ubi saltem sal enixum sive tartarus sabuli rutilantis forma, sanguineam quasi constituit, & excerni facit urinam, quæ in renibus, aculeos suos infigendo, & spasmodicis contractionibus afficiendo, aliquando tormenta ipsis Nephriticis graviora concitat, & stranguriâ intolerabili continuâ Hypochondriacos & Scorbuticos excruciat.

Hic calidiora Diuretica, v. g. *terebinth. juniperin.* malum exasperare notavit *Frider. Garmannus M. C. Ann.* 72. *Observat.* 44.

Spiritum salis vero comm. ut & *Spir. lumbric. terr. Essentiam item Nephriticam ex ligno nephritico cum Spir. ⊖is com. & fragor.* extractam, & vehiculi loco *cum* ▽. *petroselini, & urticæ, in quibus lapis crystalli candefactus extinctus fuit*, exhibita, strenuum se præstare averruncando asserit.

Cujus loco & *testæ ovorum Struthionum*, cum *Spir. ⊖is solutæ*, præstans exhibentremedium, etiam in vera Nephritide.

Circa *Diætam* observandum, ne in usum veniant cibi & crassioris succi, & leviori acescentiæ obnoxii, qualia sunt Lacticinia, fructus horarii, ac legumina &c. è contra veniant in usum cremor hordei, juscula carnium, carnes teneræ, ova sorbilia, asparagi, petroselini radices, lupulorum germina, spinachia, raphanus, &c. sobrietas ubique tamen concurrat.

Potus sit *Decoctum baccar. juniperi, & veronicæ, aut Potus herbæ Thee* : vel si vinum expetitur, cum oculis cancr. infusum priùs steterit. Cerevisiaque cum succo betulæ decocta in usum veniat. Paroxysmi verò tempore Potus nimius vitetur, ne occlusis renum tubulis regurgitare, & aliis malis occasionem addere queat inde in copia enatum serum.

Oph-

Ophthalmia.

Est oculorum inflammatio, maximè tamen tunicæ adnatæ, à sanguine in ejus vasis capillaribus, & tubulis stagnante, & à circulatione libera impedito, hinc ruborem, dolorem cum lachrymis exprimente.

Subjectum, sive pars ipsa affecta, est oculi tunica adnata, sive alba in specie, in genere verò totus oculus, pretiosissima corporis pars, & Animæ speculum.

Signa, quæ mali hujus præsentiam indicant, sunt venæ in oculorum albo aliàs obscuræ, & invisibiles ferè, nunc à stagnante sanguine rubedine suffusæ, & conspicuæ factæ, cum ardore, dolore, & acrium lachrymarum effluxu, ubi si malum ingravescit, album oculi rubescens adeò tumet & increscit, ut nigro sublimius evadat: tumque *Chimosis* vocatur ultimus hic Ophthalmiæ gradus, ubi palpebræ quasi simul inversæ sunt, & tument.

Ratione modi afficiendi Ophthalmia aliquando est Epidemica, & nonnunquam contagiosa, vel & Periodica. Familiare est eos, qui Ophthalmicor. sæpiùs oculos inspiciunt, simul eodem malo corripi. Periodicam ipse, cùm Giessæ olim Studiorum causa degerem, expertus fui, ubi præcisè circa vesperam hora quin-

 ta

ta à superioribus locis depluebat, & in momento quasi invadebat Ophthalmia cum maximis ardoribus, & rubedine, tribus insequentibus diebus cedebat verò suffitu ex summ. absynth. instituto.

Causa immediata est arteriolarum minimarum obstructio, & in eis stagnans vel subsistens circulatio, hincque inducta inflammatio.

Mediata proximior est circulans sanguis per arterias ad singulas corporis partes deferendus, crassitie & acrimonia, aut perturbata mixtura depravatus, prævalentibus vel acidis, vel alcalinis sub serosarum tamen dominio latentibus.

Inter *Remotiores causas* quævis *Temperies*, *ex Naturalium rerum censu*, crassis & acribus succis constans, materiam suppeditat. Et hæreditaria oculorum, & tubulorum ejus dispositio, nimis angusta, occasionem frequentem addit.

Ex Nonnaturalibus rebus, peregrinus æther, & vel particulis subtilissimi ætheris nimis turgidus, & æstuans aër: vel particulis nimis acidis, obstruentibus, sensum frigidi inducentibus imprægnatus, oculis plurimum facessit negotii.

Ex Cibo & Potu magni hic sunt momenti alimenta crassa, viscosa, aërea & vaporosa, cæpæ, sinapi, raphanus, & ex Potu vinum, &c.

Inter

Inter *Præter-Naturales res*, variolæ communiſſima ſolent eſſe inflammationum harum cauſa. Neque verò excluduntur externa alia, Contuſiones, Ictus, Vulnera, &c. ut & forinſecus advenientia, ut pulvis, fumus, oleum, acetum, veſparum, apum ictus &c. quæ partim poros oculorum penetrando, & ſubtiliſſima vaſcula lacerando, ut in cincinnos reſiliant, & ſic circulantium ſtagnationi anſam addant, efficiunt: vel porulis minimis humorem ſubtilisſimum infundendo, & præterlabenti ſanguini communicando, cum coagulant, & obſtructioni ac inflammationi aptum reddunt.

Prognoſis nos docet, quod, etſi Ophthalmia quidem ex ſe haud ſit lethalis, attamen aliquando non minimi ſit ponderis, ſi frequens eſt, & dolores graves junctos habeat: periculum enim addit, ne exeſis oculi tunicis, & cornea exulcerata, cæcitas aut ſuffuſio ſequatur.

Quo copioſiores verò ſunt lachrymæ, etſi mordaces, citiùs tamen tollitur hoc malum.

Aliquando etiam alvi profluvium ſuperveniens, aut ſubita hæmorrhagia, malum in melius mutat, ubi plethora adeſt.

Difficilius tamen curatur in pueris, cæteris paribus, quàm in adultis.

Qui ſuffuſioni ſunt obnoxii, ferè ſemper alvo adſtricta degere, Rondeletius notavit.

Cura-

Curationem quod concernit, perficiatur pri-primò universalem circulantium humorum acrimoniam cicurando, tum expellendo.

Priori verò intentioni dulcificantia & absorbentia *ex Bezoardico minerali*, ♁. *diaphor. Ocul. Cancr.* &c. satisfaciunt.

Quando verò his acrimonia pauljsper cicurata extat, tum *Riverius Folia Sennæ* ad oculorum affectus in specie commendat, cum aliis. *Horstius Tom. 2. p.* 337. post pillulas ex *Extracto Pill. Cochiar.* ☿. *dulci*, & *Diagrid. correcto*, factas; *Bezoardico minerali* ad gr. x. exhibito, miraculi instar restituit juvenem ophthalmia ex metallorum separatione correptum.

Post hæc ad Topica accedendum, quæ si adstringendi vi prædita sunt, ab initio minimè oculis, quia sic dolorem & inflammationem augerent, sed Fronti mediocriter frigida, & temporibus admoveantur. Inter hæc verò præstant *albumen ovi cum alumine agitatum* ad pultis consistentiam.

Si dolor magis urget, is priùs demulceatur sequentibus, v. g.

℞. *Fl. Chamomill.*
Meliloti.
Cyani aa. m. j.
Sem. fœnugraci ℥ß.
Coque cum ▽. *rosar.* & *fœniculi.*
tum adde *Micæ panis* q. s.

Vitelli

Vitelli ovi no. ij.
Croci ℥j.
Lactis muliebr. q. s.
Fiat cataplasma.

Hildanus commendat hoc, v. g.

℞. *Micæ panis alb.* ℔ß.
Sem. fœnugræc. pulveris.
Cydonior. aa. ℥ß.

Cum lacte ad consistentiam cataplasmatis coctis adde
Vitell. ovor. no. ij.
Croci ℈j. ms. & calidè applica.

Barbettus in dolore maximo se hoc optimum reperisse asserit v. g.

℞. *Gummi tragac.* ʒij.
Mucilag. Sem. psyll. ʒiij.
▽. *rosar. & plantag. aa.* q. s.

ms. fiat Collyrium mediocris consistentiæ, guttatim oculo instillandum, & linteis in eo madefactis extra applicandum.

Si à contusione, vel vulnere dolor excruciet

℞. *Pomor. dulc.* no. iij.

coque in s. q. ▽. *euphras. & rosar. ad mollitiem* tum per Setaceum trajectæ pulpæ adde
Sacchari albi ʒij.
Album. ovi no. ij. conquassat.
Camphor. gr. xj.
Croci gr. v. ms.

Hoc in quocunque oculorum dolore inflammatorio convenire *Cl. Ettmüller in Praxi asserit. p.* 357.

Dolo

Dolore sedato, nec adeò urgente, accedendum ad ea quæ sanguinis stagnationem auferunt, & acres seri particulas, glandulas lachrymales continuò vellicantes, & ad expressionem stimulantes demulcent. Non tamen sint nimis acria, qualia *Ophthalmicum Crollii* continet: Sed

℞. ▽. *Chelid. maj.*
Rosar.
Herb. fœniculi aa. ℥j.
Vitrioli albi gr. v. mſ. & Filtrato adde
Nihil albi ℈ß.
Sacchari ♄*ni* gr. xv. mſ. pro collyrio,
quod applicetur & instilletur calidè.

Vel. Fiat hoc decantatum *Barbette.*

℞. *Ovum gallin. coque ad mediocrem duritiem*, tunc demta testa & vitello cavitati indantur

Sacchari ♄*ni* gr. vj.
Camphor. gr. ij.
Vitrioli alb. gr. iij.
Mell. rosar. ℥ß.

Postquam ita paulisper mixta steterunt, fortiter exprimantur, & si liquor nimis crassus, adde ▽. *Chelid. maj.* q. ſ. Postea bis vel ter de die guttatim instilletur.

Nullam tamen hac meliorem aquam ophthalmicam esse asserit, v.g.

℞. ▽. *Euphras.*
Fœniculi aa. ℔j.

Salû

Salis com. ℥vj.
Vitrioli albi.
Tutiæ præparat. aa. ℥ß.

Ebulliant parum & colatura detur usui.

Magna vitrioli copia ne te percutiat, inquit, nam dolorem excitat levissimum, qui citò perit: sed viribus pollet egregiis, & quæ vix fidem merentur, quemadmodum unusquisque ingenuè profitebitur, si in tempore adhibuerit.

Si unguentum placeat,

℞. *Axung. porci* absque sale, vino lotæ ℥j.
Camphoræ ℈ß. mistis his adde
Sacchari sive extr. ♄*ni* ℈j.
Nihil. alb. ʒß.
Ocul. Cancr. præparat.
Corall. r. præparat.
Margarit. præparat. aa. gr. xv. mſ. fiat unguentum.

De quo tempore somni parum, magnitudine scil. lentis, immittatur Cantho majori, & infra palpebras illinatur.

Si serum est admodum acre, tum *flores Zinci* acrimoniam optimè temperant, & absorbent, cum ▽. *rosar.* guttatim instillata, eisque melius nondum se expertum esse *Barbette in Praxi* asserit.

Ubi Cataractæ metus adest, insigniter convenit *Aq. Ophthalmica Rulandi*, quam ex ▽. *Rosar.* ℥iij. *Croci metall.* ℈ß. conficit, sed optimè filtrari debet: alii ad ℥iij. liquoris addunt

dunt croci metallor. ℥ß. *vid. Pharm. Quercet*, magni ſanè æſtimatur *à Rulando*, & aliis, tanquam potenter exſiccans & reſolvens.

Stultetus in incipiente Cataracta ſeu ſuffuſione commendat *Fel Lucii* cum *parum Sacchari* commixtum. Hoc remedio, *præmiſſâ purgatione & veſicatorio*, retro aurem ſiniſtram adhibito ſe curaſſe, & reſolviſſe intra 8. dies cataractam aſſerit, poſtquam aliquoties parum ſiniſtro inſtillaſſet oculo.

Conducit etiam optimè *Spir. vini* externè ſæpiùs applicatus.

Hæc verò non ſolùm in cataracta, ſed in panno ſive ungue potiùs, (ubi eroſâ adnatâ, lympha nutritia tranſſudat & in concretum membranaceum faceſſens, externê oculum tegit) conducunt. Ubi & *Aqua Saphyrina* potens eſt remedium, ac *Saccharum Candi* etiam valet, item *teſtæ ovor. calcinatæ* &c. ſimilia acriora: quæ verò in levioribus malis cautè vel nunquam veniant in uſum, ne teneras tunicas plus quàm acre aliàs ſerum erodant, & cæcitatem inducant, quemadmodum obſervavit *Hildanus ab Ophthalmico Crollii. Cent. 5. Obſ.* 28.

Interea verò temporis, dum externa hæc & ſimilia ſunt in uſu, non negligantur Interna alia, Alterantia, Diaphoretica, Diuretica *acrimoniam Seri edulcorantia* & ſimilia.

Prodeſt verò *Decoct. Ligni Saſſafras* quo Fœmina apud *Horſt. lib. 2. Obſ.* 32. multis internis irritis,

irritis, etiam Setaceo incassum adhibito, tandem à contumaci Ophthalmia liberata fuit.

Neque minùs prodest *Decoct. Rad. Chin. Sarsæparill. Santali* &c. vel & *Potus Thee* in continuum usum vocatus.

In magis siccis & calidis convenit *Serum lactis tamerindinatum*, ut & *emulsiones ex Sem. frig.*

Si Fluxio gravis est, detur *Tinctura anodyna* &c. Plura tradit titulus de Catarrhis.

Præterea jubet *Hildanus* humeros *scarificare*, appositis *cucurbitulis cum multa flamma*, & vesicatoria retrò aures ponere.

Radices etiam *imperatoriæ* diligenter in ore contineantur & masticentur, sic extrahetur lympha acris. *Sternutatoria* verò *vitentur*.

Et *pro præservatione* laudant vulgò Practici *Fonticulum* in altero brachiorum.

Notabilem Ophthalmiæ casum communicat *Cl. Wedelius M. C. Ann.* 76. *Obs.* 124. Adnatam in Ophthalmia inflammari experimur, ibi refert, sed eandem humore suffundi rariùs:

Pastor, primùm in mala, prope oculum dextrum tuberculum quoddam passus, me consulebat, quod illo evanescente oculus ruberet, & tunicæ adnatæ cuticula tota circumcirca pupillam manifestè elevata sero turgeret fluxili, & hinc inde pro ipsius oculi motu mobili & tremulo, adeò ut pupilla & iris depressa sub-

ſidere in profundo viderentur. Aperire non conſultum duxi, ſed diſſipationem meditatus, exhibui *ſudoriferum liquidum*, cum *Eſſentia Succini alcalina*: Exteriùs verò præter *veſicatorium nuchæ applicatum*, Balſamum Ophthalmicum *ex pinguedine viperina*, & collyrium *ex croco metallorum*, cum *aq. chelidon. maj.* &c. ex voto Sanitatem adeptus.

Aliquando *diuturnus & immanis dolor capitis* materiam pro oculo corrumpendo & oculi tubulos corrumpentem & obſtruentem adeſſe indicat, quæque humoribus ſe immiſcendo & acrimonia ſuâ ſtagnando Cancrum Oculi excitat, qui ſe prodit maximis ardentibus doloribus circa oculum & tempora, præcipuè in latere oculi affecti, ubi ab initio aliquid albicantis apparet in nigro oculi, hoc cum tempore augetur, & corruptis humoribus colore flavo & viridi ſe prodit. Et niſi in tempore efficaciſſimè occurritur *acrimoniam humorum temperantibus*, oculus planè exulceratur, & à cancro exeditur. Spes verò adeſt cancrum abſque ulceratione terminaturum, ſi punctorius & lancinans dolor remittit.

Si *Pupillæ Tabes* adeſſe hariolatur, tum deducatur homo in obſcurum locum, ſi enim tum ſe pupilla non expandit, ſignum eſt Tabeſcentiæ oculorum. Contra verò ſi explorandum, an p. n. adſit pupillæ dilatatio, tum deducatur in locum lucidum & clarum, in quo ſi non

non se contrahit pupilla, tum p. n. adest dilatatio. Solet enim semper oculus naturaliter constitutus à claritate & radiis solaribus se contrahere; absente verò tali se dilatare.

In *Diæta* vitentur Cibi crassioris succi & difficilioris digestionis sive dissolutionis, ut sunt carnes & pisces, salita, iufumata, siccata, brassica condita, fabæ, milium, ciceres, lentes, cæpæ, sinapi, raphanus, caseus, nuces juglandes, castaneæ, fructus horarii, & acescentia omnia alia, juxta Distichon:

Balnea, Vina, Venus, Ventus, Piper, allia, fumus:
Porrum cum cæpis, lens, fletus, faba, sinapi,
Sic quoque Sol, Ignis, Labor, Ictus, Acumina, Pulvis,
Ista nocent oculis: sed vigilare magis.

Palpitatio cordis.

Est inordinatus & convulsivus Cordis motus, sive fortior aut longior, moram nectens, systole, sive contractio: nunc vehementior nunc mitior; à sanguinis, vel nimium viscidis & crassis lentè mobilibus, aut flatibus immixtis particulis, constantis stagnatione, & intercepto libero paulisper

 trans-

transitu, indeque inducta ex una parte distensione, ex altera verò contractione fortiori, trahens ortum.

Species quædam *esse videtur Cordis Tremor*, quando tremulæ, & crebriores sunt pulsationes.

Pars affecta sive *Subjectum* ipsum Cor est: cum enim hoc naturalis pulsationis primarium sit instrumentum, & quasi Fons, præternaturalis etiam pulsationis, sive palpitationis organon esse haud desinit.

Signa affectus hujus satis sunt manifesta. Præter ipsam enim ægri relationem, qui in Paroxysmo cor constringi vel ambabus manibus quasi comprimi sentit, etiam ipsos non rarò incurrit oculos, & vestimenta ad motum cordis subsultare videntur.

Sic &, manu sub sinistra mammilla admota, tactu exactè percipitur. Et præterea respiratio rara est & exigua.

Est verò palpitatio hæc non rarò adeò vehemens, ut, teste *Timæo*, adstantium aures non modò feriisse, sed & vicinas costas confregisse, aut de sede sua depulisse, imò & septum cordis disrupisse, *à Fernelio*, *Foresto*, *Horstio*, *Harvejo* &c. observatum fuerit.

Causas etiam non rarò latentes signa patefaciunt v. g. Quando Tumores, Calculi, Vermes

mes &c. mali hujus causa existunt, tum anxietas pungendo & rodendo continua adest.

Si Hypochondria causam fovent, tum non rarò ex hypochondrio sinistro accedentis *quasi fumi sensus* percipitur: qui ferè *nil est nisi spasmus* à stagnante sanguine & cor convellente, simul partes in inferiore ventre sitas afficiente.

Causa immediata nostri affectus est cordis convulsiva systole, sive fortior & diuturnior constrictio, sanguini ingresso liberum denegans transitum, sed diutiùs quàm par est eundem in corde stagnare faciens.

Mediata proximior sunt *circulantes humores crassitie & rigiditate peccantes*, & crassioribus particulis conflati, vel cum, vel absque flatibus retentis, sed acrimonia conspicuis.

Flatus cum sanguine circulantes (ob poros ubique occlusos & convulsione quasi coarctatos,) non rarò esse in causa, *Hollerius* exemplo confirmare videtur *de morb. intern. l.* 1. *cap.* 29. Refert enim, *Præsidem* Rothomagensem, sæpissimè cordis palpitatione correptum, cum pulsu vel nullo vel parvo, & sine ordine, paroxysmo soluto, edidisse crepitum, ructum, aut clysterem.

Crassitiem verò potissimam suppeditare causam, remotiores plures causæ docebunt.

Effectus, quem sæpiùs ita stagnantes, &

palpitationes excitantes humores edere solent, distensio & nimia dilatatio cordis est. Observarunt enim *Cæsalpinus*, *Ballonius* & alii, Palpitationi cordis obnoxios *post mortem* exhibuisse *cor amplum*, & *ad majorem dilatationem fermè ineptum*.

Et ferè hic accidit quod *in Ischuria*, in hac enim *carneæ fibræ* in media vesicæ tunica, ob urinæ copiam latera nimiùm distendentem, *nimis extensæ*, *vesicæ orificium contrahunt*, & urinæ viam præcludunt.

Pari modo hic fibræ cordis, ex una parte contractæ, stagnationi ansam addunt, stagnatio verò distensioni, distensio verò nimia cor haud ita promptè se contrahere patitur, sed moram injiciendo per vices palpitationem excitat; *diutiùs* verò *in tali statu subsistendo*, *lipothymiam* inducit.

Planè verò ita permanens Syncopen cardiacam & citam mortem contrahit.

Recentiorum plurimi vulgò, singulari fermentationi & sanguinis rarefactioni, quemadmodum naturalem pulsum, ita & p. n. palpitationem adscribunt.

Sed cùm notum sit, *fermentationem* & inde insequentem rarefactionem *non fieri nisi in stagnantibus*, *& quidem disproportionatis liquoribus*: commoti enim liquores nullam fermentationem, sed effervescentiam potiùs instituunt subitaneam, si sunt disproportionati.

Quo-

Quoniam verò *motus circulationis citus est*, & esse debet, hinc *nulla in circulantibus fermentatio locum habet*, nisi stagnent: atque tum stagnatio fermentationis causa est, & non contra.

Solam ergò hic accusari posse circulantium humorum crassitiem, mihi firmiter persuadeo.

Quemadmodum enim accidit, ut fortiori motu sanguinis motus auctus, & in pulmonibus aggestus, neque verò per cor ita uno impetu transiens, sed paulisper sufflaminatus, sanguinis circulus, in corde palpitationes excitet; quidni crassitie peccans sanguis, & lentum cursum perficiens, absque tali motu in pulmonibus aggestus, easdem excitabit.

Accedit sanguini *immixta acrimonia*, quâ lentè vel coactè cor transiens fibras compungit, & ad contractionem spasmodicam irritat, tum sibi ipsi viam magis adhuc angustans.

Sola ergo circulationis necessitas interrupta, & interceptus liber motus, sanguinis crassioris consequens est, & Palpitationum Proximior Causa, id quod ferè omnes *Causæ remotiores* demonstrabunt.

Sic ex *Naturalibus rebus* notamus *Temperamentum* crassis humoribus, vel vitiosè inter se contextis particulis constans, aut nexu suo haud omnes adeò exactè sibi junctas habens,

hoc malo obnoxium esse præ aliis, quemadmodum hoc *Hypochondriaci, Scorbutici, & mensium suppressione & Cachexia laborantes indicare videntur.* Quidni verò talis hæreditaria dispositio aliquando causa existere poterit, *humoribus ab ortu crassis & vitiosè contextis.*

Ex Nonnaturalibus rebus peregrinus æther non infrequenter circulantium humorum motum per pulmones attractus sufflaminare & palpitationes excitare valet: quemadmodum *Metallarii ex aura arsenicali* non rarò hoc experiuntur: & *alii qui ex infesto odore* mox cordis palpitationes sentiunt.

Neque verò Cibus & potus, crassitie peccantem vel flatibus immixtum chylum suppeditantes, hic extra culpam sunt. Sic *ab oleribus & leguminibus* assumtis palpitationem cordis se persentiscere, testatur *Malpighius Epist.* 1. *de Pulmon. ad Borell.*

Neque subtilia oleosa, aliquando viscidis humoribus, & crassitie peccanti sanguini se immiscentia, sunt extra culpam. *Sic in M. N. C. Ann.* 3. *Obs.* 134. *p.* 244. quædam *Hypochondriaca ex frequentiori cinamomi usu* in palpitationem cordis incidit contumacem.

Quid animi pathemata hic valeant, præcipuè terror, notum est. Nec ira excluditur, aut Venus &c. admodum enim motibus his animi & corporis, sanguinis interrumpitur circulus, dum

dum partim circulationem ſufflaminant, vel impetuoſius exagitant, & in Pulmonibus diutiùs moram nectere faciunt; copioſiùs in eos ſanguinem quidem adigendo, ſed per cor haud ita promptè, niſi data mora ſenſimque propellendo.

Ex Præternaturalibus rebus innumera occurrunt circulationis impedimenta, ſic *nullis tam familiare* hoc malum eſſe comperimur *quam Hypochondriacis & Scorbuticis*, ſanguine vel nimium coagulato & craſſo, vel texturâ, & nexu ſuo plus ſoluto, & circulationi inepto, gaudentibus. Sub quem cenſum menſium ſuppreſſione laborantes, Cachecticos, aut alia ratione coagulatum aut grumeſcentem vel craſſum, aut in circulatione ſua facile ſubſiſtentem, obtinentes ſanguinem numeramus.

Non tamen hic putandum, ex *Ettmülleri in Praxi* mente, ac ſi flatus (qui ante inſultum aliquando in hypochondriacis murmura & rugitus efficiunt,) ex hypochondriis ad cor aſcenderent, & ita palpitationem inferrent.

Sed Palpitatio, dum circulum humorum univerſaliter ſufflaminat, & cor convulſionibus afficit, ſimul etiam partes inferiores flatus continentes exagitat, & eos ſentiri facit.

Non verò pr. naturalis circulantium humorum conſtitutio ſolùm, *ſed & ipſorum organorum p. naturalis conformatio, aut p. n. contenta*, ſanguini liberum tranſitum denegantia, non rarò ſunt in cauſa.

Sic *Truncum arteriæ magnæ* prope cor *osseum* palpitationis gravioris fuisse causam, *Willisius* habet.

Sic & *lapillos in corde repertos*, teste *Höfero, Herc. Med.* vel & *Pulmonum infarctus*, & obstructiones, *Willisio* ita notante, Palpitationis etiam fuisse causam, legimus.

Imò & *vermes intra pericardium cordi adhærentes*, Palpitationis, lipothymiæ, imò & convulsionum causam aliquando extitisse, docet observatio *Petri à Castro Veronensis*, qui dirum morbi genus in *Cantabria* sub epidemica constitutione notavit, in quo post ingentem ægrotantium stragem, quo omnes convulsi cum continua palpitatione cordis moriebantur, dissectis cadaveribus, in singulis invenit vermem, magnitudine ferè minimo digito æqualem, capsulæ cordis affixum.

Utque adeò hinc concludamus, *Cor vel fluidorum, vel ipsius, organi* scil. *vitio, aut externorum aliorum* solidiorum *causa, convulsum*, immediatam esse Palpitationum causam, stagnantem verò sanguinem proximiorem.

Prognosis, etsi non semper lethalem, tamen metu plenum esse indicat: neque, *Hippocrate* hoc annotante *S. 2. aph.* 41. grandem attingunt ætatem, qui juvenes, aut magis consistentis ætatis, frequentioribus cordis palpitationibus affliguntur.

Hypo-

Hypochondriacis tamen etsi frequentior esse soleat, & sæpius recidivet, *levior* tamen *est, quam in Scorbuticis*, ubi potius ad lipothymias accedunt, & *in quibus aliquando subito catarrhus suffocativus* finem vitæ ponit, aut syncope cardiaca interimit.

Et licet aliquando convenientibus medicaminibus à malo hoc liberati fuerint, tamen levi de causa malo rursus corripiuntur, & antequam senes facti, morte præveniuntur, si sæpius recidivat.

A calculis verò, vermibus &c. exorta, semper ferè ad mortem deducit.

Quo levior tamen est circulantium humorum crassities, & inde inducta symptomata, v.g. cachexia, mensium suppressio, hypochondriaca affectio &c. eo major adhuc salutis spes affulget.

Curatio causarum remotioni potissimum insistendum esse jubet: sed quoniam hæc altioris est laboris, & longioris temporis, hinc & interim paroxysmorum etiam magnus habeatur respectus.

Priorem vero quod concernit conditionem, cùm malum hoc raró per se, absque hypochondriaca, aut scorbutica dispositione, vel cachexia, mensium suppressione &c. affligat; hinc ex titulis istis cura petatur, ubi sanguinem crassitie, vel inversâ texturâ peccantem,

corri-

corrigentia & dissolventia varia, cum integra convenienti methodo traduntur.

In paroxysmo verò fortius urgente, si plethora adesse notatur, sanguinis quantitas minuatur, quo pressio mitius agat.

Tum vero propinentur ea, quæ quovis modo cor à spasmis vindicant, & liberum sanguini transitum restituunt.

In hoc vero negotio excellunt antiepileptica omnia, & in specie *opiata*, quæ *hic sunt sacra anchora*, etiam à flatibus exorto malo, *absorbentibus & aromaticis, accarminantibus, juncta:* nec minus excellunt *camphora, castareum, crocus, ambra, succinum* &c.

Sic ℞. *Margarit. præparat.* ℈j.
Theriac. cœlest. gr. iij.
Camphor. gr. j. mſ.

Vel ℞. ▽. *meliss. cum vino.* ℥iß.
cinamom. cydon. ℥ß.
Tinct. bezoard. gutt. 40.
anodyn. gutt. 10. mſ.

Si verò aromatica hæc & similia spiculis suis oleosis palpitationis caùsam fortius exagitare, & sic malum intendere hariolamur, addatur jam dictis *spir.* ⊖*i dulcis.*

Sic etsi cinamomum, & omnia ex eo parata medicamina, in cordis palpitationibus excellere, à *Lindano* observatum etiam sit: tamen quia, ut supra notatum, Hypochondriaca quædam

dam ex nimio ejus usu malum hoc sibi contraxerat, quod per acida rursus sedatum fuit: hinc cautè propinentur cinamomisata aliquando, & cardiaca calida alia.

Nisi quando circulantium humorum crassities magis prævalet, tum enim magis volatilia etiam conducibilia erunt, v. g.

℞. ▽. *meliss.*
flor. thiliæ aa. ℥ij.
cinamom. ℥j.
Essent. succini meæ
castorei aa. ʒß.
Spir. ✱*ci urinosi* ℈j.
Syr. gran. kerm. ʒij. ms.

detur sæpius cochleatim.

Sed *quando orgasmus flatulentus sentitur*, & per ructus acres, nidorosos, oleosos, cardialgiam, ardores, jactationes, murmura, vel flatus, se prodit; tum dicta carminantia, *volatilia, aut cardiaca, cautè propinentur*, ne sanguine stagnante, turgescentiæ ejus ansam addant, & subtiliores nexu suo solutas, neque cum reliquis adeò exactè cohærentes particulas, magis exagitent, & expandant, indeque fibras magis adhuc tendant, & impetum sua mobilitate augeant, & ipsa in Gas flatulentum degenerantia, flatus incarceratos nimium pellant, & veluti cuneus cuneum trudant.

Hinc *cardiaca fixa*, sæpius volatilioribus & aromaticis præstantiora comperta sunt, *præprimis in hypochondriacis, flatibus, & phlogosibus obnoxiis.*

A crebro namque spiritus volatilis urinosi usu hæmoptysin & phthisin inductam fuisse, testatur *Frid. Hoffmann. Clav. Schræd. lib. 5. pag.* 668.

Sic & notabilis est observatio *Matth. Jacobi in A. Haffn. vol. 1. obs.* 113. ubi sal volatile oleosum *Sylvii*, sanguinem crassum primò reddidit fluidiorem, largiori verò manu potui immixtum nimis fluidum eundem efficiens, narium hæmorrhagiam largam & crebram, cum cordis palpitatione excitavit, ut incrassatione per adstringentia acida & opiata opus fuerit.

In tali casu ergo, ubi circulantes humores plus nexu suo soluti, & volatilium præternaturalium sive flatulentarum particularum obiter saltem vel leviter immixtarum copiam continent, æthere quovis peregrino volatili admodum subjectarum, & facile ad orgasmum dispositarum: in tali dico casu, *præcipitantia, absorbentia, diluentia, acidula, opiatis*, vel remissius saltem volatilioribus aut calidioribus cardiacis remixta, excellunt, v. g.

℞. *C. C. ust. præparat.*
Oss. sæp.
Cryſtall. præparat. aa. ℈j.

Marga-

Margarit. præparat. ʒß.
Santal. citrin. ℈ß.
Theriac. cœlest. gr. iij. mſ. fiat Pulvis.
Doſis ʒß.

Vel. ℞. *Conſerv. roſarum ſuccolent.*
pulp. citri aa. ℥ij.
Confect. alkerm. incompl. ℥j.
Margarit. præparat. ʒ ii.
*Spir. *ci acidi volat.* ℈j.
Olei cinamomi gutt. iij.
Syr. gran. kermes
flor. tunicæ
rubi Idæi aa. q. ſ. ut fiat Electuarium.

Præter interna hæc, Externa etiam inſignem præſtant opem.

Sic fiant *ſacculi cordiales* hunc in modum:

℞. *Croci oriental.* ʒj.
Flor. tunic. ʒij.
Cardamomi
Macis
Cinamomi
Ligni aloës aa. ʒß.
Camphoræ
Caſtorei aa. ℈ß.

Inciſa & contuſa ſacculo includantur, & cum ▽. *roſarum fragrantiſſ. flor. Naphæ, & aceti flor. tunicæ*, q. ſ. calido facto, cordis regioni applicetur.

Cl. Ett-

Cl. Ettmüller nodulum *ex croco & camphora* circa cordis regionem suspendere jubet, cui ego in hystericis castoreum jungo.

Poterit etiam in his commode fieri talis *Balsamus cordialis* hystericus, v. g.

℞. *Ung. rosati* ℥ß.
Olei succini
melissæ dest. aa. ℈j.
Castor. ℈ß.
Camphor. gr. v. mſ.

Pro inunctione regionis cordis.

Diæta constet ex cibis laudabilis succi. Juscula cum radicibus fœnic. asparagi &c. decocta, in diligenti sint usu: nec chocolada in jusculo quotidie exhibita minoris erit effectus.

Fugiantur vero ante omnia cibi flatulenti, de oculorum affectibus prohibiti, item crassum, acrem, salsum & acescentem chylum suppeditantes, fructus horarii præcipuè, aliàs flatibus acrioribus facillimè materiam suppeditantes.

Potus sit vinum aquâ dilutum, si vero caliditate noceat talis potus, propinentur *Acidulæ*, vel *serum lactis*, aut *Decoctum chinæ, sarsæpa-rill. santali* &c.

Restituit *Cl. B. Straus* primariam quandam fœminam splenetico-scorbuticam, molesta agrypnia, cum cordis palpitatione sæpius conflictantem, *Tinctura anodyna D. Horstii, Soceri sui*, cum spir. meliss. commixta & vesperi propinata, felici cum successu.

Viduam

Viduam etiam ex triſtitia & terrore inſignem cordis palpitationem cum ſuffocationis metu perpeſſam, eadem *Tinct. anodynâ, & pulvere ex ſpeciebus elect de gemmis frig. ebore in pollin. redact. ac confect. alkerm. incompl. cum ▽. meliſſ. & cord. frig. H. Saxon.* propinatis, reſtituit *vid. Palæſtr. Med. p.* 150.

Paralyſis.

SOlent affectus paralytici à Practicis hinc inde multum confundi, cùm tamen magna inter eos occurrat differentia.

Sic vulgò non ſolùm Paralyſeos nomine efferunt eam, quando ligamenta & muſculorum tendines reſolutæ, vel relaxatæ exiſtunt; ſed & illius Paralyſeos ſpecies, quæ nervos inſequuntur obſtructos, ubi illi ſpirituum animalium influxum haud admittunt, & Apoplexiæ potius Particulares vocari magis propriè poſſent.

Sed *diſtinguit* optimè *Cl. Ettmüller Paralyſin in Poſitivam & Privativam.* Etſi enim non ſemper differant ratione cauſæ, ſive naturalis motus effectricis ſpirituum & lymphæ nerveæ: differunt tamen multum ratione Subjecti, ſive partis primariò affectæ, & modi afficiendi, ut ex ſequentibus patebit.

Sic Paralysis Positiva est voluntarii motus, vel in plurimis, vel in paucis saltem, his aut illis corporis partibus abolitio: manente plus minus sensu, originem sumens à tendinum musculorum, sive ipsorum ligamentorum, (connexioni & artuum motioni proximè dicatorum,) resolutione, relaxatione; aut singulari alia earundem fibrarum vel tubulorum inversione, influxum spirituum animalium non admittente.

Privativa verò Paralysis sive Particularis Apoplexia, (ut Paraplegia, ubi omnes partes corporis sunt immobiles, excepto capite, vel Hemiplegia, ubi hoc aut illud saltem integrum latus est contractum, vel alia particularis pars motu privata extat.)

Est voluntarii motus, & ut plurimum simul sensus ablatio, ab obstructione sive contractura nervorum, circa suum principium, spirituum animalium influxum haud transmittente, & pro sensu ac motu distribuente.

Subjectum ergò, ut ex definitionibus patet, diversum est; *in Positiva* namque *Paralysi*, tendines & ipsa ligamenta, proximiora naturalis motus instrumenta, sunt affecta. *In*

In privativa vero ipsi nervi Subjectum constituunt.

Signa in quibusdam conveniunt; in nonnullis vero differunt.

Motus principaliter in omni Paralysi abolitus extat: *sed in Positiva*, nisi gravius sit malum, *sensus magis superstes est*, qui in Privativa simul cum motu plerumque perit.

Dantur tamen Paralyseos Privativæ gradus tres; Primo enim, & in leviori quidem malo, motu licet cessante, sensus tamen remanet: Malo vero incrementum sumente, & sensus & motus deficiunt, restitante tamen adhuc aliquali partis calore.

Tandem ad extremum gradum declinans malum, etiam præter motum & sensum, calore privatur, & pars frigida restat, cum flacciditate sive laxitate, aut tumiditate aliquali, vel inde sensim inducto Marasmo.

Eadem sunt Positivæ phænomena: levius namq; malum sensum etiam paulisper salvum servat: ubi gravius eundem etiam perdit.

Sic *frigiditas, flacciditasque sunt* necessariæ hujus etiam *Paralyseos sequelæ*.

Non ergo ferè *alia, nisi ratione partis in specie affectæ, differentia occurrit*: nisi quod Privativa Paralysis, sive Particularis Apoplexia, à principio usque ad veram declinationem, vel finem, in eodem ferè statu permaneat: ubi Po-

sitiva illa, ligamentorum resolutio scil. sæpius per intervalla, cessando & redeundo affligit, donec tandem inveterato malo contumacem inducat contracturam.

Sic *causæ materialis ratione* etiam, *nulla* hic, *Paralyticorum affectuum differentia* ; *se sistit* : etsi enim Privativæ Paralyseos fiendi methodus Apoplexiam : Positivæ vero afficiendi modus, scorbutica aut colica hinc inducta symptomata insequi soleat :

Differens tamen saltem est, invadendi & afficiendi methodus. Aliter enim invadit quando Scorbutum, & aliter quando Colicam prægressam habuit, aliter quando Apoplexiam insequitur &c.

A Scorbuti constitutivis, quando ita simpliciter absque aliis notabilibus symptomatibus exoritur, tum primò saltem vagus stupor, aut insensibilitas, cum formicationis sensu partem hanc vel illam prehendit: hinc successive membri labefactatur tonus, & sensim sic Paralysis inducitur.

Solet vero Paralysis hæc ut plurimum vaga esse, nisi jam inveterata in contracturam contumacem abeat: Mox enim digitus, vel brachium, aut pes, qui nunc stupet, brevi melius se habet, altero interim membro correpto.

Sic etiam semper ferè quid convulsivi concurrere solet, mox enim membrum spasmo

con-

contractum riget, mox paralysi affectum rursus flaccescit, & plus minus stupet, prout vel magis in nervis, vel magis in tendinibus, aut ligamentis, austerum illud flatulentum suum edit effectum.

Sensus tamen utplurimum manet salvus, aliquando cum dolore gravi sed vago, aut stupore saltem aliquali.

Jacentes etiam membra adhuc commodè movere queunt, sed absque stupore aut dolore vix incedere possunt, quemadmodum hæc latius & satis accuratè pertractat *Dravvitz de Scorbuto Sect.* 3.

Jam vero idem austerum flatulentum, quod absque singularibus symptomatibus in Scorbuto Paralysin excitavit, nunc eandem excitat mediante vel præmisso gravi symptomate, Colica scil. convulsiva; quando enim satis torsit flatulenta illa materia subtilis mesenterii nerveos plexus, tum ad artus delata sensim, Paralysin inducit: præmissis aliquando convulsionibus, vel arthriticis doloribus.

Quod motus pereat sensu adhuc salvo manente, diversa Paralyseos differentis Subjecta partim causantur. Possunt enim ipsius motus proximiora instrumenta sive organa, ligamenta videlicet inverti, salvis manentibus nervis, sensuum proximioribus organis, vel spiritibus nerveis, ad omnes corporis partes deferendo destinatis.

Hinc quoniam ligamenta, sive & musculorum tendines, texturâ suâ ita sunt privata, ut spiritus subtilissimi nervei, quantum ad motum requiritur, illa inflare & actuare haud queant: propterea motus perit, sed exigua adhuc influentes quantitate, sensum adhuc excitant, nisi malo ingravescente & poris omninò inversis, ubi & sensus simul perit.

Alia est ratio *stuporis universalis*, sive anaisthesiæ, ubi superstite motu, sensus aboletur: tale exemplum habet *Dygbi*, ubi famuli cujusdam facit mentionem, qui illæso motu, labores omnes obiit, omni interim sensu tactus per universam cutem & carnem privatus.

Nec absimile recenset *Boyle Phil. experim. p.* 2. *p.* 75. de virgine quoad motum & externas functiones omnes sana, sensu tactus interim in toto corpore privatâ, suasu verò Medici repetito ♀ exercitio curata.

Stuporis vero talis fiendi modum haud satis cognitum esse *Cl. Ettmüller* confitetur. Non enim fit tubulorum compressione, ut simplex hujus vel illius, ex compressione partis, stupor, aliàs & motus haud ita esset liber: magis ergo intricata subest ratio.

Jam vero pro differente Paralyseos subjecto, sive parte affecta, saltem Causa Immediata variat.

Paralyseos namque *Positivæ Causa Immediata*

diata est tendinum sive ligamentorum ipsorum obstructio, sive fibrarum & tubulorum talis dispositio vel inversio, ut eos spiritus nervei inflare, vel actuare haud amplius possint.

Privativæ verò Immediata Causa est ipsorum nervorum, vel plurium vel paucorum, prope suum principium obstructio, spiritibus nerveis viam præcludens, vel hos non amplius admittens.

Proximior verò omnis Paralyseos tam Positivæ quam Privativæ, *Causa* ab una radice dependet. Illud enim subtile flatulentum austerum, quod spiritibus nerveis immixtum, & ad tendines delatum, lympham ibi invertit, & tubulos obstruit, hoc similem effectum præstare valet etiam in ipsis nervis, vel eorum principio.

Sunt qui Spiritus nerveos inopia peccantes Paralyseos, præcipuè positivæ, causam proximam volunt.

Sed qualibus potius depravatos spiritus illos causam agere, certum est. Si enim loco laudabilis subtilissimi fluidi depravatum quid generatur; crassum, austeris, flatulentis particulis turgidum, motui libero ubique contrarians, tum convulsivis, arthriticis, paralyticisque affectibus pabulum substernitur potentissimum.

A ſimili verò cauſa omnes hos dependere affectus, mutua indigitat convenientia & permutatio, ubi Epilepſiæ in Paralyſin privativam, & contra hujus in illam, vel in Apoplexiam etiam fit mutatio &c. Utque adeò affectus hi ferè non niſi fiendi & affligendi modo ab invicem differant.

Cauſas verò præmiſſas Proximiores promovent, & pabulum advehunt plures aliæ *Remotiores cauſæ.* Et ex *Naturalibus* quidem rebus non infrequens ſymbolum addit *Temperies* circulantium humorum, ex acidis plurimam partem conflata.

Talem Temperiem verò promovent, & pro Paralyſi generanda adaptant *Nonnaturales plures res:* & quidem in ſpecie pro poſitiva ligamentorum Paralyſi generanda admodum efficax ſe ſiſtit *æther peregrinus*, ſive *aër* acidis, auſteris particulis turgidus.

Ex diuturniore namque mora in frigido & humido, item frequentiori natatione in frigida Paralyſin fuiſſe inductam *Zacut. Luſit. & M. N. C. Ann.* 1. *Obſ.* 84. & alii referunt.

Experiuntur verò ætheris talis peregrini vim præ aliis Deauratores, vel in *Forolivienſibus* ☿ii *fodinis* mercurio eruendo occupati, qui mercurii vel & arſenici particulas mediante aëre attrahentes, convulſivis & Paralyticis affectibus frequentiſſimè infeſtantur.

In *Diæta* verò Cibus & Potus, tam quanto, quàm

quàm qualibus singulariter peccans, omni Paralysi pabulum ministrat. In specie verò *Vinum Austriacum*, vel *Moravicum*, plus Paralysi positivæ inducendæ spicula comunicat, quàm pro privativa, nervorum scil. Paralysi generanda.

E contra verò, tam reliquæ Nonnaturales, quàm Præternaturales res Nervorum, sive Privativæ dictæ Paralysi, Paraplegiæ, Hemiplegiæ &c. potiùs, quàm Positivæ sive ligamentorum Paralysi promovendæ insistunt.

Sic v. g. quando apud. *Zacut. Lusit. item in M. N. C. Ann.* 4. &c. legimus, mœrore, & subita consternatione fuisse inductam Paralysin, intelligendum erit de privativa illa, sive particulari apoplexia, ubi fluidum illud nerveum subitò à suacrasi sive volatilitate quasi præcipitatum sibi ipsi viam præclusit.

Non aliter se res habet circa *Præter Naturalium rerum causas*, præcipuè Externas v. g. Quando per vulnera dissectos nervos, aut in contusionibus, luxationibus compressos, aut casu ab alto læsos, Paralysis insequitur, fit hoc, privando partes cohærentes, (in quas inserti fuerant nervi:) fluidi nervei influxu.

Sic & quando ab internis nonnullis causis, utpote post variolas, erysipelas faciei &c. repulsum, Paralysis oritur, potiùs privativa illa est, materia morbifica fluidum illud nerveum inficiente, & cum eo in nervorum tubulos rapta,

obstructionem instituente, ac insequenti fluido viam praecludente.

Ex praemissis his fortè quivis facilè *Paralyticorum affectuum differentiam* concludet.

Privativa namque est & audit omnis Paralysis, quando hunc vel illum, vel plures ramos nervorum prope suum principium &c. obstructos, compressos, concisos &c. influxus fluidi nervei haud amplius penetrat, atque sic pars, in quam nervus ille insertus extat, influxu tali, fluidi nervei scil. privata immobilis fit. Omnium enim partium liber motus à nervei fluidi libero dependet influxu.

Positiva verò, ad differentiam illius in cura probè observandam, illa est, quando musculorum tendinibus vel ligamentis, mediante fluido nerveo convehuntur particulae, quae suos canaliculos quidem transeunt, sed tendinum & ligamentorum tubulos & poros trajicere ita liberè haud possunt, ac sic sensim horum canaliculos obstruendo, sibi insequentem aditum praecludunt.

Et quoniam, ut ex his patet, nulla intercurrit ferè differentia, quam ratione partis affectae, ab unica quidem ferè causa, hinc & observamus affectus hos facilè aliquando invicem permutari posse, ut supra notatum.

Latere quidem videtur aliquid singulariter differentis in nonnullis rebus positivam Paralysin inducentibus, v.g. quando piscis torpedo

do manu prehenſus ei ſtuporem & Paralyſin inducit: ſed idem eſſe duco, an internè mediantibus fluidi nervei diſpoſitis depravatis particulis, homogeneis adhuc & laudabilibus ſimul immixtis, via præcludatur; an externè per poros, *Torpedinis* &c. *vel aquæ frigidæ, rigidæ particulæ, penetrantes*, tubulos ligamentorum contrahunt & occludunt, ac fluidum nerveum concentrant, regreſſuroque viam præcludunt.

Prognoſis tandem nos erudit affectus hos curatu ſatis eſſe difficiles, imò inveteratos, & ſenſu ſimul planè ceſſante, difficillimos.

Privativa verò Paralyſis in ſpecie, ſi ſenſus plus minùs ſupereſt, & vaga magis exiſtit, facilioris adhuc curationis erit, quàm ſi nunc inveterata contracturam contumacem induxit.

Formicationis ſenſus, torpor ac ſtupor, non rarò Paralyſeos ſunt prænuntii.

In genere in Senibus Paralyſis incurabilis ferè eſt, ob duritiem, craſſitiem & denſitatem fibrarum, & tubulorum hinc ferè collapſorum, qui ob denſitatem vix remittunt rurſus.

Frigiditas & laxitas partium *mala eſt*, quia nervos deſignant, & tendinum tubulos, admodum obſtructos.

Peſſimum verò ſignum eſt *atrophia & pallor* membrorum, utpote totalem tubulorum partis obſtructionem denotans.

Peſſimum etiam eſt *oculi lateris affecti extenuatio*, indicat enim nervi optici etiam obſtructio-

structionem, vel spirituum nimis debilem influxum.

Periculosum item est, si ab Apoplexia Paralysis traxit ortum, facilem enim in Apoplexiam regressum aliquando denotat, cum aliâs per se, absque Apoplexia exorta, in hanc facilis sit transitus, si privativa existit.

Quo plures etiam *partes Paralysis occupavit*, eò *periculosiùs existit*, quò pauciores, ut si vel brachium, crus, digitum aut linguam saltem, affecit, eò major adest salutis spes.

Citiùs verò & frequentiùs generatur Paralysis privativa, quàm positiva. Fluidum enim nerveum depravatum, canaliculos suos priùs trajiciendo, quàm ad ligamentorum & musculorum illos defert, etiam citiùs suos canaliculos obstructione afficere potest.

Quo magis verò de sensu aut calore superest, eò meliùs.

Sic & Formicationis sensus, membrum paralyticum, antea sensu & motu privatum, si prehendit, vel levis saltem doloris quædam molestia, aut tremor, convalescentiæ signum est, & fluidum nerveum sibi tubulos aperire & rursus influxum instituere indicat.

Marasmus verò & colliquativus sudor hic tandem vitæ finem ponunt, vel Apoplexia subitò id præstat.

In Curatione Paralyseos ante omnia originis habe-

habeatur respectus, & *an positiva, an privativa existat, inquiratur*.

Privativæ enim Paralyseos cura cum Apoplexiæ illa ferè eadem est.

Non minus enim hic quàm ibi necessaria sunt *Vomitoria*, statim ab initio propinata. Sic & *Colocynthis* purgantibus hic expetitum addit stimulum.

V. Sectio etiam tam hic, quàm & in Apoplexia, nec semper necessaria, nec tuta semper, teste *Lindano*, existit, qui credit, multas curationes propterea malè cedere, quod sanguinem in principio mittamus.

Omissa ergo V. Sectione, sed *præmissis* necessariis prædictis *vomitoriis*, vel *purgantibus*, item *vesicatoriis*, in nucha, & *cucurbitulis* intra scapulas &c. ad specifica *antapoplectica*, ac *sudorifera* ex *ligno præcipuè Sassafras, cum roremarino, baccis lauri, helenio*, tanquam specificis in paralyticis his affectibus, accessus fiat, ubi nec *salia volatilia, cinnabarina* & similia omittantur: qualia de Apoplexia tradita extant: vel & in contumaciori malo ipsa *Salivatio Willisio* ita commendante *de anim. brut. p.* 2. in usum veniat consentiente *Sax[illegible] Pract. p.* 1. *c.* 13.

Interea verò du[illegible] hæc internè exhibentur, externa etiam non negligantur, quæ vertici, spinæ dorsi, vel parti, unde exoritur nervus affectæ partis, applicentur.

Selecta verò hic sunt *Oleum Galbanetum*, *Aqua*

Aqua Anhaltina, aromatica, Spir. Vini camphorat. formicarum, Alumen plumeum, Balneum ex Formicis & similia de Apoplexia, & Aridura tradita, & de positiva Paralysi nunc dicenda.

Positiva verò Paralysis paulo aliter, ac Privativa, sive particularis Apoplexia, tractetur.

Quoniam enim malum hoc in circulationis saltem extremitatibus sive confiniis, extra circulationis dominium ferè dissitis hæret, quorsum nec Purgantia, nec V. Sect. ullum præstare possunt auxilium: Propterea Purgantia in specie fortiora sedulo fugiantur. Observatum enim fuit, talibus in principio exhibitis, Paralysin alterum latus saltem occupantem, etiam aliud affecisse.

Quoniam etiam à Scorbuti constitutivis ferè semper hæc Paralyseos species fabricatur, quæ in convulsivos motus admodùm sunt prona: hinc Purgantibus hic convulsionibus facilis paratur via.

Potiùs ergo statim ad Apoplectica, & Antiscorbutica accurratur: qualia sunt in specie volatilia urinosa castorina, cinnabarina &c.

Cl. Ettmüller in specie multùm commendat hoc:

℞. *Turion: abietis.* ℥ß.
Rad. Chinæ ℥j.

Incisa & contusa coque in *aqua & cerevis.* ad med. tum decoctum colatum bibatur bis quotidiè manè, expectando blandum sudorem.

In

In magis Calidioribus temperaturis laudat *Serum lactis* cum antiscorbuticis, præmissis priùs fixis absorbentibus, deinde volatilibus &c.

Si Colica ad Paresin inclinare videtur, *vitentur Purgantia*, quemadmodum de Colica convulsiva pluribus monitum reperies; *Clysmata vero lenientia* abstergentia &c. *ex lacte ac terebinthina* sint frequentia &c. ut sic inhibeatur ex intestinis affluxus ad artus, per nervos institutus.

Externa etsi eadem ob convenientiam causæ sint in omni Paralysi, tamen adhibitionis modus paulisper variat: Sic ea quæ in Privativa Paralysi spinæ dorsi sive nervorum principio adhibentur, hic Paralytico membro immediatè applicentur: Non enim malum hic in nervorum principio impugnandum, quia ei non inest, sed in ipso loco affecto.

℞. *Ol. Galbaneti Medic. meo Præs. Sec. accom. descript.*
Essent. Succini.
*Spir. *ci.*
Spir. vini camphorat. aa. ms.

Vel ℞. *Ol Galbanet.*
Petrolei.
Spir. Urin. vol.
Spir. vini Camphorat. aa. ms.

Hæc & similia insigniter conveniunt, quando Paralysi affecta pars tumet, frigetque, applica-

plicatur vero frictione præmissa præcipuè, si aridura sive atrophia partis metuitur.

Ubi vero calidiora hæc haud semper, ut in Scorbuticis nonnullis, conducunt, temperata magis sint Topica hæc, qualia sunt *Axung. humana, viperina, castorina*, cum *oleo lumbricorum* cocto &c.

Si vero ad contracturam magis contumacem malum degenerat,

℞. *Euphorbii.*
Spec. diatr. piper.
Sem. urticæ. aa. ʒij.
Alum. plumos. ℥ß.
Canthariд. ʒß.
Ping. taxi.
Olei lumbric. aa. ℥iß. mſ. pro linimento.

Præter hæc laudantur etiam admodum *Balnea ex Formicis, Vinaceis*, vel his nil juvantibus etiam *Thermæ*, cum discretione tamen adhibitæ, in illis quidem, qui humoribus magis gaudent lentis crassis, quàm magis mobilibus, nexuque suo leviter solubilibus, Cholericis vel Biliosis vulgo.

Atque hic valet illud *Willisii*: sicut pharmaca, inquit, generosa aliquando transeunt in venena, ita thermarum usus, cum Paralyticos sanare debebat, multo deteriores reddidit aliquando, membra plura, & prius affecta gravius resolvendo.

Dum

Dum enim Balneatio (mentem ejus, non verba dico:) circulantes humores exagitans, particulas quasque morbificas magis exaltat, easque efferatiores factas è viſceribus in M. S. adigit, nervoſoque generi deferendo, fluido nerveo illas implicat: affectionem paralyticam intendit, & convulſivam non rarò inducit. Et ob hanc cauſam etiam Balneatio Diatheſin Nephriticam, & Arthriticam quandoque primùm actuat: vel & *multis*, ubi diſpoſitio non fuit, *hæmoptyſin, aſthma* vel *talem* accerſit. Hinc ubi Thermæ tentatæ minùs convenire videntur, citò derelinquantur.

Conſentire videtur *Fr. Ign. Thiermair conſil.* 3. ubi Thermas non ſola humorum exſiccatione (ex mente veterum) aut partium corroboratione, ſed ſalſarum, tartarearum, vaporoſarumq; impuritatum, nervorum virtutem labefactantium, reſolutione, effectum ſuum præſtare aſſerit. Quem quidem effectum hic admodum convenire, mens ejus eſt: dum ab inſidente genus nervoſum hoſte corpora noſtra non ſine corroboratione liberari ait. Veritatemque hujus aſſertionis cutis efflorescentiam, thermis utentibus aliquando cum moleſta ſcabie ſupervenientem, probare credit.

Hanc verò efflorescentiam vix aliter quàm per ſolutionem ſalium, in corpore latentium, explicari poſſe dicit. Non verò negaverim, inquit, Balnei caliditatem eximiam, ſubinde pro

revulsione materiæ ad extra aliquid conferre. Memini enim quendã asthmatico paroxysmo periculosissimè affectum, *positis in cerevisiam nigram, admodum calentem, pedibus*, facta humorum metastasi, *ex asthmatico* derepentè quasi arthriticum evasisse.

Revulsionem, quæ ubiq; Practicis adhuc ferè in ore esse solet, *Veterum commentis adnumero*, longè enim aliter fieri hoc negotium credo. Dum enim cum sanguine circulantur pluta aliquando heterogenea contenta, quæ ob crassitiem suam poros haud liberè transeundo relinquuntur, & cum reliquis circulari coguntur: accidit ut, advenientibus Thermis & earum calore, veluti subtili concentrato æthere, non solùm pori admodum dilatentur, sed & contenta, sanguini non ubiq; ita exactè connexa, plus nexu suo solvantur: & tum mediante circulatione patulas vias nactâ, & subtili æthere simul admodum agitatâ & commotâ, dictæ separatæ particulæ fortiter protrudantur, minimè verò revellantur aut attrahantur.

Quâ durante actione verò particulæ dictæ separatæ non solùm per poros extra corpus propelluntur, sed & nervis, vasis lymphaticis &c. sua portio defertur, atque inde est quod paralytica, convulsiva, atque arthritica mala sæpiùs exsuscitentur, particulis plurimis aliàs tranquillè cum reliquis vel circulantibus, vel latentibus,

tibus, nunc verò fortiter commotis, & à reliquis avulsis, atque aliò propulsis.

Majorem ergo utilitatem non raró hic præstant *Acidulæ*, præcipuè *ubi malum est affectionis hypochondriacæ productum:* hæc edulcorando & per urinam ducendo, in calidioribus temperaturis præcipuè insignem navant operam.

De Salivatione supra fuit mentio facta ex *Willisii*, & *Saxoniæ* mente. Sed notat *Willis*, hoc remedii genus *habituali tantum Paralysi*, procatarxin in sanguine, in cerebro verò mobilem, & causam conjunctam in appendice nervosa non adeò fixam habenti, adhibendum esse.

Eos verò, *qui* cerebro debili, aut nimis laxo præditi, vertigini, torpori, & *motibus convulsivis* crebrò obnoxii sint, mercurialibus non temerè uti debere præcipit.

Circa Paralysin linguæ *M. N. C. Ann.* 76. observationem singularem numero 92. communicant. Verbi Divini minister concionari ampliùs haud potuit ob linguæ laxitatem sive semiparalysin: ubi variis incassum tentatis, hæc utramq; paginam perficiebat mixtura. v. g.

℞. *Mithridat.* ℥j.
Extract. acori. ℈j.
Rad. aron. pulveris. ℈ij.
Ess. castor. gr. vj.
Olei carfuncul. gutt. iiij. mſ.

Semper paratam habebat mixturam hanc, & si in concionando hæsitaret, ad mixturam

 con-

confugiens, illicò sic sermonem absolvere poterat, tandem Apoplecticus obiit.

In *Diæta* vitentur omnia ea, quæ supra ex Nonnaturalibus rebus huic malo ansam dare posse notavimus, & de Apoplexia, Arthritide & alibi pluribus notata sunt.

Pestis.

FEbrium malignarum omnium truculentissima, neque precibus, neque medicaminibus, nec ætati, aut dignitati cedens, & furibundæ beluæ instar populosissimas urbes, imò regiones, in solititudines transmutans.

Est summa circulantium humorum perturbatio, indeque inducta subitanea circulationis stagnatio: à veneno summè corrosivo, caustico, & contagioso per aërem transportato, circulantesque omnes humores à debita sua connexione invertente, acrimoniaque inficiente, & tubulos, fibrasque carnosarum membranosarumque &c partium corrodendo, exanthemata, carbunculos, bubones, horrendaque alia Symptomata inducente.

Subjectum truculentissimi hujus morbi etsi plurium ore cor statuatur, tamen *circulantes humo-*

humores, à quorum motu illibato omnis dependet ſanitas & vita, ceſſante verò eo vel variè depravato, mors aut morbus: principaliſſimam hic ſuppeditant partem affectam ſive Subjectum. Vide titulum de Febre continua.

Phænomena incipientis vel præſentis mali etſi in qualibet peſte ferè varient, ſemper tamen *fere hominem corripere ſolet*, *ut Febris malignia, cum horrore*, & totius corporis rigore, *inſequente poſtmodum notabili calore*, *cum ſubſequente mox totali virium poſtratione*: quicus ſe jungit intenſus capitis dolor, cum vigiliis, jactationibus tam diurnis quàm nocturnis.

Vel abſque ſimili manifeſta cauſa *incipit*, *cum nauſea*, cum, vel ſine vomitu, *Veneno* ſtatim *cum ſaliva deglutita* ad ventriculum deportato, hocque certum contagii ſuſcepti primum indicium eſſe *Ettmüller* aſſerit.

Loco cujus *Lindanus* hoc infallibile eſſe prædicat, *ſi ægri in locis bubonum*, *in inguinibus* ſcil. *ſub axillis*, parotidibusque, *puncturas plures* vel pauciores, vel unicam ſaltem, ac ſi candente acu factæ eſſent, *ſentiant*.

Multò magis verò *præſentiam contagii* hauſti confirmari ait, *ſi metus vel terror præceſſerit*, capitisq; inſignior, aut alia ſubitanea pr. nat. corporis notetur alteratio.

Omnia verò hæc ſigna ſaltem tempore peſtis graſſantis valent, extra hæc tempora phænomena ſimilia etiam aliis morbis præmitti

 mitti

mitti solent, minùs contagiosis aut periculosis.

Malum nunc stabilitum, sequi solent *Cordis palpitatio, præcordiorum anxietas, respiratio difficilis, Pulsus languidus, inæqualis*, vel naturali similis, *deliria, vigiliæ*, vel soporosi affectus, *tremores, convulsiones, sitis inexpugnabilis, dysenteria, diarrhœa, sudor frigidus fœtidus circa frontem & tempora*, item in inguinibus *bubones*, in aliis locis *carbunculi, maculæ, nigræ, flavæ, rubræ* &c. non verò in omnibus omnia, sed in hoc Subjecto hæc, in alio illa, vel pauciora, vel plura, pro Subjectorum & veneni dispositione.

Solet tamen aliquando *Pestis peculiaribus symptomatibus* plures, quos corripit, afficere: & ex hac ratione à Practicis tum pro symptomate magis urgente, & frequentiùs afficiente, aut plures corripiente, vocari consuevit vel *Dysenterica*, vel *Anginosa, Pleuritica*, aut *Convulsiva* &c.

Modo dicta verò phænomena immediatè pestifera esse, & præsentiam pestis denuntiare, denotat in vicinia præsens pestis, ubi plures, aliàs sani, subitò eodem morbo per contagium corripiuntur, ac citò pereunt, & bubonibus, anthracibusque &c. notati conspiciuntur.

Atque hæc sunt infallibilia propriè ita dictæ Pestis signa, cum reliqua Febribus etiam malignis communia esse soleant.

Causa

Causa Immediata est *circulantium humorum summa perturbatio*, & inde dependens circulationis, brevissimo tempore inducta stagnatio.

Proximior Mediata sunt *miasmata summè corrosiva*, & *contagiosa*, circulantes humores non solùm à sua inter se convenienti connexione, ordine & textura subitò destruentia, *sed & alia circulationis organa & solidiores partes corrodentia*, & discerpentia, & sic varios tumores excitantia, ac infinita alia gravissima phænomena post se trahentia.

Constat verò *sanguis ex variis moleculis, oleosis, aquosis, terreis, volatilibus &c. Hæ verò singulari connexione inter se dispositæ constituunt liquorem arteriolarum ac venularum minimarum osculis convenientem, eaque liberè ubique itu & reditu toties in hora transeuntem*: quamdiu verò dicta constitutiva legitimo modo ita connexa, etsi rudioribus plurimis immixtis, circulantur, tum, etsi non adeò purus semper existat, turbatus vel suo nexu solutus nondum dici potest sanguis.

Consideremus saltem Lac, huic si immiscemus copiosam aquam, vel similem liquorem, aut aliud quid, lacte solubile, tum haud ampliùs quidem purum possumus prædicare Lac, sed nondum tamen turbatum aut destructum extat.

Sed quando jam aliquid immiſcetur acidi, quod conſtitutiva à ſua connexione diſpeſcit, ita ut ſerum, butyrum, caſeus, &c. conſpicua fiant, tum haud ampliùs dici poteſt lac, ſed turbata mixtura, aut deſtructum Lac.

Idem eſt, quod de ſanguine dicimus, quem etſi variæ particulæ, aliquando hæterogeneæ conſtituant, nondum tamen deſtruitur ejus mixtura & textura.

Sed quando acidi, aut corroſivi ſubtiliſſimi quid, ſive per reſpirationem, ſive per alimenta &c. communicatur, tum (quia veluti volatiliſſima à ſubtili æthere violentiùs moventur, ac ſic ſanguinis conſtitutiva ab invicem diſpeſcuntur, ut quodlibet ſeorſim extet:) conveniens omninò turbatur mixtura, & vaſorum canaliculis ſubtiliſſimis penetrandis inepta redditur : ſive hoc fiat ſanguinem omnino coagulando, ſive planè ab invicem conſtitutiva avellendo.

Quoniam vero venenum hoc ſubtile, pro particularum ſanguinem conſtituentium conditione, differentia inducit phænomena, non mirum etiam eſt inveniri aliquando conſtitutiva circulantium humorum ita diſpoſita, ut pro veneni vel magis coagulantis, vel magis diſſolvendi vi, in hoc aut illo Subjecto non moveantur, etſi eundem hauriant aërem, miaſmatibus imprægnatum.

Et hinc eſt quod plures, etſi cum ægrotis verſan-

versantes, etiam absque præservatione, peste tamen non inficiantur.

Sic observatum fuit *melancholicos sanguine gaudentes crasso*, minùs mobili, *non ita facilè infici*, ac alios, vel etsi inficiantur, tamen aliis atque aliis phænomenis torqueri.

Sic quorum sanguis jam multis turget particulis salinis, terreis, acidis, acrioribus, longè graviora experientur symptomata, quàm alii, quorum sanguis laudabiliter temperatus antea fuit.

Hanc verò differentiam instituunt fluidæ non solùm hominem constituentes partes; sed & partium solidarum variata textura huc quid contribuit: *circulantes* enim *humores* nunc *turbati*, & *canaliculis minimis penetrandis indispositi*, *vel crassi redditi*, semper *primò magis angustiores aggrediuntur*, quàm magis patentes.

Imò & venenatæ corrosivæ particulæ aliquando eas aggrediuntur partes, quas primò attingunt, sive solidæ sint sive fluidæ.

Sic *quando primò*, vel *mediante saliva, vel mediante cibo & potu*, in ventriculum deferuntur, atque ibi vel in intestinis subitò corrosiva sua infigunt spicula, & fibras eorum subitò quasi discindunt, tum prima phænomena sunt *nausea, conatus vomendi, cardialgia, anxietas, dysenteria* &c.

Si verò fluidis partibus sive circulantibus humoribus communicantur priùs, & medi-

antibus his tum ad ſolidas partes deferuntur; tum horror, calor, capitis dolor, jectigationes &c. prima ſunt deleteria phænomena, quibus preſſo pede tum alia inſequuntur hinc inde inſtitutæ ſtagnationis, & ſtagnando factæ corroſionis, ſymptomata, ut carbunculi, bubones, inflammationes &c.

Non verò ſolam ſanguinis circulantis connexionem ablatam, ſed & liquorum reliquorum hinc inductas depravatas diſpoſitiones, utpote coagulationes, acredine peſtifera turgidas &c. plurimorum phænomenon autores exiſtere certum eſt.

Ex lympha enim *peſtifero veneno impregnata, in conglobatis* præcipuè *glandulis*, (quia poros anguſtiores & variè contortos tubulos obtinent:) tum leviter ſtagnante, mollior earum ſubſtantia in *tumores* attollitur, & ſic *bubones generantur*, modò plures, modò pauciores, prout plures vel pauciores obſtruuntur.

Imò *& conglomeratæ* glandulæ *ab illis obſtructionibus haud immunes degunt*, maxillares enim illæ cum ſalivalibus ductibus obſtructæ, oris ſiccitatem, ſitimque inextinguibilem hic inducunt.

Neque verò glandulæ hæ, ſed & cerebrum, ex tot innumeris conſtans glandulis, obſtructum, ſpiritus in nervos haud transmittit, unde ſummæ ſubitò debilitates, & virium omnium

um decollationes, quia jam præsentes & insensibili transpiratione deperditos haud subsequuntur & advehuntur recentes spititus, vel si adhuc portio horum transmittitur, *vel nimis acris est, quæ nervos semper leviter tenet convulsos, unde vigiliæ perpetuæ & deliria; vel nimis crassa extat*, & *soporosis affectibus suppressum tenet mentis exercitium.*

Universalis vero sanguinis, ex arteriis, per venas itus & reditus liber impeditus, *febrilia ubique inducit phænomena, ardores, jectigationes, cordis palpitationes* &c. Sanguis enim ex corde expressus, sed per arterias à venis haud expeditè transmissus, sensim versus cor stagnare cogitur, unde *pressio cordis fortior pulsum & calorem intendi facit.*

Ex corde vero, ob renitentiam in arteriis majoribus, non ita subitò & æqualiter expressus, sed nonnunquam paulisper stagnans, latera extendendo, *palpitationes* excitat, ac *lipothymiam*, & tandem *syncopem, vel ipsam mortem* brevi inducit.

Atque hæc sunt præcipua, à deleteria causa, & inde inducta circulantium humorum omnium coagulatione, aut destructa connexione, adducta phænomena, quibus plurium aliorum fiendi modus, similiter ex causis jam dictis leviter explicabilis, accenseri potest.

Sic quando observatum fuit, Pestem absque febre afflixisse, cum Bubonibus tamen, signum

fuit, deleteria miasmata, sanguine plurimam partem intacto, *lympham saltem affecisse*, ac ejus saltem coagulatione inducta, fluidumque nerveum simul decollante, mortem interim plurimis contraxisse. A plurimis verò Practicis *periculosior æstimatur talis Pestis, quæ absque Febre, quam quæ cum ea affligit.*

Perinde vero mihi videtur esse, an universali, an particulari malo succumbam: nulla sanè Pestis nihilominus ita grassatur, quin plures, quos prehendit, è medio auferat.

Ubi tamen non negandum, malignitatem majorem concludi debere ex funerum multitudine, & quando plures Peste correpti intereunt, quàm salvantur; *modo non concurrat neglecta curandi methodus.*

Plures enim aliquando salvari potuisse credo, modò citò validiora præsidia in usum fuissent vocata: atque ita non semper sola major aut minor malignitas tantam agit stragem in vulgus irruens, quam flocci habita mali tanti vel curatio, vel præservatio, depravata victus ratio, aut alia.

Ex *remotioribus Causis* vel pondus, vel pabulum addentia. Etsi vero vix detur ex Naturalibus rebus, aut Temperamentum, aut sexus, aut ætas, quæ à Peste omninò habeatur exlex, tamen aliquando talis datur humorum dispositio, quæ veneno suscipiendo magis quam alia apta existit. Sic

Sic præ alia circulantium humorum temperie, *ea* sanè *magis existit ad suscipiendum venenum pestilens apta, quæ particulis gaudet leviter mobilibus*, per se non adeo exactè sibi invicem connexis, quam quæ crassis, magis coagulatis, & minus mobilibus conflata extat; etsi & hæc aliquando, si venenum coagulando suas peragit vires, totali coagulationi tum propior extet quam illa.

Quantum pondus *Nonnaturales* addant *Res*, solus *Aer*, & mediante hoc inductus peregrinus deleterius æther, testari possunt: Hic etenim ex omnibus rebus ferè primas tenet, *mediante quo subtilia miasmata circulantibus nostris humoribus infunduntur*, quæ, quia cum porulis & textura circulantium humorum minimè conveniunt, hinc eam destruunt, & ipsas aliquando nexu suo solutas particulas, in magis minores discerpunt, & sic pro majori inconvenientiæ gradu, in hoc vel illo subjecto, majorem etiam vim sive malignitatem exserunt.

Observatum vero fuit, *Pestem* non rarò *præcedere*, & multo *majore turba*, quam aliàs consuetum fuit, molestare variorum insectorum, præcipuè *muscarum*, *genera*.

Propterea sunt ex recentioribus, qui credunt, *illa ovulis* suis minimis & *aërem & cibum conspurcare*, ac mediantibus his nobis communicari ingentem talium ovulorum

quan-

quantitatem, caustico suo sale in corpore nostro tantas turbas instituentem.

Neque vero talia solùm subtilia cuspidata caustica corpuscula, sed alia *acria corrosiva, ex cadaveribus putredine resolutis*, vel *ex mineralibus corrosivis arsenicalibus* emanantia effluvia &c. causam addere, demonstrant saltem epidemica mala populariter, nunc acerbius, nunc remissius, pro alteratione aëris varia grassantia.

Cibum & Potum quod concernit, etsi plures, tam qui lauta, quam qui viliori Diæta vivunt, corripiuntur Peste, tamen notamus, *plus in vulgus sævire hoc malum, quam in melioris fortunæ alumnos*, & hoc sane *ob depravatum vitæ genus, mox inedia, mox aliis depravatis cibis*, circulantibus humoribus *pabulum corruptioni* leviter obnoxium addens.

Ex animi pathematibus solus ferè *terror & imaginatio* hic in considerationem venire solent ex mente *Helmontis*, qui immediatam Pestis causam illis solis adscribere non dubitavit.

Sed vanam esse hanc ejus opinionem, saltem inde concipimus, quod tempore, à Peste vacuo, sibi sanè ex terrore vel imaginatione nullam Pestem contrahere quis possit.

Semper propterea præcedere credo effluvia venenata, *quibus haustis, singularis, circulantibus humoribus inducta, prima alteratio, horrore*

rore concutit, & de veneno pestifero hausto hominem monet.

Inter excrata & retenta, probè notanda illius Professoris Pragensis *Dobrozenski* observatio, quam circa salivam habet, ubi *credit*, frequentissimam *omnium causam Pestis esse salivam, effluviis venenatis imprægnatam deglutitam*, hinc omni studio observare jubet, ne saliva deglutiatur Pestis tempore.

Prognosin quod concernit, notandum, quod, etsi, *Hippocrate* annotante, acutorum morborum prædictiones admodum incertæ soleant esse, tamen in Peste minus errare queat Medicus cùm plures ferè semper Peste infecti intereant, quam salventur; ubi tamen non negandum est, *aliquando salvari hominem sine omni spe, alium vero*, qui nunc periculum declinasse existimatur, *cum omni spe, interire.*

Interim tamen per experientiam cognita sunt *signa, quæ utplurimum hominem interire significant.*

Sic *quando* Peste correptus *nullis alexipharmacis ad sudorem commoveri potest*, interea verò *Febris augetur, vigiliæ, delirium*, vel *lethargus, syncope, animi deliquium, convulsiones insequuntur*; & tardè, sed *plures carbunculi, bubones*, præcipuè *circa aures, nares, collum*, superveniente etiam *singultu*, atque *nullo planè levamine subsequente*, exoriri conspiciun-

ſpiciuntur: *Sudor* item *frigidus*, *fluxus alvi colliquativus*, *vomitus cum ſingultu* continuus, *niger*; *narium ſtillicidium* &c. ſe jungunt, tum mortem in propinquo eſſe comperimus.

Ægrum etiam *vix evaſurum* denotant *bubines* & *carbunculo circulis lividis circumdati*: item ſi cantharides applicati non excitant veſicas: vel carbunculis cauterio aut veſicatorio apertis intra 12. vel 24. horas, eorum progreſſus ad vicina non inhibetur.

Item *ſi bubones in collo*, gutturis dolores excitant, & deglutitionem, *citra* tamen *inſignem internam inflammationem*, impediunt; patiens vix horas 12. vel 15. ſupervivit.

Anxietates in genere, *citra inſignem Febrem*, multo ſunt periculoſiores, quam Febris magna, citra talem cordis anxietatem.

Diverſi verò Peſtis gradus diverſa etiam aliquando ſigna, & hinc deductum agnoſcunt Prognoſticon differens.

Sic *Peſtis cum bubonibus ſolet eſſe mitiſſima* & ſecurior aliis: cum carbunculis vero medio ſtatu incedit; ſed *cum petechiis omnium peſſima exiſtit*. Sic quo plures bubones boni coloris, eo melius: *quò plures vero carbunculi*, *eò pejus*.

Salutaris vero in genere ſperatur eventus, ſi ſudor in univerſum aſſumto alexipharmaco, cum

cum notabili levamine, nullo vel levi cordis dolore, aut anxietate, prodit.

Bubones etiam, vel carbunculi, ſubitò in ſinu, brachiis & pedibus prorumpunt, & cum Febris remiſſione ad maturitatem feſtinant: æger etiam alimenta cum aſſumtis medicaminibus retinet.

Et quoniam utplurimum *Peſte correpti intra 24. horas interire*, & rarò ſeptimum vel nonum diem ſuperare, vel ſaltem attingere *ſolent*: hinc tandem ſuperato tali die, remittentibus præcipuè ſymptomatibus, de ſalute non amplius eſt dubitandum.

Jam verò, ſi ex ſupra notatis ſignis quis certus ſit de hauſto peſtifero veneno, tum quia nullam plane concedit moram Peſtis, ac intra 24. horas ad interitum deducere ſolet, hinc bubones, carbunculi, aut maculæ, aut alia ſigna minimè expectentur, ſed ſubitò potentiſſimè expellendo, ex poris circulantium humorum ejiciendo veneno, inſiſtatur *Curationi*.

Si verò *ex nauſea* hariolctur venenum mediante ſaliva fuiſſe hauſtum, tum ſubitò prima, ſi poſſibile, invaſionis hora, antequam convulſivus inanis conatus vomendi accedat, *vomitorium* propinetur.

Sed *ſi bubones* aut *carbunculi* primum ſunt veneni productum, & tales ſtatim primo in initio jam apparere incipiunt, & tamen ob ſaburram in ventriculo contentam vomitus ne-

cessarius judicetur, tum *ne dato vomitorio circulantes humores à tali expellendi conatu revocentur, attractivum imponatur tumoribus illis.*

Absoluto verò *vomitorii effectu*, vel eo non necessario, aut concesso, utpote si venenum jam spiculis suis altius infixis, ventriculum vel erosit, aut carbunculo notavit; ita ut omnia sursum rejiciantur, tum *sine mora ad alexipharmaca properandum*, eaque *singulis* 6. vel ad minimum 8. *horis* reiterentur, & æger ita intra 24. horas quater vel ad minimum ter sudet, per duos dies. Postea singulis 24. horis semel, & deinde saltem singulo octiduo semel, donec planè securus extet æger.

Neque vero metuatur à tot sudoribus nimia virium prostratio, cum ferè *melius degant* tales *ægri, quando sudant, quam quando non sudant:* Remittente tamen sudore, *analepticis acidis* subinde refocillentur, aut inter sudandum *aliquid de citro* in ore contineatur: Potus vero interea planè vitetur.

Continuandus vero *talis sudor* reiteratus, *etsi bubones* vel *carbunculi sint laudabiliter constituti*, & petechiæ sint copiosæ, cum levamine, ut sic recidiva præcaveatur; sudet vero æger in tertiam horam, si possibile.

Interea vero dum sudat æger omni studio à somno arceatur: vel si in somnum admodum propendeat, *admoveatur naribus acetum camphoratum.*

Umbi-

Umbilico verò imponatur *panis secalinus* adhuc *recens & calidus*, in inferiori crusta circa medietatem paulisper excavatus, *cuique spiritus vini camphoratus infusus fuit*. Sed æger non tantum eo melius sudare incipiet, sed & venenum se pani insinuabit, qui postea defodiendus erit.

Interim tamen *non* adeò *ad sudorem subitò sunt cogendi ægri*, sed dato alexipharmaco *expectandum per tres horæ partes* circiter, *antequam stragulis, culcitris* &c. contegi oportet. Vel si æger planè non se stragulis opprimi, aut admodum contegi patitur, relinquendum aliquid naturæ, cùm aliquando plus præstet tenuis udor, quam coactus sudor. Post sudorem vero linteis calidis perfumatis detergatur æger. Si vero ad sudorem æger non admodum inclinat, & ægrè sudat, commendat *Sorbaith* inunctionem Aetii, v. g.

℞. ▽ *chamomill.* ℥ij.
Olei amygd. d.
scorpion. aa. ℥j.
Nitri præparati ʒij.

Nitro aquâ soluto adde olea, & cum hac mixtura pectus & dorsum perfricentur optimè, ut pori fiant patuli.

Si vero *æger* statim sub primo insultu *vomitu* ita *excruciatur*, *ut nullum planè medicamen retineat*, tum *solo tegumentorum pondere sudor exprimendus*: ubi tamen vultui sal-

tem linteam en superimponatur, ut respirare modo queat.

Tali sudore venenatæ particulæ se latius diffundunt, ut sic ventriculus talium quantitate liberatus, medicamina ad sudores proliciendos deinceps libenter admittat & retineat: quemadmodum hoc notavit *Sydenham*, *& Hodges, de Peste.*

Sudandi verò methodo præmissa, nunc ad instrumenta, quibus expelluntur venenatæ particulæ, ac mediante sudore exprimuntur, accessus fiat.

Innumera vero & varia pro hoc negotio commendantur á Practicis *alexipharmaca*: cum enim viderent, non omnem Pestem vel symptomatum ratione, aut afficiendi modo, semper eandem esse; propterea *tot*, sed aliquando *præter rationem*, putarunt dari oportere remedia alexipharmaca diversa, quot differentes observarunt Pestis affligendi modos: Hi verò modi diversi, cum *non à gradibus veneni* solùm *pestiferi*, *sed & circulantium humorum diversis texturis*, & constitutivis originem trahere soleant, hinc, non tam in remedii tot differentis qualibus, sed & *in ejus singulari exhibendi modo*, situm esse negotium mihi ferè persuadeo.

Propterea tanta alexipharmacorum quantitas minimè hic requiritur, sed *paucorum eorumque generosiorum*, pro veneni, circulantium

tium

tium humorum diversimodè textorum, ratione, aliquando diversimodè agentis ergò diversa applicatio requiritur.

In genere verò *venenum pestiferum, vel dissolvendo suo nexu*, vel *magis coagulando circulantes humores corrumpit*, & canaliculis suis liberè transeundis inhabiles reddit.

Unicè ergò ad venenum, ex circulantium humorum poris ejiciendum, omnis dirigatur intentio: cùm verò illud subtile admodum existat, hinc & subtilis sit ejus destructor.

Excellit ergò hic *Camphora*, quam *Minderetus de Peste* plus virium hic obtinere contendit, quam quælibet pretiosa Bezoardica.

Deinde cùm venenum colliquefaciens plerumque, plus alcalinæ quam acidæ prosapiæ esse deprehendatur, hinc *acida quævis* utplurimum potentissimas vires hic obtinere experta sunt, potissimum ea, quæ sale volatili acuata admodum existunt, ut *spir. C. C. spir.* ♀i &c.

Kornthauer admodum propterea laudat *spir.* ♀*i cochlear* unum, cum tribus aceti vini cochlearibus propinatum, & singulis 4. horis reiteratum.

Ubi verò *lethargus* urgeat, proptereaque medicamen hoc propinari haud queat, monet ut temporibus, fronti ac pulsibus applicetur hoc, v. g.

℞. *Aceti* ℥iij.
Nitri ʒj.

Album. ovi n. j.
Camphor. gr. iij. mſ. ut applicato hoc lethargus ceſſet.

Hoc verò *Kornthaueri* alexipharmacum optimè maritari poteſt cum camphora, & aliis, v. g.

℞. *Spir.* ☿*i* ℥ß.
Aceti Bezoardic. ℥j.
Camphoræ gr. iij. mſ. pro doſi.

Vel hoc *Sorbaithi:*

℞. *Flor.* 🜍.
Myrrhæ r.
⊕*i* aa. ℈j.
Camphor. gr. v. miſce, & cum aceto propina aliquando plus aucta doſi.

Vel ℞. *Aceti Bezoard.* ℥iß.
Bezoard. mineral. ℈j. vel ʒß.
Camphor. gr. v. mſ. pro doſi.

Hæc & ſimilia alexipharmaca etiam tradita reperies titulo de Febribus continuis, malignis.

Paulo aliam methodum curandæ Peſtis habuit *Cl. D. Marggraff. Practicus Leidenſis*, recepit vero, v. g.

Vini Rhenani ℔. ij.
Theriacæ veteris ad minimum 7. annor. ℥j.
⊖*is card. benedict.* ℈ij. mſ. ſtent per noctem.

Tum

Tum æger in lecto ad sudorem compositus sumat cochlearia tria, & sudet, post horas duas iterum capiat cochlearia tria, hoc verò modo medicaminis hujus usum & sudorem continuet per diem integrum.

Dictus *D. Marggraff.* se hac methodo plures Peste correptos curasse asserit: *Barbette* vero *non* admodum *laudat*, nec suadet *cum vino alexipharmaca propinare:* Id quod tamen non semper valet, sed intelligendum saltem de calidioribus temperiebus.

Illi namque qui vino sunt assueti, ac digestionis negotio non admodum robusto gaudent, ac *in quibus Febris non admodum est intensa*, his *non semper negari debet vinum*, *sed medicaminis* saltem, non potus ordinarii, *vices* sustinere debet.

Jam verò cùm tot sudoribus serum ferè exhauriatur & expellatur, propereaq; sitis & ardor admodum urgere soleant, hinc tempore sudoris intermedio dentur pro lubitu, vel *Serum lactis tamarindinatum*, aut *succo citri* acidulatum; aut *Decoctum* C. C. *cum* ⦶o ℥iato; vel *aqua, in quâ malum citrium* totum *cum sacchari* quadam portione decoctum; aut *Julepus cum aqua rosar. Syr. ceras. acidor.* aut citri confectus.

Vel ℞. *Passularum mundat.* ℥vj.
▽ *font. fervent.* mensur. ß.

Stent in infusione donec refrigescant, tum ad-

de *vini* ℔. iß. stent horis octo, tum per manicam colatus potus detur ad usum. Plura dabit titulus de Febribus continuis.

Intra primum & secundum sudorem neque cibus neque potus concedatur: Postea verò dentur *jufcula hordeacea, avenacea, acidiuscula* cum *succo citri* reddita, & similia.

Ubi calor non adeò exsuperat, & *lipothymiæ insignes adsunt*, aut malum nunc est in declinatione, tum *vinum etiam negari haud debet.*

Præter universales modo dictas intentiones, nunc in specie quidem symptomatum ratio haberi deberet; sed cum rite administrata universali intentione, ac veneno debellato, ea suâ sponte sensim evanescere soleant, ac præterea titulo de Febribus malignis pluribus de singulis ferè actum sit, hinc quomodo *imminentia deliria, convulsionesque, vesicatoriis*, ac alia symptomata suis convenientibus medicaminibus *tollere* oporteat, ibi pluribus dilucidatum extat.

Sic & symptomata alia hic obvia, v. g. *Hæmorrhagia, Dysenteria, Lethargus, Cardialgia* &c. suis propriis titulis tradita, plura, quæ huc quadrant, suppeditant.

Restant saltem symptomata Pestis specialia, *Bubones & Carbunculi.*

Circa *Bubones* notandum, eos *omni studio extrahendos*, & ad aperturam deducendos: propterea sunt qui Bubones statim ita crudos aperi-

aperire suadent: alii verò cum *Cl. Ettmüllero* aliqualem saltem ejus maturationem expectari debere volunt, *nisi vel lividus vel niger appareat, ac sic Gangrænam minetur*, ubi nulla data mora crudos aperiendos esse commendant & injungunt.

Propterea vulgò applicantur *Bufones exsiccati in vino macerati*, ut mollescant, ac imponi commodè queant, vel eorum loco applicetur *emplastrum attractivum Knöfelii*, quod *Cl. Ettmüller* plus in recessu habere prædicat, & hinc inde descriptum extat.

Barbette hanc præ aliis commendat Bubonis curandi methodum, primo statim insultu, quando vix notabilis apparere incipit tumor, tum subitò vesicatorium applicat: vesicas verò post 7. vel 8. horas aperit, & imponit *Empl. arsenicale magneticum*, sicque intra 5. vel 6. dies omne venenum extrahit, postea vulnus consolidat.

Si verò Vesicatorium nimis debile est, & cauterium actuale tamen non necessarium existimat, in Bubone nimium protuberante, tum applicat potentiale hoc v. g.

℞. *Calcis vivæ* ℥j.
Saponis nigri q. s. mf.

Hoc ruptorio inter quam plurima sibi nullum innotuisse refert, quod minori dolore profundiùs corrodat.

Ne verò latiùs serpat ulcus, circa bubones

inungit *linimentum de anima* ♄*ni*, aut *unguent. alb. camphoratum.*

Si contra *Barbette* methodum aliqualis ſaltem maturatio priùs procurari debet, commendantur admodum *Cæpæ ſub cineribus aſſatæ*, & *cum fermento remixtæ* & applicatæ.

Neque ineſſicax eſt *Empl. diachylon, cum meliloto*, & *oleo ſcorpionis* mixtum.

Rulandus ex calce viva conficit lixivium acre, & cum linteis ſæpiùs applicat.

Carbunculus bubone multò pernitioſior, cum horrore & ardore exoritur, & *incipit à puſtula exigua, vel pluribus, præcedente prurîtu, brevique increſcit cum ſummo ardore & dolore; emergit verò cum purpureo & puniceo colore*, & *circumcirca, vel rubicundo*, quod melius, *vel livido circulo*, quod pejus, *circumdatur*: ad vicinas partes verò *gangrænæ inſtar ſerpit*, & niſi ſtatim ſub primo inſultu prævenitur, *magnam carnis partem mediante eſchara excidere facit.* Aliquando ſub puſtulæ albæ atque planæ forma apparet, quæ pus bonæ notæ continere videtur, compreſſa verò ſicca, & omnino dura notatur, profundè tamen carnem ſubjectam adurens.

Quamprimùm vero ſaltem apparere incipit Carbunculus, *cito præveniatur*, ſtatim enim, etiam lentem magnitudine vix exæquans, magnam inflammationem in circumferentia junctam habet, quæ propterea *unguento albo camphora-*

phorato præmuniatur: *carbunculo* vero *vesicatorium imponatur*, & modo de bubone edocto tractetur, sed diutiùs apertum servetur ulcus.

Non verò datur præstantius quid, hisce in casibus, *Empl. magnetico arsenicali*, præprimis, si aperturam mediante cauterio, vel actuali vel potentiali, formidat æger, quam tamen minùs aliquando sentire ægrum, quàm misericordia perversa commotum Chirurgum, *Barbette* asserit.

Emplastrum verò Magneticum hisce viribus præditum reperi, *Barbette* inquit, ut cuti duriori impositum, ne minimam quidem escharam producat, interim malignos humores tam egregiè extrahens, ut bubo juglandi similis intra quatuor aut sex dierum spatium prorsus tollatur.

Verùm non semper tam citò succedit, & hæc causa est, quare necessitas ad humores subitò evacuandos sæpènumero Vesicam priùs excitari desideret.

Imo in robustioribus nequaquam escharam producit, nisi vesicatorii ope cuticula non solùm, sed & cutis quædam particula corrosa priùs fuerit.

At verò in pueris, corporibusque tenerioribus, nullo vesicatorio præmisso crustam per se excitare potest.

Crusta hæc *vera veneni extracti sedes est*, qua-

quare mediocriter crassa reperitur, cute superficialiter tantum corrosa, quod profecto consideratione est dignissimum: & hæc, ut existimo, ratio est, cur multo citiùs separetur, quàm aliæ crustæ arte excitatæ. Horis enim 24. vel 36. elapsis, solius spatulæ auxilio, nulla præcedente scarificatione, absque ullo, aut saltem levi dolore auferri potest, si Emplastro antipestilentiali quocunq; utaris. Ubi tamen & separationem escharæ egregiè promovet hoc, v. g.

℞. *Mellis virgin.*
Axung. anatis aa. ℥j.
Fuligin. camin. ʒvj.
Terebinth. ℥j.
Vitell. ovor. no. ij. mſ.

Quod si tumor, crusta prima ablata, non sit sufficienter imminutus, Empl. arsenicali secundam & tertiam excitabis, & ut antea procedes.

Quæ tandem circa *Diætam* observanda sunt, in Curatione ipsa supra paucis indigitatum fuit: cùm enim primis duobus diebus saltem sudori incumbendum, hinc *horis inter sudorem vacuis, juscula saltem concedantur acidulata*, & *somnus quantum possibile arceatur, tempore sudori destinato*, &c. Propterea etiam opium primis illis diebus omittatur, donec venenum maximam partem debellatum extat. Postea vero summè proficuum.

Sed hæc de ipsa Pestis Curatione sufficiant.

Cum verò tanto hosti etiam sanissimus quivis suc-

succumbat, hinc quomodo se à tanto malo præservet, paucis notandum, ubi quidem securissimum Pestis prophylacticum hactenus non datur, quàm

Mox, longè, tardè, cede, recede, redi.

Fuga sane potentissimum hic est præsidium, sed quibus licitum est, illi in tempore locum mutent, antequam patrium solum universum ea occupatur calamitate: & tum caveant ne per loca infecta iter instituant; vel si talia vitare haud possibile, *lentè festinent, ne fatigati respirare frequentiùs, atque sic infectum aërem copiosiùs excipere cogantur.*

Quibus vero haud permissum fuga sibi consulere, illi tam aëris quàm corporis medicationi sint occupati.

Corrigitur vero aër potentissimè per ignem, & bombardarum frequentiores explosiones, *accensionem pulveris*; hæc enim & similia præter id, quod aërem concutiendo magnam instituant in eo alterationem, etiam *particulis* suis *sulfureis acidis pestifera aëris constitutiva* in tertium quid migrare & contexere valent.

Propterea etiam *Hippocrates* domos peste infectas *sulfure suffiri* jussit, cui & alia jungi possunt v. g.

℞. *Picis opt.* ℔. 3.
Sulfuris comm. ℔iß.
Nitri ℔ß.

Sin-

Singula grossè contusa misce cum ℔j. fomitis igniarii, Lundten/ in particulas minimas forfice discerpti, & de hoc per tria aut quatuor cochlearia inspergantur carbonibus, vel lignis ardentibus, atque *suffiantur domus privatæ aut publicæ* bis vel ter in die.

Si melius desideratur:

℞. *Succini rasur.* ℥vj.
Thuris.
Ladani aa. ℥ß.
Mastich.
Ligni Rhod.
Storac. Calam. aa. ʒiij.
Baccar. juniperi ℥ij.
Camphoræ ʒj. mſ. Fiat Pulvis grossus.

Hoc vel simili tam publicæ quàm privatæ domus divitum suffiri possunt. Vel in privatis etiam ædibus *acetum Bezoardicum, lapidibus ignitis inspersum*, suffitum præbet non contemnendum.

Alii *fœtida suffumigia* extollunt *ex cornu caprino, ungula equi* &c. sed etsi hystericis nonnullis hæc conveniant, tamen aliis, qui fœtores tales ferre haud queunt, aliquando insultus epilepticos excitare solent: tolerantiæ ergo hic respectus etiam habeatur, & consuetudinis.

Sic & *suffitus acidis constantes particulis plus hic conducunt, quàm ex fœtido sale oleoso volatili constantes.* *Medici,*

Medici, si ægros peste correptos visitare oportet, manibus teneant *carbones bene succensos* aut *faces piceas*, vel candelas magnas cereas incensas prope patientis os teneant, quo halitus infectus ex ore exiens igneis candelæ particulis destruatur.

Hac methodo *Pastores Norinbergenses* 1575. ægros invisentes se ab infectione præservarunt.

Consuetum etiam Chirurgis & Medicis, singulari habitu, plus necessario & tuto, quam decenti ægros invisere: non vero ex lana confecto, sed ex lino compresso æquali, simplici, & glabro, quem ab infectis redeuntes deposuerunt.

Sic in peste *Romana*, quæ anno 1656. urbem vastavit, singulari habitu Medicos fuisse succinctos *Bartholinus cent.* 5. *Obs.* 7. tradit. Vultui cerea larva inducta erat, & universo capiti, ne capilli miasmata imbibere possent; Paropia oculi erant muniti, & nasus rostro longiùs protenso involutus, ad alexipharmaca & bene olentia continenda. Hoc habitu induti securè infectos visitarunt, & Chirurgi securè bubones tractarunt.

Naribus semper admoveri debet Acetum Bezoardicum cum camphora &c.

Vel ℞. *Olei Succini.*
Citri aa. ℈j.
Bals. Peruviani ʒß.
Camphoræ ℈ß. mſ.

Pulsibus, naribusq; inunguendum &c. In

In ore semper aliquid *Radicis Zedoar, Imperator.* &c. contineatur, quo sic saliva semper horum particulis condiatur, ne deglutita fortè noceat.

Sedulò interim prospiciendum, ut semper expuatur & nunquam deglutiatur : quapropter & *Tabaci usus* hic admodum *conducit*, & sanè militum, imò gentium & nationum plurium est nepenthes.

Sed hæc circa medicationem aëris ambientis.

Ipsam verò corporis medicationem & insequentem præservationem quod concernit;

Notandum eos, quibus ventriculus saburrâ repletus existit, sibi admodum prospicere necesse habere, propterea ea vel vomitorio in dispositis, vel purgante alio convenienti, diligenter removeatur, sed non fortiori: hinc *Pilulæ ex Aloë & myrrha cum resin. jalappæ* paulisper acuatæ non erunt absque effectu. Vel & *Aloës cum aqua extracta*, coagulata, & *Elix. Propr. in pillulas formata*, ad gr. 7. vel 9. aliquoties data singularis est efficaciæ decubitus tempore.

Corpore ita ex depravatis primarum viarum consequentiis liberato, optimè conducet singulis septimanis semel vel per se, vel dato aceto Bezoardico leniter sudare.

Præterquam enim quod hac methodo etiam alio tempore corpus à plurimis morbis vindicemus: hac methodo etiam, periculoso hoc

hoc tempore, superfluitates circulantibus humoribus immixtæ optimè eliminari queunt.

Autor Medicinæ mentis, ubi de Medicina corporis agit, Regula quinta, contendit, commodius excogitari medium haud posse, quod omnia membra simul tam naturaliter & homometricè afficiat, quàm ut calori interno succurramus, *& sudore talia propellere tentemus*, quæ internis nostri corporis operationibus impedimento potiùs quàm adjumento sunt.

Hoc etiam modo sanguinis circulus leniter agitatur, & paulo concitatius promovetur, ita ut si fortè particulæ venenatæ se insinuarint, rursus liberentur, & *ex circulantium humorum poris* expellantur.

Media vero quibus hæc perficitur intentio, ex internis potissimum sunt acida blanda: hæc enim paulo arctiorem solent reddere sanguinis compagem, ne resolutioni adeo subjectus existat.

Sylvius propterea pro suorum circulantium humorum conditione *acetum vini proficuum* expertus fuit: & testatur, se cum Peste infectos visitaret, *præservationis loco*, non alio se præservasse, quàm *aceti vulgaris cochleari uno, singulo mane* antequam ægrotos inviseret cum mica panis assumto: hocque remedii genere se per octo menses ab infectione immunem reddidisse asserit.

Plus tamen convenit acetum per alexipharmaca aromatica correctum vel acuatum, & magis volatilisatum, quale est v. g. hoc:

℞. *Rad. angelic.*
Imperator. aa. ℥j.
Zedoar. ℥ß.
Fol. Ruthæ.
Scordii aa. m. j.
Myrrhæ ʒvj.
Croci ʒj.
Cort. Citri
Sem. Citri aa. ʒij.
Castor.
Camphor. aa. ℈j.
Opii. ℈ß. ms.
Aceti vini opt. mens. j. sive ℔iiij.

Stent in infusione donec extractio facta fuit.

Sed cùm non omnes, in specie hypochondriaci, aceti usum ferre queant; ejus loco, *vini herbis aromatisati* usum sibi familiarem reddant, & manè antequam exeant ejus haustum assumant.

Vel si neque vinum manè vacuo stomacho ferre queunt, cum jusculo propinetur *Elixir Proprietatis acido volatili maritatum.*

Atque hæc sunt interna; præter quæ etiam externa adstant à Practicis omnibus pro præservatione tanti mali commendata; sunt verò *Fonticuli*, quos raró fallere *Hochstetter decad.*

cad. 7. cas. 1. &c. & alii contendunt. Atque horum ope se aliquoties Pestis tempora incolumem transegisse testatur *Fausius, P. P. Heidelbergens.* Non tamen semper, præcipuè in illis qui peste infectos frequentant, fidendum esse Practici alii, *Diemerbrock*, *Augenius*, *Freitagius* &c. notarunt.

Sic & refert *Hochstetter*, quòd suo tempore neque scabies, neque ulcera antiqua (quæ aliàs præservationis loco multùm valent:) nec Fonticuli, à Peste præservarint: Non ergo in omni, sed aliquando, in hac aut illa saltem peste, non contemnendum tamen, solent agere præservativum.

Sic *in ultima peste Wiennensi* ferè omnes qui Fonticulis exulceratam habuerunt cutim, evaserunt.

Gaudeant ergo miseri, quòd calamitatis vel incommoditatis suæ adhuc quoddam tandem, quod DEUS avertat, solamen pestis tempore habere queant, cum illis qui crura ulceribus lacera obtinent.

Præter Fonticulos vero, nec *Amuleta* omnino erunt rejicienda *quæ tales habere solent poros, ut veneni particulæ illis faciliùs & libentiùs se insinuent*, & loco corporis nostri, in illis liberiùs se moveant, quicquid enim movetur, semper facilius eo tendit, ubi minimam reperit renitentiam vel resistentiam.

Innumera vero horum ferè ab Autoribus hinc inde commendantur, ex quibus omnibus præcipua sunt, *Magnetis arsenicalis* ʒß. *cum Camphora* collo appensa: vel & *Bufo exsiccatus*, aut inde facti *Trochisci Helmontis*, collo appensi.

Sed notandum, ut tempore sudori destinato auferantur à collo.

Plura venæsectionem purgantia &c. concernentia titulo de Febribus tradita extant; *non enim differunt Febres malignæ à Peste, nisi gradu minore*, ut adeò quæ ibi notata sint, multò magis hic observanda veniant.

Circa *Diætam* notandum illud *Hippocratis*, qui consueta longo tempore, etsi deteriora, insuetis tamen minus molesta esse, contendit. Propterea, & quidem pauperibus nullus hic injungitur delectus, modo *cum aceto diligenter cibi eorum conditi sint.*

Capas verò & *allium* non admodum hic conducere *Diemerbrock Augenius* & alii testantur: eorum loco verò *butyrum cum ruta comestum* non contemnendum pauperum est præservativum simul.

Inter carnes *vitetur recens caro suilla*: ex reliquis nil in specie prohibitum, sed quilibet edat quod habet: interim tamen *plus bibendum quàm edendum* esse, sunt qui volunt, *& quidem generosum vinum*, aut cerevisia optima, ut sic incurias causando, & animositates addendo

do, mœstitia & terror excùtiantur, *Helmonte* ita commendante, nec *Diemerbrock*, *Seyero* Medico Anglico apud *Willisium de Febr.* hoc negante: atque ideo valet illud:

Nimmer nüchtern/ nimmer voll/
Thut in Sterbens-Läufften wol.

Propterea que facilius nimia abstinentia, quàm pleniore copia peccatur, teste *Deusingio.*

Poterit verò commodè vinum vel cerevisia aromatisari *absynth. card. bened. helenio, &c.*

Vel poterit optimo cum emolumento in singulo pastu, cerevisiæ aut vino generoso instillari *Spiritus salis dulcis* gutt. 20. 30. &c.

In summa, *quo plus acidarum particularum in cibo & potu assumuntur*, absque tamen aliarum partium detrimento, *eò plus pestiferum illud causticum volatile sal ligari* posse omnes contendunt Practici. Propterea & rusticis lac ebutyratum, loco lactis dulcis, hic prohibiti, conceditur.

Phrenitis.

Est insignis pororum præcipuè meningum cerebri obstructio, & inflammatio, à circulantium humorum crassitie & insigni acri-

acrimonia, Febrem continuam acutam excitante, & nerveos simul tremore, convulsionum specie, ob nimiam nervorum tensionem, afficiente, animamque à suis omnibus actionibus (phantasia excepta, somniantium saltem phænomena edente:) impediente, dependens.

Subjectum sive pars affecta, cerebrum est, cum omnibus suis incolis, arteriis, nervis, glandulis, præcipuè meningibus.

Signa, quæ Phrenitidem adesse significant, sunt delirium perpetuum à somniante semper phantasia: hinc somniantes perpetuæ vigiliæ: Febris item continua, &c.

Præter hæc vero *oculi* sunt *torvi*, *Pulsus* adest *frequens*, *undosus*, & sæpè quasi cum convulsione durus: *Urina flammea & tenuis*: sed *utplurimum alba & suppressa.*

Adest etiam validissimum robur, quale in iratis conspicimus, mox plorant, mox cantant & rident, vel vociferantur aut furiunt. Sitis excruciat Tantalica, & lingua est arida.

Causa immediata est supra dicta Cerebri obstructio, & inflammatio, & quidem potissimum quoad suas varias membranosas aut nervosas partes.

Cùm enim in has particulæ rigidæ se insinuarint,

rint, quæ exigua juxta ſe reliquerunt intervalla, ſoli ſubtili ætheri pervia, hinc hujus motu agitatæ illæ particulæ rigidæ, *fibras* continuo *vellicant*, & quaſi *ſemper tenſos & ſemi-convulſos ſervant*; caloremque & dolorem ſummum, animam perpetuo ſentire faciunt.

Proximiorem cauſam quod concernit, *notum eſt, omnium morborum fomites conſiſtere in chyli & ſanguinis, vel in genere, in circulantium humorum poris & particulis, à convenienti ſua textura, connexione & ordine, magis minus contrariantibus.*

In hoc ergo noſtro Affectu gravi, probabile videtur, peccare *circulantium humorum* omnium & *texturam*, & *poros*, *à ſuo inter ſe decenti ordine multùm recedentes.*

Intellectus vero ſive *anima*, etſi à corpore ſit independens, tamen *ſuas affectiones* tam voluntatis, quàm ſenſus *non niſi per corporea organa exercere poteſt*, ſive ſint *fluida*, ut circulantes humores omnes, in ſpecie fluidum illud nerveum; ſive *ſolida*, veluti cerebrum cum ſuis partibus (in cujus centro ſive media parte initii medullæ oblongatæ, ſenſum communem reſidere probabilius eſt, quàm in glandula pineali:) Propterea uno horum affecto animam affici comperimur.

Fit verò *sensatio communis*, *motu aliquo*, *vel ab externis objectis*, *vel ab internis* subsistentibus, & vario modo afficientibus *acribus particulis*, filamentis nervorum, (quæ ubique commune attingunt sensorium:) impresso.

Impressio verò hæc promovetur subtilissimarum circulantium particularum, sive fluidi nervei motu, tensionem dictorum filamentorum semper invigorante: atque hoc modo *animæ deferuntur objecta, sive extra sive intra corpus, filamenta contingant.*

Pro vario vero subtilissimarum particularum motu, & vario inducto contactu, anima variam patitur affectionem.

Adeoque dependere notamus animæ determinationem proximè à subtilioribus variis particulis, imò subtilissimis determinatè commotis: non verò à sede quadam sive loco, cui anima veluti in Throno residere creditur. Anima ergo propriè non laborat, sed ob varias idæas ei repræsentatas falsitem, hic operatur, & variè afficitur.

Cùm vero pro libero fluidi nervei motu, cursu & recursu decenti, reliquorum humorum debita textura, & dispositio requiratur, hinc eis depravatis, & *Spirituum motum*, *& serviles actus* vitiari, ratio dictat.

In nostro ergo affectu proposito, externa objecta animæ haud deferri, rationis cessatio testa-

testatur. *Causa est humorum circulantium textura & ordo inter se vitiata*, unde perversus Spirituum motus, perversè nervosas distendere & afficere partes videtur, torvo vultu, & tremulo convulsorio motu. Ubi aliàs externa objecta ad lineam rectam, ad commune sensorium in cerebri quasi centro situm, deferri debuissent, & animæ præsentari.

Relictis ergò externis objectis, *sola operatur phantasia*, *vel imaginatio*, per vestigia varia antea ab objectis variis animæ cogitanti impressa, *indeterminata tamen & confusa recordatione*, prout inordinatus spirituum motus, per depravatos vel distortos, aut vario alio irregulari modo textos humorum circulantium motus, & poros ad sensorium commune, ea detulerit, & animæ repræsentarit.

Solam operari aliquando *phantasiam*, etiam eo tempore, quo nulla per sensus externos communicari possunt objecta, *insomnia docent*, quæ sunt rerum diverso tempore, cerebro & animæ mediantibus spiritibus impressarum relictæ idææ, unde evenit, daß manchem träumt / daß ihm nicht närrischer träumen könte / ut vulgus habet in proverbio.

Præterea in hoc nostro affectu adest Febris

bris acuta, *ob debitam circulantium humorum mixtionem depravatam*, & texturarum variam implicationem, hinc *totius massæ crassitiem*, ubi si biliosæ antea prævaluêre, & copiosæ fuêre, calor tanto fortior excitatur: Spiritus enim, vel subtilissimæ particulæ angustiis inclusæ, sed biliosis ceu levioribus & volatilioribus, acrioribus tamen, adjutæ, & materia subtili ætherea commotæ, celeriùs & concitatius, atque vehementia quadam nervorum fibrillas exagitant, *incrassationem S. Massæ solvere rursus instituentes*, *unde continuus calor & ardor*, *pulsus frequens*, *convulsorius quandoque*, *& validissimum hinc robur*, convulsivos namque motus robur addere experti sciunt.

Urina tenuis est vel flammea aut alba & suppressa *ob humoris* aliàs excernendi, *cum poris renum inæqualitatem*, *& in se crassitiem*, unde non nisi tenuiores transmittuntur liquidiorum particulæ.

Sitis item adest *Tantalica*, (quæ quidem ob rationem abolitam vix percipitur, nisi ex avida liquidorum vel omnium ingurgitatione eam adesse discamus:) *ob frustratam humoris salivalis secretionem*, ab hujus, & glandularum salivalium disproportione, &c.

Discimus ex hoc capite, duplicem in corpore obstructionem, scil. vel organorum, vel ipsorum circulantium humorum.

Humores & eorum pori obstruuntur, quando in eis miscentur rotunda quadratis &c. sicque eorum invertuntur texturæ, quibus tum perversis & alio modo juxta se invicem inordinatè positis, neque minus mobilibus, perque consequens organa hæc vel illa corporis minus penetrare, & secernenda non secernere habilibus afficiuntur, & sensim obstruuntur, quemadmodum id in hoc nostro affectu observatur, quando ab humorum obstructione tandem major, tumor scil. vel organorum inflammatio, & denique ex his lethargus & mors insequuntur.

Elucet hinc *differentia phrenitidis veræ* à *non vera*, si vera adest, & causa fortis, tum supra dicta signa adsunt; *In non vera omnia remissius se habent*, ob causam non adeo fortem; *differunt* ergo saltem *ratione magis vel minus*: Graviorem enim esse causam, quando cum furore, & irati quasi & præmeditatè delirant; quam quando absurda, cum risu & hilaritate quadam proferunt, probabile admodum videtur.

Prædictis causis præivere *mediatæ remotiores*, & ex *Rebus Naturalibus* quidem huc multum contribuere solet, *Temperamentum*

Sang.

Sang. Massæ magis calidum, *vulgo biliosum*, quia vero hoc successu temporis cum ætate solet augeri, hinc juvenilis ætas, utpote in qua omnia in statu & vigore sunt, huic malo præ aliis est obnoxia.

Cui ansam addere potest *aer æstuans*, & ex potu *vinum generosum.*

Non multum enim ab hoc malo sæpius differre observamus, spontaneam illam ebrietatem nimiam.

Sic & animi *mæror*, & fortis ille animi affectus *amor*, sæpe causam addunt, solet enim in hoc tam sanguis, quam spiritus motu quodam extraordinario agitari, qui si nimium excedunt, in corpore quidem calidiore tum levi de causa suppeditant ansam.

Ex Præternaturalibus rebus primarium ferè locum vindicat *Febris ardens*, quæ si cephalalgiam atrociorem junctam habet, & depravata humorum circulantium mixtura, majorem incurrit depravationem, tum causis supra recensitis additis, facillimè Phrenitis propullulat.

Tandem *contusiones & vulnera capitis, nervosas membranosasque utplurimum partes contingentia*, & eas inflammatione afficientia, hoc malum accersere poterunt.

Prognosin quod concernit, notum est & expertum, *malum hoc existere admodum acutum & periculosum*, intra septem ut plurimum dies ægrum è medio auferens.

Deno-

Denotant tamen *malitiam* hanc *urinæ tenues & albæ*, ex causis supra dictis, *Hippocrate* etiam teste *lib.* 4. *aph.* 72. uti & *vomitus adveniens biliosus, æruginosus, & virulentus*, nullum evadere indicat.

Quemadmodum item, *si lethargus accedit, de vita actum erit*, uti & si convulsiones, singultus, dentium stridor, aphonia, fœcum & urinæ inscia dejectio accedunt, hominem mori pronunciato.

Sic & si vires languescere, & *sopore quasi detenti ægri jacere incipiunt*, horrorque & frigus ceu pessima signa accedunt.

E contra si omnia remissius se habent, si desipientiæ non sunt seriæ, sed fiunt cum risu, & malum affligit per intervalla, & quandoque remittit vigor morbi, & causa fuit ebrietas, nec homo est temperamenti calidioris, & somnus delirium sedat, tum spem adesse credimus, item si viribus adhuc constantibus pus per os & nares, vel sanguinem expurgari videmus.

Curatio periculosissimi hujus mali, quibus indicationibus superstruenda veniat, ex causis supra allatis patebit.

Primaria ergo intentio respicit depravatam humorum circulantium, tam subtilium, quam crassiorum mixturam & vitiatam texturam, quibus restitutis actiones animæ exercentur rursus.

Et cum in genere crassities præternaturalis humorum circulantium malum foveat, hinc omnis intentio huc dirigenda erit.

Non verò hoc fiat hactenus laudatis refrigerantibus acidis, externè & internè applicatis, nec Ven. sectione, sed *Diaphoreticis* potius & *Diureticis.*

Cùm verò subtilissimus æther cum acriorib' alcalicis seu biliosis particulis, per tenaces circulantium reliquorum humorum partes violentos faciunt motus, quo majus enim est hujus ætheris impedimentum, eo fortior ejus vis & motus, hinc *Diapho-Diuretica sint temperata,* quæ texturarum confusionem corrigere, & ætheri consueto liberum suum motum restituere apta nata sunt, nec effervescentiæ forti satis pabulum addunt: sic ergo

℞. *Oculor. cancr. præparat.* ℈ß.
Nitri præparati ʒß.
Camphoræ gr. viij.
L. opiat. gr. j.
▽. *papav. errat.* ℥ij.
cinamomi ℥ij.
Spir. nitri gutt. iij. m∫. pro dosi sæpius reiteranda.

Vel ℞. *Bezoardici mineralis* ℈ß.
Nitri ♁*iati* ℈j.
Camph. gr. viij.
Laud. op. gr. j.

▽. *pa-*

▽ *papav. errat.* ℥iij.

Syr. papav. errat. ℥ij. mſ. pro doſi.

Vel ℞. *Lap. prunell. ſeu* ⊖*i præparati* ℈j.

Camph. gr. vj.

L. opiat. gr. j. mſ.

Vel ℞. *Elect. diaſcord. Fracaſt.* ʒj.

Lapid. prunell.

☿. *diaphoret.* aa. gr. xv.

Oculor. cancr. ℈ß.

▽. *fumar.*

papav. errat. aa. ℥ß.

Tinctur. anodyn. gutt. viij.

Syr. citri ℥ij. mſ.

Vel ℞. *C. C. phil. calc.*

Unicorn. foſſ.

Terr. ſigillat. aa. ℈ß.

⊖*i præparati* ℈j.

Camph. gr. vj.

Laud. op. gr. j. mſ. f. Pulv. pro doſi.

Hæc & ſimilia inſignem ferent opem ſæpius reiterata, aperiendi enim, dulcificandi, ſanguini convenientem ſuam mixturam reſtituendi, texturas corrigendi, & impetum ſubtilium agentium ſedandi vim habent, quibus omnibus reſtitutis, quælibet viſcera ſuos ſecernunt liquores, atque ſic univerſo corpori redit pacata quies.

Venæ-

Venæ-sectionem quod concernit, de ea in diversas abeunt sententias Authores: Veteres in larga V. S. administratione, omnem ferè curationis posuere spem, & eam quidem plurimi in fronte instituere præcipiunt, quando antea per venas brachii sanguis sufficienter detractus est, sicuti apud *Riverium lib.* 17. *cap.* 1. videre est; quin imo arteriotomiam in temporibus institutam, utpote magis refrigerantem quam V. S. *Pancratius* maximè extollit.

Sed hoc præsidii genus *periculi admodum esse plenum*, variis ex causis recentiores notarunt.

Cum enim vix unicus morbus, quantitatis Massæ Sang. legitimè constitutæ, sed semper qualium ejus depravatorum, & texturarum, pororum, vel mixtionis ratione, hominem aggrediatur: *Venæ sectione vero depravata, humorum circulantium mixtio non restituatur*, & præterea vires, quæ aliàs ob vigilias perpetuas, & animi ac corporis agitationes fortiores, victum tenuem, &c. nimium debilitare solent, hac ratione magis adhuc pereant; hinc *malè institui V. Sectionem in hoc malo* concludendum; principaliter etiam ex hac causa, *quod veterum revulsionem fictam, & bilis raptum ad caput, sanguinis circulatio refellat.*

Sic *sanguis* vel *humores circulantes non sunt calor aut ipse ignis*, licet particulas acres igneas sibi

ſibi copioſe immixtas contineant, ſi has in ſanguine temperare velis, longè aliis inſtituas mediis, nam etſi mediante Ven. ſectione etiam ad libras aliquot ſanguinem extraheres, & ſic multas particulas igneas ſimul auferres, tamen plurimæ remanent, (niſi omnem ſanguinem cum vita adimere velis,) quæ morbum promovebunt.

Magis conſultum ergo eſt relicta Ven. ſectione, (niſi evidenter nimiam circulantium humorum ſive M. Sanguineæ copiam adeſſe ſciamus,) ad ſupra dicta remedia recurrere, & *acrioribus particulis igneis in M. S. deſtructis*, vel in melius reductis, ægro ſanitatem reſtituere.

Nec à veteribus etiam plurimi, inter quos *Capivaccius* eſt, à nobis abeunt, quando credunt, *ſanguinem copioſum in ſanguineis delirium mitius facere:* Id quod & confirmare videtur *Heurnius cum Riverio*, qui poſt Ven. ſectionem ægros magis efferos fieri pronunciant, niſi ſtatim ſomnus promoveatur.

Hinc in tam dubioſo & periculoſo remedii genere ſpem ponere, minimè conſultum erit, inprimis cùm ob validos ægri motus vix item tempus Ven. ſectioni relinquatur.

Si tamen quis propter ſanguinem in vaſis ſtagnantem omninò extractionem ſanguinis neceſſariam putet, ei potius *Galeni* methodum equi ſuaſor eſſem, qui *raſo capite ſuturæ co-*

 ronali

ronali magnam cucurbitulam cùm scarificatione applicare, & sic sanguinem in vasis minimis stagnantem educere jubet copiosè, in pertinaci phrenitide: Id quod *Zacutus* in exemplo quodam confirmat. *De vesicatoriis* confer huc, quæ de Mania reperies.

Præter Ven. sectionem etiam plurimi maximam spem in repellentibus, externis topicis posuêre, sed hæc admodum cautè, etiam inprimis frigida, adhiberi debere, *Hartmannus Pract. Chymiatr. c. 8.* suasor est, *ne materia in capite coaguletur, vel ob pororum obstructionem majori* circulantium humorum *stagnationi* in vasis minimis *ansa detur*, & sic lethargus accersatur.

Sic & ab eis abstinere jubet *Sennertus*, ne materia ad cerebrum repulsa gravius malum inducat.

Etsi verò ego repulsionis ratione hæc vix æstimem, tamen quia id, quod præstant, poros occludendo efficiunt; eorum depravatum effectum etiam veteres satis docuerunt.

Sic *Rubeus comment. in Celsum* ait, Phrenitis aliquando transit in lethargum, *quia humores refrigerantur usu medicamentorum frigidorum*, & ubi est materiæ crassities; exinde quoque aliquando contingunt phrenitides illæ obscuræ, blandæ ac tremulæ, quas *Galenus* hecticas appellat.

Neque

Neque ideò interna nimiùm refrigerantia videmus esse tuta; medium ergo tenendum, ne vel magis refrigerantibus majori humorum crassitici opitulemur, vel magis calidis subtilium agentium igneam vim intendamus.

Si ergo externa topica in usum venire debent, tepida ea sint, vel calida, præprimis hyeme, v. g.

℞. *Succi cucurbitæ vel portulacæ, si haberi possunt.*
▽. *papav.*
rosar. aa. q. s. ms. applicetur cum linteis multum duplicatis tepidè.

In statu vero, ubi delirium est in summo gradu, vel etiam declinationis initio, tum *suadent Authores admovere resolventia*, qualia animalia sunt & eorum partes, sic v. g. *catellos*, *pullos columbinos*, *pulmonem vervecinum* &c. dissecta ita calidè admoveri jubent, ut totum caput molliter amplectantur: *oportet vero prius caput radere*, quo sic facilius vis medicamenti penetret, & aliàs item exhalationes liberiorem habeant exitum, & transpiratio sit minus impedita.

Præterea ubi *phrenetici* violentius se gerunt, & *furiosi* fiunt, tum *ligari debent*, & nunquam soli relinquendi, ne vel sibi, vel alteri manus inferant vel noceant.

Conducit etiam eos ligari, quia quo quie-

tius teneri possunt, eò quietius agunt in corpore subtilia agentia.

Convenit etiam in tenebris eos servare, præprimis ubi alia præ aliis agnoscunt, & varias imagines ab objectis concipiunt. Si vero tenebras horrent, in luce continendos esse, *Sennertus* monet.

Ab initio morbi *à vino planè abstinendum* esse, Practici monent, & ad magis temperantia refugium sumere suadent.

Cùm vero laxa alvus semper conveniat, hinc *Serum lactis*, cui parum *nitri præparati cum C. C. usto* infusum est, optimè conducit; ratione vero vigiliarum *noctu emulsiones sint in usu* &c. vide huc ea, quæ de dolore capitis calido dicta sunt, ubi julapia & similia laudata huc trahere poteris.

Urinæ suppressionem quod concernit, etsi ea poris noudum liberis vix restituatur, tamen peritonæum & renum regio optimè possunt inungi *oleo scorpionum, cum parum petroleo* mixto; ut sic ejus promotioni opitulemur, & poris dilatandis accurramus.

Tandem si omnia irrita esse præter spem deprehendamus, & tamen vires adhuc fortes esse notemus, tum *Willisii* consilium sequi tutò poterimus, quod hæc historia continet: casum habe ctapite de phrenitide; *Ancilla*, scribit, *robusta, febricitans & summè insaniens, continuò in lecto vincta tenebatur: huic sanguis copiosè & ite-*

& iterato missus, alvus ab enemate crebro subducta, julapia, emulsiones, hypnotica propinata: his nihil juvantibus, (quia à scopo omnia aberrarunt, quem supra descriptum intendere debuissent,) *per septem aut octo dies illa insomnis* & *furiosa admodum persistit, potum frigidum ejulando & clamando perpetuò exposcens:* quapropter hydropotia ad libitum concessa nequaquam sedatior aut minus sitibunda facta est. *Jussi ergo*, (siquidem tempus æstivum erat,) *ut mediâ nocte à mulieribus sublata, & foras perducta, cymbæ imponeretur, fune tantùm circa corporis truncum alligato, ne forte submersa interiret:* verum istiusmodi retinaculo nil opus fuit, quoniam *puella natandi arte perita, sponte natabat: Post tertiam aut quartam horæ partem sana & sobria aquis eximitur, dein lecto commissa dormivit & copiosè sudavit*, ac postea sine alio quovis medio convaluit.

Curatio hæc tam subitò & feliciter successit, in quantum flammæ tum vitalis, tum animalis, simul in immensum auctæ excessus, à proprio ignis intensioris remedio, humectatione scilicet & infrigidatione ab aquis tollererentur: hæc *Willis*.

Simile exemplum *Cl. Bonettus* habet, ubi *Genevæ* 1680. vir robustus, febre ardente & delirio correptus, *Rhodano* proximè adhabitans, *custo-*

custodum vigilantia se eripiens in fluvium præcipitem egit, qui tamen nandi peritus ripam rursus appulit, in qua *sospes & menti restitutus deprehensus*, & domum reductus, brevissimè post omninò convaluit.

Sed hyeme hanc curam instituere velle, periculi admodum plenum esse, & funestum contrarium docet exemplum, ubi puella mania leviori tentata, ex perverso cujusdam consilio, media hyeme rigidissima, in labrum frigida plenum conjecta, paucis horis post interiit. Non omnia ergo & omni tempore omnibus conducere, ex his notabis.

Phthisis.

VOcabulum quoniam ingenere quamcunque denotare potest contabescentiam, quæ exulcerationem partis sive visceris cujusdam nobilioris insequitur: hinc in specie hic nobis sermo est de Pulmonali Phthisi, & quidem strictè ita dicta,

Quæ est corporis universalis contabescentia, in specie ex pulmonum exulceratione, utplurimum tussim, sputum ab initio

initio sanguinolentum, postea magis purulentum &c. difficilem respirationem, Febrem lentam, & virium defectum, excitante, enata.

In specie dico, *à pulmonum exulceratione*, ad differentiam Phthiseos, quæ aliquando ex vomica, ex ipsa pulmonum contabescentia &c. contabescentiam corporis universalem inducere valet, & huc etiam trahi solet.

Subjectum sive Pars affecta ipsa, vel *pulmonum vesicularis substantia*, minimè verò, ex *Barbette* mente, ventriculus, aut mesenterii glandulæ, quæ causæ aliquando subjectum esse posse, interim non negamus.

Quoniam vero affectus hic difficulter primò in initio cognoscitur, cùm levis aliquando catarrhus æqualia incipienti phthisi phænomena juncta habere soleat, propterea exactè notentur

Signa distinctiva. Solent verò *ab initio* saltem *ægri conqueri de virium aliquali labefactatione*, cum appetitu plus minus dejecto, nunc cum, nunc absque manifesta prægressa causa.

Tum sentiunt *substantiæ carnosæ in artubus quandam flaccescentiam*, ac *subinde* aliqualem perci-

percipiunt *tussis inanis stimulum*, saporem in ore percipiunt salsum, vel putridum &c. matutino præsertim tempore; malo sic paulum progresso, *tussis successivè intenditur*, vespertino præcipuè tempore, vel *post lecti introitum.*

Jungitque se febricula lenta vix sensibilis, præsertim ab omni pastu, cum gravitatis sensu, *circa præcordia*, & *erratico faciei & malarum rubore.*

Pulsus verò, quocunque tentetur tempore, *semper celer*, *frequens*, plus minus tamen parvus observatur.

Interea Tussis vespertina exasperatur, respiratio fieri incipit difficilis, & viscida ac alba rejici incipiunt.

Procedente malo, post pastum *calor hecticus intenditur*, & *cum sudoribus nocturnis tussis augetur indies*, & materia copiosa, alba, viscida, successivè flavescens, vel livescens, & tandem nonnihil fœtens, denique verò purulenta expuitur, & tussi rejicitur.

Tussis verò tum continuò pectus quatit, præsertim vesperi, & mane, ubi tamen *mane plus materiæ corruptæ rejicitur*, *quàm vesperi.*

Tunc verò contabescentia, difficilis respiratio, sudores nocturni, virium successiva prostratio intenduntur, & *quamprimùm oculos claudunt ægri*, *sudore diffluunt.*

Tan-

Tandem & capilli defluunt, & tum denique viribus exhaustis, & *cessante tussi & expectoratione* materiæ ægri suffocantur, vel *superveniente Diarrhœa colliquativa*, ad quam semper aliàs proni sunt, aut *tumore pedum œdematoso accedente*, tandem moriuntur.

Aliquando Hæmoptysin, Pleuritidem, Febres malignas &c. insequi solet Phthisis, & tum si remaneat tussis cum lenta Febre, corporisque extenuatione, magis certi possumus esse de Phthisi pedem figente.

Atque hæc tum vocatur *Phthisis Secundaria*, sive *Symptomatica:* ubi illa, quæ ex stagnatione acrioris lymphæ primò pedem in pulmonibus figente, *primaria audit*, quam nullus alius præcessit morbus.

Non verò semper in omnibus æqualia solent esse Phthiseos phænomena: Sic *quibusdam accidit cum sanguinis sputo, aliis absque hoc.*

Alii etiam, *Kerckringio teste, in spicileg.* exulceratos habent pulmones, *absque tussi* &c. atque hæc sunt, quæ phthiseos veræ cognitionem aliquando difficilem reddere solent, quibus *vomicam*, *calculos*, aut ipsam pulmonum contabescentiam, absque exulceratione adjungimus.

In his non minus contabit corpus, quàm in ipsa exulceratione, sic & Tussis, respiratio difficilis adsunt, & pus aut materia similis magis minus expuitur &c. Probè verò notentur

ſingula, & exactè trutinentur, quoniam pro differente pulmonum actionis læſæ cauſa, etiam cura diverſè venit inſtituenda.

Immediata verò Phthiſeos ſtrictè ſumptæ *cauſa* eſt *exulceratio*: Latiùs verò ſumptæ, varia poteſt eſſe obſtructio.

Mediata Proximior exulcerationis prædictæ *cauſa proximior lympha eſt*, & non ſanguis extravaſatus, licet & hic ſua vaſa perrumpendo, alios tubulos lymphæ vehendæ dicatos ſimul lædere, & tum ejus extravaſationi anſam addere poſſit: *Sanguinem verò purulentæ materiæ, quæ tuſſi rejicitur, non eſſe pabulum, facilè innoteſcit, ſi ulcerum & puris materiam paulo intimius trutinamus.*

Sic notamus, ubi vaſa ſanguiveha vulnerata & diſrupta exiſtunt, ſanguinem effluere, & nunquam pus per ſe generari & notari, niſi venarum aut arteriarum fibræ diſruptæ vel concisæ, in cincinnos reſilientes, ſanguini exitum occluſerint: Et *inde eſt quod primis diebus in recentibus vulneribus nullum appareat pus*, ſed ſanguis, non enim illud prodit, niſi ſanguine prius ſubſiſtente, & non amplius effluente.

Notamus enim *in varicibus*, etſi diutiùs extravaſatum quaſi, aut à circulatione excluſum *ſanguinem* contineant, *non* tamen *in pus* eundem abire.

Sic & in magnis contuſionibus ſanguis aliquan-

quando extravaſatur, qui tamen longum poſt tempus immutatus reperitur.

Non ergo *purulenta illa materia* aliud quid *eſt*, quam *lymphæ extravaſatæ, & mediante acido in pus inſpiſſatæ portio*, id quod Tuſſi vulgari rejecta pituita, puri aliquando non abſimilis, innuere etiam videtur, quæ ex lymphæ (ſaltem mediante acido ex frigidiore aura hauſto) coagulatæ ſtagnatione dependet, & non ex ſanguine extravaſato.

Gradu ergo & textura paulò aliter conſtituta, differt pituita tuſſi rejecta, ſive lympha, acido extraneo aëreo coagulata, à pure, à materia acido - ſalſa ſanguini, dehinc lymphæ advecta, genito.

Sic aliquando *brevi tempore tanta purulentæ materiæ copia ex ulceribus excernitur absque vitæ detrimento, quod à ſanguine fieri haud potuiſſet*, ſi in tanta copia rejectus fuiſſet.

Et quidni ſanguis potiùs vaſis ſuis eroſis ſua forma exiret, quàm ut in pus priùs abeat?

Sanè *ſanguiveha vaſa eroſa in pulmonibus, potiùs aut hæmoptyſin, aut catarrhum ſuffocativum inſtituere*, quàm in pus abire, tot exempla demonſtrabunt.

Atque ita purulenta materia cum illa, quæ vulgari tuſſi rejicitur, ferè eadem eſt, paulò majori ſaltem acrimonia conſpicua.

Indeque eſt quod *Tuſſi frequentiùs obnoxii, facilè* denique *Phthiſin incurrant.*

Locus

Locus etiam est admodum aptus, capiendæ tantæ quantitatis, materiæ purulentæ; citò enim perrumpi & corrodi queunt pulmonum innumeræ vesiculæ, à lympha in suis vasis stagnante extravasata: Et tum *quo plus semper perrumpuntur talium vesicularum, eò plus purulenta increscit materia*, cum tussi & respiratione difficili.

Contabescentiam verò non ab exulceratione, sed *ab ejus causa*, *acri lympha*, sive lactea aut chylosa parte sanguinis depravata, *originem trahere*, atq; complicatum malum Phthisin esse credo.

Quemadmodum id indigitare videtur *Phthisis, post variolas, Febres, Pleuritidem* &c. tandem inducta, atq; sic præcedit causa, quam sequantur varia phænomena, sive effectus.

Docet etiam contabescentia omninò absq; exulceratione pulmonum, à scorbuti constitutivis, acri lympha sola contracta.

Solent tamen prægressis his causis plures aliæ *remotiores* advehere pabulum, & occasionem addere.

Sic ex *Nonnaturalibus rebus* vulgo dispositum esse ad hoc malum dicitur *Temperamentum* pituitosum & biliosum, sive *circulantium humorum temperies*, *ex plurimis serosis*, lentis, sed *acribus* particulis compaginata.

Sic nec hæreditaria dispositio hic excluditur, *Fernelio* teste, & experientia hoc confirmante.

Mor-

Morbosus etenim character, sive singularis lymphæ dispositio & textura depravata, tam propagatur, quàm si laudabiliter constituta fuisset.

Credo verò, ad unumquemque morbum singularem etiam requiri humorum depravatam texturæ dispositionem, quemadmodum ad hujus vel illius sanum corpus, requiritur singularis, sed conveniens tamen eorundem humorum circulantium textura: Id quod *arduum adhuc est exactè dijudicare, quomodo hujus vel illius temperiei constitutiva inter se in specie sint contexta, sive depravata sit aut pr. n., sive naturaliter constituta illa temperies.*

Ex Nonnaturalibus rebus grave symbolum addit *Aër*, & mediante hoc inductus peregrinus æther, autumno familiaris, ut & *particulis calcis vivæ, carbonum, aquæ fortis* &c. *turgidus.*

In *Diæta* potus hic magni est momenti; Frequentior vero *vini generosioris*, vel *Spir. vini usus*, appetitum pessundat, spiritibus saltem suo subtili contentis, nec crassiora aut solidiora appetentibus, succurrendo; circulantes verò humores liquore acido inutili relicto, exasperando, præcipuè verò lympham acuendo & incrassando.

Notamus saltem hoc ex *acidulis*, quæ *si fuerint propinatæ illis qui teneriora obtinent lymphatica vasa*, & *debilem pulmonum texturam*, facilè huic malo ansam dare poterunt: præcipuè

puè si non admodum abundent humores particulis volatilibus, utpote quæ acidularum copia facilè obrui queunt, præprimis si per urinam hæc non expeditè excernitur rursus, sed cum sanguine circulando, & ab hoc vasis lymphaticis communicata, hæc extendit nimium, & ad rupturam disponit : vel lympham tandem ipsam incrassat & coagulat.

Pertinet huc *Tabaci fumus* copiosius haustus in dispositis : tum & *frigidæ ingens haustus* subitò *post incalescentiam corporis ingurgitatus* &c.

Ex præternaturalibus Rebus conferre etiam solent symbolum per accidens, *Pleuritis*, *Hæmoptysis*, *vomica*, *Peripneumonia* &c. Præterquam enim quod hæc ab eadem causa ferè, à qua Phthisis sibi ortum trahit, dependeant, ac per pulmones exitum sibi quærere necesse habeant, hinc ruptis nonnullis tubulis aut vesiculis, uti necessario ferè fieri oportet, non aliter esse potest, quin sic aliquando exulcerationi ansa & occasio detur; modò leviter saltem debilis concurrat pulmonum textura : præcipuè quoad eorum vesiculas, & lymphatica organa.

In Genere verò huc etiam spectat *sanguinis acris* & *scorbutica dispositio*, *lympham rudem*, *crassam*, *salinam*, *acrem*, *generans*, unde non mirum est, *post febres*, præcipuè *malignas*, & *variolas* Phthisin aliquando remanere.

Contagium quod concernit, mediante quo

etiam

etiam sanis communicari posse Phthisin, hoc plures confirmant, & quidem suo proprio exemplo *Hartmannus in Praxi*, nec negant *Schenck, Riverius, Bartholinus & alii:* Sed obstant alii & contagium hic vix admittunt. Et verum est rarò hoc accidere, vel saltem in dispositis, etsi alii per vestes post biennium indutas propagatæ phthiseos mentionem faciant: quod nimium est. Vix pestis miasmata adeo tenaciter adhærent tam diu, quomodo hæc inalterata tam diu manebunt?

Spectat etiam huc pulmonum vitiosa conformatio, aut debilis ab ortu textura, vel arte ita constricta, & arctior reddita, *ut inspirationi* etiam, *pro promovendo sanguinis circulo, vacare pulmones haud satis liberè queant.* Incurrere verò solent malum hoc frequenter virgines, quando ad conciliandam venustatem pectus continuò constringunt.

Prognosin quod concernit, notandum, ferè certum esse illud *Hippocratis lib.* 1. *de Morb. Sect.* 3. *tr.* 6. ubi asserit, *Tabem necessariò perimere.*

Sanè, cum ipsius patientis incuria & negligentia vix incipientem, taceo imminentem Phthisin cognoscat, aut eorum, quibus cognoscere datur, rarò auxilium implorent, nisi quando nunc confirmatum malum planè est: certum etiam est rarò hoc curari.

Id quod & ingenuè fatetur *Timæus lib.* 2. *Epist.*

Epist. 2. ubi refert, se in tota sua Praxi, triginta septem annorum, neminem ex iis, qui pulmonum ulcere fuêre affecti, integræ sanitati restituere potuisse, etsi nil intentatum reliquerit, quod ad curationem hujus mali ullo modo facere potuerit: Neque etiam ab aliis celeberrimis Medicis se quempiam restitutum vidisse asserit. Et idem testatur *Crato*, neque *Galenus* abnuit, qui *exiguam sanationis spem in ulceribus pulmonum superesse ait.*

Credunt ergo alii, illos pro Phthisicis confirmatis habitos & restitutos, nunquam Pulmonum exulceratione, sed Tabe saltem aut Hectica, aut fortiori Catarrho laborasse, id quod admodum credibile.

In quibusdam verò nunc confirmata, celeri pede ad finem tendit.

In aliis verò, quando nondum confirmata existit Phthisis, aliquando curari, vel progressus saltem, si cautissimè & rigorosè æger omnia observat, ad plures annos retardari potest.

Dantur etiam alii, qui quasi Fonticulum in Pulmone habent & copiosum sputum ac crassum, imò flavum & quasi purulentum omni manè, vel & toto die rejiciunt, præterea verò satis sani degunt, benè adhuc comedunt, & respirant, & medio corporis habitu perstant, & non raro ita senescunt, *Willisio* hoc testante.

Vix verò curantur, *qui hæreditario caractere* notati Phthisin incurrunt: quique utplurimùm, *pectore angusto, collo oblongo, scapulis alatis*, & constitutione admodum tenera, *à levissima* etiam *occasione tussim* sibi *contrahunt*: In his sanè etiam levis tussis plus periculi portendit, quàm in robustis etiam fortissima vix indicat: tali enim charactere notati, vix alio morbo, quàm phthisi moriuntur.

Plura huc spectantia Prognostica ex suprà traditis hujus mali signis desumi poterunt. In genere semper in omni phthiseos gradu plus *superest spei, si prima viget concoctio*, quàm si ea nunc ferè silet. *Raucedo* & *Diarrhœa* denique accidentes plerumque *mortem* ante portas *annuntiant*.

Cùm verò ex prognosi nunc & aliorum observationibus abundè constet, confirmatæ Phthiseos *Curationem* tam difficilem, quàm impossibilem ferè esse; hinc *omnis nervus ad imminentem* vel *&* *incipientem* saltem dirigatur.

Et cum lympha, vel & *nutritius succus crassus, acris, acido salsus* potissimùm hic constituit *Phthiseos pabulum*, hinc correctâ hac causâ effectus sensim cessabit.

Instituitur vero correctio hæc varia methodo: magis secura existit, si leviori etiam Tussi hic medemur, & quamprimùm talis modo incipit, in dispositis statim succurramus.

Tum verò si ex primis viis saburra repletis transmittitur pabulum, præmittatur saltem *Ptisana laxans.*

Postea Decocto Pectorali acrimonia circulantium humorum, ac lymphæ consequenter, demulceatur v.g.

℞. *Fol. hæder. terrestr.*
Herb. botryos.
Betonic. hyssopi aa. m. j.
Flor. tussilag.
Bellidis.
Papav. err. aa. mß.
Radic. Chin. incis. ℥ij.
Helenii ℥ß.
Liquirit. ʒij.
Passular. min. conquassat. ℥iß.

Incisa infunde in ▽æ *font.* mens. ij. postea coque, ac tum singulo mane bibat æger bonum haustum.

Pro Potu ordinario verò *Decoctum Chinæ cum Passulis* in usum veniat.

Si cui linctus placent,

℞. ♂♂. *amygd. d.* ℥ß.
Sperm. ceti ʒß.
Sacchari cand. ℈j. mf. pro dosi

Sæpius reiteranda.

Vel ℞. ♉. *Diaphoret.*
Sulfuris alcalisati.
Ocul. Cancr. aa. ℥ß.
Spec. diaireos ʒj.

Bals.

Balſ. ♃*ialis* gutt. xxx.
Syr. veronic. q. ſ. pro Electuario.
De quo detur bis vel ter de die.

Si aliquid convulſivi ſimul tuſſim excitet,

℞. ▽. *hyſſopi.*
Hæder. terr.
Menth. aa. ℥ij.
Balſ. ♂. gutt. xv.
Tinct. anodyn. gutt. xxx.
Croci gutt. xx.
Syr. veronic. ℥ij. mſ.

Detur pro tribus doſibus veſpertinis.

Si tuſſis præſertim ſicca urget.

Quod ſi verò Tuſſis contumaciter perſtet, atque limen ſupergredi, ad phthiſin tendere, & plures veſiculas perrumpere, atque ſic pulmones magis magisque corrumpere hariolетur, tum conſtantiùs in medicaminum perſiſtatur uſu, atque aciditas ſalſa lymphæ potentiùs debellari tentetur, abſorbentibus quidem hic ſpecificis. v. g.

℞. *Antihect. Poter.*
Sulfuris alcaliſati aa. ʒj.
Fol. heder. terr. pulveriſ. ℥j.
Croci ℈j. mſ. Fiat Pulvis.
Doſis ʒiß.

In Temperamentis magis Frigidi ſenſum junctum habentibus

℞. *Spec. diaireos simpl.*
Helen. pulveris. aa. ʒß.
Balf. 🜂. *anisat. vel* ♁*iati* ʒß.
Syr. de Farfara. q. s. pro Electuario.

Vel præter supra commendatum Decoctum, hoc ducatur in usum, v.g.

℞. *Rasur. Lign. Sassafras* ℥ij.
Radic. Chinæ ℥j.
Santali citr. ℥iß.
C. C. *ras.* ʒß.
Liquirit. ℥iij.
Passular. min. ℥iij. Incisa coquantur cum Aquæ Font. mensuris tribus: Ferventi verò Decocto infundantur v.g.

℞. *Herb. Häder. terrestr.*
Hyssopi.
Betonic.
Veronic.
Fl. Tussilagin.
Papav. err.
Bellidis aa. m. ß.

Infusio ritè facta veniat in usum, bis vel ter de die de hoc sumendo bonum haustum.

Lotichius Decoctum *Ligni Guajaci* hic omnibus aliis præfert, atque hujus affectus Bezoardicum esse prædicat, quo singulari successu se usum esse asserit.

Alii Radici Chinæ hanc prærogativam adscribunt;

Salius Diversus Santalorum: Plures vero ex recentioribus *ligni Sassafras Decocto* eam largiuntur.

Alii singularibus confidunt specificis, quæ tamen à prædictis non abludunt.

In genere omnes Practici urgent simul expectorantia, ja wann man die Materie fein am Schnürgen hätte / sicut nostrates loquuntur, extrahi commodè posset; sanè non mitigatâ causâ neque expectoratio, neque alia symptomata remittent: Semper ergo urgeatur causa, quovis modo.

Novi virginem (*Bonnetus Mercur. compital. de Phthisi* §. 24. *refert*, viginti circiter annorum, robustam, succi plenam, quæ anno ætatis septimo phthisica & hectica erat (vix confirmata) à Medicis derelicta, quam sagax mater, per sex hebdomadas integras, quotidie ℔ß. *Decocti flor. tussilag*. præbendo cum pauco saccharo, restituit.

Singularem effectum prædicat *Gott. Christ. Winckler M. C. Anni* 76. *Obs.* 95. de quodam Electuario, quo solo se Mulierem, post hæmoptysin Phthisin cum Hectica passam, & tussiendo purulenta cruore tincta expuentem, cum sudore colliquativo ac dyspnœa, restituisse asserit: Electuarium verò fuit hoc, v. gr.

℞. *Radic. Symph. maj.*
Tussilagin.
Enulæ mund. aa. ℥iiij.

Coque in aquæ q. s. ad mollitiem, & extrahatur pulpa. Tum

℞. *Passular. major.*
minor. aa. ℔ß.

Coque in brodio à radicibus relicto, & extrahatur pulpa. Dehinc

℞. *Herb. Salv. acut.*
Hyssopi.
Veronic.
Hederæ terr.
Pulmon. macul. aa. m. j.

Coq; ad mollitiem in brodio à Passulis relicto. Tunc

℞. *Decocti colati.*
Sacchar. candi aa. ℔j

Coque ad consistentiam, tum colaturæ adde
Pulpam Radicum.
Passularum.
Amygd. d. excort.
Pinear. rec. probè pistar. aa. ℥iij.
Cinamomi ℥ij.
Croci ℈j. ms. fiat Electuarium.

Eodem, mutatis paucis, se filium suum trium annorum, post petechias superatas, vomica pulmonum quatuor vicibus collecta & rupta, ita ut pus magna copia expectoraret, macie confectum, feliciter restituisse itidem refert.

Præ-

Præter interna verò hæc circulantibus primò humoribus, & dehinc pulmonibus communicata, Practici etiam alia commendant in nondum deplorata Phthisi, quæ pulmones ipsos primo attingunt, ac propterea plus quàm alia interna aliquando prodesse contendunt, & sunt *suffitus vel humidi vel sicci* v. g.

℞. *Fol. hæder. terrestr.*
Hyssop.
Flor. Tussilag.
Chamomill.
Sem. fœniculi aa. m. ß.

Coque cum ▽*æ font. & hyssopi aa.* & vapòr calidus excipiatur per infundibulum manè & vesperi per quadrantem horæ. Vel

℞. *Succini.*
Benzoi.
Storac. calamit.
Auripigmenti aa. ʒj. mf.

Et inde excitatus fumus eodem modo hauriatur, vel & mediante fistula tabacina attrahatur.

Si tussis nimium urget in hoc malo, tum concessum est opio eam paulisper mitigare, præcipuè si suspicetur magis acrimoniam, quam materiæ quantitatem, in causa esse.

Atque hic notavit *Cl. Ettmüller de Opii virt. diaph.* Phthisicos sensibile ex illo percipere beneficium: Sordium enim copiam exinde

minui, non quidem supprimendo, sed ne in tanta copia generentur præcavendo, ait: unde non semel miratus sum, inquit, Phthisicos, etiam per aliquot septimanas, continuatum Opii usum citra ullam sensibilem alteratiónem aut noxam, ferre potuisse, quemadmodum etiam *Crollius* olim notavit.

Præter hoc verò beneficium etiam hoc commodi habere opium in Phthisicis, ut vespertino usu sudores nocturnos potenter cohibeat, in Praxi testatur.

Sic Phthisico confirmato se hoc præscripsisse, ait, cujus usu ægrum semper hilariorem fuisse redditum, sudore nocturno ea nocte cessante, v. g.

℞. *Antihect. Poter.* ℈j.
Sacch. ♄ni ℈ß.
Extr. croci gr. v.
Laud. opiat. gr ij. vel iij.
Bals. Peruv. q. s. ut fiant Pillul. pro 2. dos. duabus horis ante cœnam sumendis.

Interim tamen plus hæc convenire in tussi nocturna, magis sicca, ibidem confitetur.

Aliàs & Tussim molestam optimè demulcere soler *Extr. Liquirit.* s. vel hoc modo compositum v. g.

℞. *Succi liquirit.* ℥ß. liquefacto adde
Flor. Sulfuris ℥ß.
Benzoi ℈ß.
Bals. ☿*ial.* gutt. x. ms. & inspissa lenissime.

Vel;

Vel: ℞. *Lech. de Pulmon. vulpis* ℥j.
Syr. papav. errat.
Violar.
De Symphyt. aa. ℥ij.
Flor. Benzoi ℈ß.
Sulfuris ʒß.
Balſ. 🜍. *aniſat. aut* ☿. gutt. x. mſ. detur de hoc ſæpiùs.

Sic & *Tinctura ſulfuris aniſata*, aut ex *Balſ. meo* ☿*iali* parata, & cum *Syr. de farfara* ſæpiùs propinata, non minimi hic eſt ponderis: præprimis in illis, hypochondriaco malo notatis.

Ad appetitum ſæpe in Phthiſi proſtratum *Sylvius Elixir. Propr. commendat*, modò ne nimis acidulatum.

Præter interna verò hæc dantur & externa præſidia, quibus Phthiſis arcetur: Sic *Hildanus non ſatis hic poteſt laudare Fonticulos*, quorum beneficio ſe ſemiphthiſicos, qui ſanguinem ſimul & pus exſpuebant, ſanatos vidiſſe aſſerit.

Novi virum, inquit, qui Phthiſin jam diu contraxerat, corporis conſtitutione melancholica, hic variis illisque fruſtra adhibitis medicaminibus, adminiſtrata à me ſiniſtro brachio fontanella, intra ſemeſtre, à defluxione non ſolùm liberatus, ſed & carnem deperditam paululum recuperavit. *Epiſtol.* 49.

Nec improbat Fonticulos *Th. de Mayerne de arthrit.* Sed tamen illis, qui fiunt in scapulis, haud æquiparandos esse ait.

Atque hos etiam *Riverius* multùm commendat, Juvenis 20. annorum, refert, à duobus mensibus laborabat fluxione in pulmones decumbente cum Tussi, frequenti respiratione, & Febre lenta, ita ut in Phthisin jam prolapsurus videretur; in hoc, pluribus aliis adhibitis, præcipuum fuit *Causticum* utrique axillæ adhibitum, hocque intra mensem fuit restitutus. Fiunt verò in scapulis, è regione anguli superioris homoplatarum, ad æqualem spinæ distantiam, quemadmodum locum ita indigitat dictus *de Mayerne*.

Quod si verò omnia hæc frustranea deprehendantur, & Phthisis nunc statum confirmasse notetur, atque Febris simul Hectica, & ob frustratam nutritionem atrophia, cum virium omnium prostratione, nunc infestent, tum calidiora medicamina, in incipiente Phthisi aliàs satis commoda, nunc intolerabilia existunt: quatenus Phlogosin augentia, Febrem Hecticam, sitim, vigilias &c. intendunt.

Deploratæ verò *Phthiseos signum Willis* esse dicit, si *dolor* admodum *molestus cum phlogosi in gutture* sentitur.

Tunc verò frustra intenduntur ulceris abstergentia, aut exsiccantia, sed talia quæ sanguinis fervorem compescunt, & vires addunt.

Inter

Inter hæc vero primum locum obtinere *Lac*, plures testantur Practici: quod vero, ne acescat, cum pauco sacchari decoquere præcipiunt, &, *ne in nidorem convertatur, multa aqua miscere jubent.* Sic *Hippocr. 7. Epidem.* Lac bubulum exhibet cum aquæ sexta parte, quia aliàs nimis crassum facile in nidorem vertitur.

Ac propterea etiam alii cum *Galeno* admodum commendant *Lac asininum*, cum tenuissimum sit. Sed cùm hoc non ubique obvium sit, commodum est bubulum aqua addita, ad ejus temperiem redactum. Hoc consilium si plurimi sequerentur, *Primerosius* ait, majus ex lactis usu emolumentum persentiscerent Phthisici, quam solent.

Sed si lacte ritè quis vult uti, suasor est *Cl. Ettmüller*, ut ter in die sumat, nec alium cibum gustet, nisi passulas quasdam, hocque tam diu continuet, donec denuò corpus proficiat: sumto vero lacte moderatum sit corporis exercitium.

Demulcet verò optimè acrimoniam humorum in quacunque atrophia, ubi opus attemperatione & humectatione, propterea in scorbutica Phthisi ferè sacra habetur anchora.

Præter naturale hoc Lac conducit etiam admodum Lac artificiale, v. g.

℞. *Radic. symphyt. maj.* ℥ij.
Herb. heder. terrestr.

Flor.

Flor. tussilagin. aa. m. j.
C.C. *sarpat.* ℥j.
Limac. purgat. n. x.
Coque cum *aquæ font.* ℔. iiij. Tum
℞. *Pinearum mundat.*
Pistac. decort. aa. ℥ij.
Fiat s. a. Emulsio, de qua detur sæpius.

Præter hæc vero, quæ ad *Diætam* spectant, etiam alia restaurantia, & optimè nutrientia in usum ducantur continuum. Si enim in ullo morbo Diætâ quid præstandum, sanè hic necessum erit.

In Cibo quidem admodum hic laudat *Tackenius Brassicam nigram*, diligenter in usum vocatam: Neque minus præstabit *Brodium cancrorum, caponum, limacum* &c. ex magis solidis *caro vitulina cum passulis* cocta, & ex fructibus *ficus tabidis admodum conducunt.*

Pro Potu ordinario si non Lac, saltem *Decoctum chinæ cum passulis & liquiritia* adsit; Vinum vero quodcunque pro ordinario potu vitetur, in Phthisi strictè sumpta, sive Pulmonum exulceratione, quorsum omnia prægressa spectant.

Motum quod concernit, vix opus videtur, præsertim facta Phthisi, eum admodum præcipere, cùm per se spontanea lassitudo eundem haud frequenter admittat, aut expetat, saltem paulo fortem.

Interim

Interim tamen nimiùm quiescere haud expetit, sed melius leniori motu circulantes excitare humores, & contra hostem instigare: sed omnia cum discretione.

Ablegationem Galeni ad montem Tabias quod concernit; eam non adeò absurdam esse, *de Mayerne* testatur: Ante annos aliquot, refert, illuc *Nobilem nostratem nomine Cotton*, Phthisicum confirmatum, misi, pus cum sanguine spuentem, ac sceleton membrana pergamena vestitum præ macie referentem: qui à reditu planè restitutus, nuptias contraxit, sanissimus in familia degens, plurimorum liberorum parens.

Confirmat hoc *Sydenham. de affect. hyster.* ubi asserit, plures, & ex his nonnullos sibi sanguine junctos, tabidos phthisicosque, ex suo consilio multum terrarum equo peragrantes, sanitati restitutos fuisse.

Et *quid* ubique *mutatio aëris valeat*, *experimur ubique*: sanè qui à frigidiore æthere lentum sibi contraxerunt humorum motum, illis calidior æther medela est, & contra.

Purgantia & *Ven. sectionem* quod attinet, cùm *hic locum minimè inveniant*, commendare haud potui, etsi alii vomitoria in Phthisi multum commendent. Nobis hic de exulceratione saltem sermo est, & non de alia à quacunque causa orta spuria Phthisi.

Pleuri-

Pleuritis, sive Pleuro-pneumonia.

Est partium membranosarum pulmonum, sive plurium sive paucarum, in hoc vel illo latere, insignis rosio, & in tumorem aliquando sat notabilem, aut abscessum, sive ulcus degeneratio, à lympha crassa, acri stagnante exorta: Dolorem animæ deferens sat gravem; & circulantibus reliquis humoribus hoc in loco viam coarctando & præcludendo, inflammationem inducens, ac Febrem contrahens; organisq; respiratoriis ita simul in motu suo impeditis, respirationem difficilem, tussimque, cum materiæ purulentæ rejectione, jungens.

Subjectum sive Pars affecta non semper eadem; sic aliquando sola afficitur membrana costas intus succingens: aliquando verò etiam simul pulmones involventes membranosæ hujus vel illius, vel utriusq; lateris partes: & non rarò etiam diaphragma hoc malo corripitur &c.

Pro diverso vero & specificato hoc *loco affecto, diversa* etiam *exsurgunt nomina* apud Practi-

Practicos, v. g. *Quando utriusq; partis Pulmonum accidit resio, erosio aut obstructio & dolor, tum Peripneumonia audit.*

Quando verò altera Pulmonum medietas, unà cum lateris illius interna membrana sive pleura, patitur, tum *vocatur Pleuritis vera.*

Non vero solam esse affectam Pleuram, sed Pulmonem potius simul in latere affecto & dolente compati & erodi, præter *Platerum*, *Hochstetterum* &c. confirmant modernorum Anatomicorum observationes.

Diaphragma verò quando simul fuit correptum, tum, quia ordinariò delirium supervenire solet, *Paraphrenitidem appellarunt veteres.*

Subjectum ergo Pleuropneumoniæ varium varia simul affectibus his imponi facit nomina, & differentias plures constituit.

Ubi & occurrit differentia illa inter Pleuritidem *veram* & *notham*; *veram* paulò ante audivimus plerumque à Practicis vocari, *si una medietas Pulmonum cum pleura illius lateris*, febre acuta simul juncta, patitur.

Notham vero, *quando* supra notata *obstructio plus exteriores*, magisque musculosas *intercostales occupavit*, & absque febre, vel saltem lenta, ac tussi rara, doloreque non punctorio sed pulsante saltem, nullum contactum externum ferens, affligit seorsim.

Atque sub hac Pleuritidis nothæ specie comprehendunt illum scorbuticum dolorem

pleuri-

pleuriticum, à ſpaſmis excitatum, ſed admodum punctorium, ſine tamen febre ac ſiti, aut tuſſi, niſi catarrhus ſimul ſe conjunxerit, affligentem.

Ego cum *Zechio Conſult. Med.* ferè credo, in Pleuritide vera aliquando hanc aut illam pulmonum partem ſolam eſſe affectam, abſque pleura ſive membrana coſtas cingente: quemadmodum poſt ſectionem notatum fuit, non pleuram, ſed pulmones cum ſua membrana laceratos & corroſos fuiſſe.

In notha verò Pulmonibus ſalvis & illæſis, ſaltem circumpoſitas Pectoris internas varias partes affici.

In hac enim tanta ſe haud exſerere poſſunt ſymptomata, ac in illa, quia omnia exactius & arctius ſibi cohærent, neque ab invicem ita divelli, aut materiæ cuidam locum cedere poſſunt.

Sic & ob vaſa minora, circulum non adeo ſufflaminantia, nec Febris etiam excitari poteſt, ut in vera, ubi ob locum extenſioni aptum materiæ copia colligi, & ob vaſa plura & majora ſanguinis circulus admodum ſufflaminari poteſt, &c.

Ut tamen veram à notha diſtinctim cognoſcamus, *Phænomena veræ illius paulo ſpecialius luſtrabimus.* Sub vera vero *Peripneumoniam* ſimul comprehendimus, quia non differunt niſi ratione magis & minus. Peripneumonia

monia enim utrumque Pulmonum occupat locum ſive latus, Pleuritis vero ſaltem hunc aut illum.

Communia vero hic ſolent eſſe *Phænomena*, *reſpiratio difficilis* & frequens; *Febris acuta continua*, tertianæ typum non rarò obſervans, cum inſigni ardore: *Pulſus frequens & celer*, in progreſſu parvus: *Tuſſis frequens*, *moleſta*, *ab initio ſicca*, dehinc rejicitur ſenſim ſanies tenuis, nonnihil ſpumoſa, mox varie tincta: *Poſtea ſputum totum fit cruentum*, ob vaſa plura dilacerata, tandem conſolidatis rurſus ſanguivehis illis vaſis, *lympha* ſeorſim exiſtens & *ſtagnans ſpiſſeſcit*, & *ſub forma ſputi craſſi*, *mucilaginoſi*, *albeſcentis* (quod ſputum coctum vulgo audit,) *rejicitur*.

Caput ſimul inſigniter *dolet*, ob ſanguinem ſimul craſſum, & in ſua circulatione ſufflaminatum, ac moram nectens; hinc & *adſunt agrypniæ*: ſitisque adeſt ob lympham ubique craſſam glandulas ſalivales obſtruentem, vel non ſufficienti copiâ huc deportatam, cum in pectore intercepta ſtagnet.

In ſpecie vero *Peripneumonia*, *graviori excruciat ſpirandi* difficultate, & *orthopnœa*, cum ſuffocationis metu, ob Pulmones univerſaliter affectos, *quam Pleuritis*; utpote quæ cum tanto ſuffocationis metu non affligit, quia una Pulmonum pars ſive lobus adhuc ſalvus eſt.

Dolor etiam qui in Peripneumonia totum Pectus occupat, in Pleuritide saltem hoc aut illud latus angit: item rubedo, quæ in illa totam faciem suffundit, hic malam saltem lateris affecti pingit &c.

Si Diaphragma affectum est, tum dolor circa externa costarum confinia & sternum hoc prodere solet, qui tamen non adeo magnus est, sed molestus saltem inspirando percipitur; tussisque non adeò cum copiosis excretionibus molestat: & respiratio varia est: accedunt vero facilè convulsiones.

Hepar etiam non raro, *si inflammatum existit, Pleuritidi æqualia solet habere symptomata*, nisi quod dolor sit gravativus, & in dextro hypochondrio molestans, cum pulsu undoso, non tamen duro, tussi sicca non adeò frequenti, atque moderata spirandi difficultate &c.

Causa immediata est partium membranosarum in Pulmonibus vel Pectore insignis rosio, extensio, & plurium etiam vasculorum sanguivehorum, vel aliarum partium dilaceratio, obstructio &c.

Causa mediata proximior Lympha est, crassa & acida, aut corrosivis particulis prægnans, suos canaliculos obstruens, tum stagnando erodens & lacerans, ac extravasationi occasionem addens: lympham vero extravasari permittendo circumjacentes partes extendens, & compri-

primens, ac simul partim magis minus dilacerans &c.

Hactenus recentiorum plurimi etiam sanguini immediatè hunc adscripserunt affectum, & hanc causam Proximam esse vel Proximiorem saltem, crediderunt.

Sed cum paulo exactius corporis nostri machina, & ejus structura, destructio atque conservatio innotescere incipiant, *nunc tandem observamus omnes eos hallucinari, qui Sanguinem pro materiali immediata horum affectuum causa ponunt.*

Objiciunt illi Febrem; objiciunt sputum sanguinis: Sed sciant *calorem febrilem* hic *esse accidens*, cum sputu sanguinis; unde & quomodo calor in Febribus generetur, de Febribus pluribus traditum.

Notamus vero ex stagnatione, & intercepto libero motu, in erysipelate, saltem Febrem concitari: quid ni si in viscere notabili, mediante quo potissimum omnis circulatio promovetur, talis accidit impedita, vel sufflaminata circulatio; sic & in Podagra eundem notamus effectum ob vasa sanguiveha tumore compressa &c.

Dum vero in nostro hoc affectu ope stagnantis lymphæ, locus in quo stagnatio accidit, admodum extenditur, & hac extensione plures partes ex suo situ ordinario moventur, & comprimuntur, non potest non fieri, quin simul

venulæ vel arteriolæ minimæ dilacerentur, quæ primo statim actu saniem fundunt: tum vero, quando tumore increscente plures majores rami dilacerantur, sanguis majori copia excernitur, sed quia lympha obstat, hinc liberum locum non adeo nactus sanguis alias extravasationi proximus, intra sua vasa quasi vi retinetur, quæ tum sic sensim fibrillis in cincinnos resilientibus clauduntur, & sputum cruentum cessare faciunt.

Quoniam vero interim materia collecta, partem in qua subsistit admodum extendit, & percurrentia vasa admodum comprimit, hinc circulus eo in loco admodum sufflaminatur, unde sanguis majori vi, & propulsione sanguinem protrudens, calorem præt. nat. sentire facit, ex aucto magis minus motu, quod Febris vocatur: quæ vero viis rursus liberis redditis per se cessat.

Atque ita *inflammatio*, *calor*, *Febris*, *sunt obstruentis*, *stagnantisque lymphæ accidentia*, quæ vel dissipata, & rursus reliquæ lymphæ commixta, ac circulationi suæ rursus donata, vel aliâ methodo, locum, quem antea occupaverat relinquendo, omnia illa accidentia cessare facit sanguinis scil. in suis vasis coarctationem non amplius perficiendo.

Pus itaque quod hic generatur *non est sanguis corruptus*, *sed lympha ab acido coagulata*

ta, & inspissata, quemadmodum de Phthisi pluribus etiam indigitatum reperies.

Atque hinc notamus magis *affectus hos immediatè vitio lymphæ*, quam mediatis sanguinis pravis qualibus, debere suam originem: & confirmare videtur occasionalis causa, *aer*, qui inspirando haustus plus lymphæ inspissandæ, quàm sanguinis circulo sufflaminando insistit, uti notant Catarrhi, quos ab aura frigidiore ex lympha coagulata oriri observamus, sanguinis circulo per se libero exeunte, etsi nonnihil sufflaminato postmodum.

Causis ergo his *aliæ Remotiores* occasionem sat gravem addunt, & ex eis quidem *Nonnaturales res* potissimum sibi vindicant locum: ubi primo loco *Aer* adstat; qui peregrino acido turgidus, *post corporis incalescentiam incuriè admissus*, *ferè frequentior existit Pleuritidis*, Peripneumoniæ &c. *occasio*, uti docent hoc Pleuritides epidemico caractere contractæ.

Dum enim aer talis attractus inspirando, non solum per pulmones circulantibus humoribus spicula sua infigit, sed & in ambitu corporis poros occludendo & coarctando, transpirationes retinet; non potest non augeri circulans massa, crassa & copiosa lympha, quæ vasis suis copiose adducta, & fortiter propulsa, levi negotio, quia subtilia ea admodum sunt, & angusta, obstruit, & insequente sem-

per à tergo, à ſanguine propulſa, vaſa extendit & lacerat.

Si fortè quis objiceret, ſanguinem Venæ Sectione in Pleuritide emiſſum, exactè ob oculos ponere adjunctam materiam purulentam, (ſolet enim poſt refrigerationem cutem puri non multum abſimilem ferè referre:) *ſciant chylum eſſe nondum aſſimilatum, & non pus;* quia ob pororum obſtructionem plurimæ partes aliàs exhalaturæ remanſerunt, & mixturam ſanguinis nimis craſſam reddiderunt, acido ſimul ab aëre ubique inducto ſymbolum conferente, & magis adhuc inſpiſſante.

Atque hoc notamus, ferè ubique *Pleuritidem præceſſiſſe vel diætam plenam, occurrente* vel *ſimul potu frigido*, ſtatim materiam ſuppeditantem: *vel tranſpiratione ſenſim impedita* pabulum relinquentem, & vaſis lymphaticis convehentem.

Ex cibo ergo & potu ea hic pondus habent, quæ copioſum vel craſſum chylum, coagulationi leviter obnoxium ſuppeditant.

Quomodo reliquæ Nonnaturales res ſymbolum conferant, reperies de Dolore Capitis &c.

Ex Præter-Naturalibus rebus primas tenet decantata illa, alias tam neceſſaria *Pororum* in corporis habitu *occluſio*, qua tot, alias libere exhalaturæ ſeroſitates retinentur: & quorſum ferè omnis curatio tendit, ut primo

pori

pori reſerentur, & exhalaturis viæ aperiantur.

Tum & huc ſpectant ſanguinis conſuetæ evacuationes ſuppreſſæ: præterquam enim quod ferè ſemper talis ſuppreſſio, à craſſitie ex acido contracta dependeat, etiam ſic nimium augetur maſſa circulans, & vaſa nimium diſtenduntur, præprimis lymphatica.

Caſum habet *Timæus*, ubi propter caſum in fluvium, menſium ſuppreſſionem & hinc Pleuritidem obortam fuiſſe credit.

Sed ego potius pororum univerſali occluſioni effectum hunc adſcripſerim, interim ſe occaſionaliter jungente ſanguinis ſuppreſſione: Non enim omnes, ſed paucæ, quibus menſes ſubſiſtunt (ex accidente cauſa alia:) aliquando Pleuritidem incurrunt, atque ſic menſium ſuppreſſio non minus eſt ſanguinis craſſitie peccantis effectus, quam Pleuritis, & non magis huc facit circulantium humorum craſſities qua gaudent menſium ſuppreſſione laborantes, quam qua gaudent alii hac immunes.

Prognoſin quod attinet, notum eſt, eam ſatis dubiam exiſtere, non raro enim hoc morbo afflicti cum bonis ſignis intereunt, ubi è contra alii cum malis, qui nunc morti propiores videbantur, rurſus convaleſcunt.

Haud boni ominis ſigna tamen ſunt, *ſi dolore perſtante, nec in principio neque augmento,*

to, stagnans & coagulata vel corrupta lympha sputu & tussi rejicitur, tussisque sicca existit: *In sputo enim facili, in hoc affectu potissima ægri sita est salus.*

Quod si verò illud vel flavum vel nigrum existat, non minori periculo æger jacet expositus: notat enim acidi summam corrumpentis potentiam.

Medio modo se habet sanguis purus rejectus, modo non excedat.

Pulsus si parvus est, & creber atque serratus, nunquam periculo caret.

Alvi profluvium superveniens, *Hippocrates* malum esse pronunciat.

Contra alii notarunt, Diarrhœam non rarò hic salutem promittere, quando materia resorbetur à vasis lymphaticis, & ad sanguinem defertur rursus. Sicut notarunt *Amatus Lusitanus, Zacutus, Valeriola, &c.*

In genere magis periculosum est hoc malum, quando corpus corripit Cachecticum, aut proximè ab alio morbo jam modo ereptum, adhuc debile, quam si sanum alias & robustum prehendit.

Pessimè etiam illi degunt, qui ob poros non adeo apertos, haud adeò libera gaudent transpiratione, & difficúlter sudant.

Recidivam etiam aliquoties passi, tandem succumbunt.

In summa item versatur angustia æger, quan-

quando cum anxietate exteriora frigent, interiora verò uruntur.

Suum verò tempus ordinariè percurrit intra dies 7. 11. vel 14. Quod si diutius protrahatur, in empyema fit mutatio: & si hoc intra 40. dies haud cedit, in phthisin fit transitus.

Solet vero vel *citius vel tardius terminari, pro sputi citiori vel tardiori apparentia.* Sic si statim ab initio, intra tertium diem appareat & rejici incipiat, tum brevi cursum absolvit morbus.

Vel si quarto saltem die incipiat, & ter vel quater tussiendo sputum album, leve, æquale rejiciatur, tum septimo die terminatur.

Si vero septimo demum die primo appareat, concurrentibus signis aliis bonis, tum ultra 14. dies vix extenditur.

Vomitus etiam copiosus & biliosus, *in pleuritidis principio, salutem prænunciat.*

Urinæ si sunt malæ, *cum sedimento copioso, sputis* tamen *bonis*, rem salvam esse notant.

Sputorum vero in specie hic magis quam urinæ ratio habenda. Et si enim urinæ admodum appareant bonæ, & sputum existat malum, res non caret periculo.

Peripneumonia idem experitur fatum ac Pleuritis ferè, nisi quod in genere longè periculosior existat Peripneumonia, quàm Pleuritis, & nisi admodum robusti sint ægri, vix interitum declinant; præcipuè ubi sputum, aut aliæ per

urinam vel alvum excretiones criticæ, non admodum optimè procedunt.

Curationem quod concernit, ejus intentio omnino eo collimet, ut ſtagnanti lymphæ viæ reddantur liberæ, ut vel circulum ſuum & curſum liberè abſolvere, vel alio modo partem cui inhæret deſerere queat.

Fit verò hoc potiſſimum reſolventibus, & craſſitiem circulantium humorum in genere corrigentibus, & poros reſerantibus.

Sed quoniam hæc circulantium humorum craſſities tempus quoddam requirit pro ſua attenuatione, & tam citò haud fieri poteſt pororum reſeratio, ac mediante ſudore inſtituenda humorum imminutio, hinc *urgens ſtagnatio* primis ſtatim horis, *V. Sectione demulcenda erit.*

Etſi verò hæc craſſitiem dictam haud corrigit, tamen quantitatem à poris obſtructis dependentem, cito demit, ut tum relicti eo citius medelam & correctionem ſuſcipiant.

Atque hæc eſt V. Sectionis intentio, quam veteres pro ſtagnantis ſanguinis (quem cauſam ſuſtinere credebant:) revulſione, adeo commendabant, & in affectibus his abſolutè neceſſariam ſtatuebant.

Sed cum circulatio ſanguinis nos aliter credere docuerit, revulſionem hic explodimus ceu inane commentum, & hic *ſaltem V. Sectionem* omnino *utilem* & neceſſariam *dicimus, ut exhalationes retentæ & circulantem maſſam*

præ-

præter nat. augentes & incrassantes, citò partim auferantur, quæ alias majori molestia & longiori tempore, ac non nisi poris reseratis, expelli potuissent.

Tum & hoc inde resultat commodum, ut reserantia, quæ simul sudorifera sunt, massam eo melius, vasis nonnihil inanitis, extendere absque fortiori pressione queant, & quæ compacta atque fortius sibi unita sunt, levius ab invicem, dato spatio, cedant, & dissolvi possint.

Sed ubi Pleuritis à causa dependet maligna, & circulantes humores nulla quantitate peccantes, incrassati fuerunt, tum V. Sectionem exitiosam esse plures notarunt Practici.

Probè ergò notandum, à qua causa dependeat, an maligna coagulante, an sensim poris obstructis circulantem massam superfluitatibus cumulante & incrassante.

Præmissa verò V. Sectione, si concessum, quam *Willis* pro subjecti constitutione, *quò citius eo melius aliquoties liberrimè instituere præcipit*, primis quidem tribus diebus; tum accessus fiat ad ea quæ resolvendi, aperiendi, & circulantibus humoribus liberum suum motum restituendi vim habent.

Hæc verò sint ab initio sudorifera magis volatilia cum Opio maritata. v.g.

℞. ▽. *Fl. papav. errat.*
Sambuci.
Card. Bened. aa. ℥j.

Tinct.

Tinct. bezoard. absque acido gutt. 50.
anodyn. gutt. x.
Off. luciipiscis pulveris. ℈j.
Syr. papav. errat. ʒij. mſ. pro doſi aliquoties reiteranda.

Willis admodum commendat hoc, v. g.

℞. *Stercoris equini rec.* ℥iiij.
▽. *card. bened.* ℔. iß.

Fiat infuſio in loco calido, vaſe clauſo per horas 2. Poſtea colaturæ adde

Spir. ✱*ci* ʒj.
Syr. taraxaci ℥ij. mſ.

Dentur ejus ter aut quater de die, 6. cochlearia pro doſi. *Cl. Ettmüller. de Præcipitant. uſu* commendat hoc, v. g.

℞. ▽. *papav. rhead.* ℥iij.
Spir. theriacal. camph. ʒiij.
Mandib. lucii pulveriſ. ʒj.
⊖ *volat. cujusvis* gr. xv.
Laud. ☿ *ſat.* gr. iij.
Syr. papav. errat. ℥j. mſ.

Hæc & ſimilia conducunt, quando malignitas ſubeſſe hariolatur, ſive quando acidum coagulans magis forte & acre ſuſpicatur.

Interea tamen etiam in benigna haud nocebunt, quin imò citò malum auferent; quod enim forti dicatum extat, multo magis debilius expugnabit.

Sin-

Singularem namque hic eſſe encheireſin *Cl. Ettmüller. Comm. Lud. p.* 93. ait, affectibus hiſce mox in principio mederi per ſalia volatilia, & opiata, æſtu etſi maximo nil obſtante.

Quo fortior enim circulantis ſanguinis ſufflaminatio & impedita in pulmonibus libera circulatio, eo major æſtus, majora requirit reſerantia.

Ubi vero cauſa non adeo eſt urgens, & Pleuritis magis benigna, tum & alia minus volatilia ſpecifica, volatile tamen in ſinu ſal continentia conducent: atque tum hoc ſaltem ſeligit *Ludovici in pharmacia.* v. g.

℞. *Oſſ. capit. lucii piſcis* ʒij.
Sanguinis hirci ritè præparat.
Fl. 🜍*is* aa. ʒj. mſ. Doſis ʒß. ad ℈ij.

Cui in principio vel ⊖ *volat. lucii piſcis,* C. C. *aut urin. &c. cum grano uno aut altero opii* miſceri poteſt.

His vel ſimilibus bis vel ter de die propinatis, & majorem partem coagulatis humoribus reſolutis, & per ſudorem partim rurſus expulſis extraordinariè retentis, tum ſimul talia propinentur & intermedientur, quæ Pectori nunc infixam, & haud amplius reducibilem lympham incraſſatam expectorando removent: ſed opiata tum paulo remiſſius exhiberi debere, *Cl. Ettmüller* vult; quæ tamen *Cl. Wedelius* etiam in declinatione haud omittit, quando hoc commendat:

v. g.

v.g. ℞. *Dent. apri philos. præparat.*
Lapid. cancr.
Mandib. lucii piscis
♉. diaphor.
Cinnab. nativ. aa. ℈j.
Laud. opiat. gr. ij. mſ. pro aliquot doſibus.

Non dici poteſt quam promptè morbus hic auſcultet Medico, inquit, præprimis in declinatione morbi, expectoratio hinc melior ſuccedit, vires confortantur, & ipſe morbus longè felicius ad finem decurrit.

Interim tamen & expectorantia alia omitti haud poſſunt: atque ubi nunc ſputum copioſum incipit, tum *Decoctum hyſſopi cum melle roſar.* excretionem optimè promovet.

Ubi alii pro hoc ſcopo admodum commendant *oleum lini*, vel *amygd. d.* recenter expreſſa.

Sic ℞. *Olei amygd. d.* ℥iij.
Syr. violarum ℥ß mſ.

& propina crebrius, hoc optimè emollit, dolorem lenit, expectorat & alvum laxat.

In defectu hujus olei, pauperes *oleum lini* recipiant cum ſaccharo.

Spectat huc illud, quod olim pro experimento communicatum accepi, ex *Olei oliv. cochlear.* j. *nucleis meſpilor. pulv.* n. 9. cum ▽. *card. benedict. Mariæ* aa. ℥iij. remixtum.

Loco

Loco cujus *Oleum lini* ad ℥iij. cum *pulveris. oss. lucii piscis* ʒj. propinatum non contemnendum exhibet euporiston, etiam in initio.

Si pituita admodum tenax existit,

℞. *Syr. de hyssopo.*
Oxymell. squillit. aa. ℥ß. mſ. detur pro linctu.

Sed si jam sputum optimè procedit, tum loco oxymellis adde *Balsamum* 🜍 *anisatum.*

Plura similia expectorantia habet titulus de Asthmate,

Saccharata tamen quantum possibile vitentur, & eorum loco *liquiritia & passulæ in Decocto* frequenter propinentur.

In fine tandem morbi lene purgans, non rarò reliquias removet.

A Principio vero omnino vitentur, *melius enim hic est primis diebus alvum habere obstructam, quam laxam.*

Cum enim omnis curationis intentio debeat esse, ut pori reserentur, & superfluitates sensim poris obstructis cumulatæ, rursus per ambitum corporis expellantur: hinc interturbato hoc negotio, exitium maturatur.

Solis ergo supra commendatis diaphoreticis hic agendum; ubi tamen *nitrata &* 🜍*rata Cl. Wedelii* suasu, omittantur, gravius enim hæc ægros affecisse notavit in sua Opiologia.

Præ-

Præter interna vero hæc, etiam externa Pectori, pro majori stagnantis purulentæ materiæ rejectione, applicentur, ubi hoc est instar omnium.

℞. *Ceparum sub cinerib. assat.* n. xij.
Olei fl. verbasci
chamomill. aa. ℥ij.
Croci ʒß.
Saponis ℥ß. misce, & calidè applica.

Vel ℞. *Ung. dialth.*
Pingued. mur. montan. aa. ℥j.
Ol. amygd. d. ℥ß.
Camphor. ℈j. mſ. inunge singulis horis.

Vel *Empl. de meliloto* superimpone.

Circa *Diætam* notandum, eam tenuem omnino esse debere, cum enim superflua plura adhuc circulantibus humoribus immixta detineantur, hinc præter juscula avenacea, hordeaceaque nullus concedatur alius cibus ab initio: cum aliis Febribus ardentibus namque eadem hic est Diætæ ratio.

Potus sit Decoctum hordei, cui ab initio pro majori stagnantis lymphæ dissolutione & reductione *C. C. Fl. papav. errat.* & ad mensuram unam *Decocti stercoris equi* ℥ij. infusæ fuerint.

Postea vero ubi ad expectorationem deveniendum, fiat pro potu ordinario Decoctum

ex

ex flor. chamomill. farfaræ, herb. hyssop. veronic. ficubus, passulis, hordeo, liquiritia &c.

Sed probè notetur, ut *Cl. Ettmülleri* suasu calidus potus omnis bibatur: nil nocentius enim in his affectibus esse ait, & quod malum magis exasperare soleat, quam potus frigidus.

Vinum interea *omninò vitetur, ab initio* præcipuè.

In vigiliis urgentibus *emulsiones papaveraceæ* non erunt absque effectu.

Rabies.

Est singularis abalienatio mentis & furor, à canis, felis, vel lupi rabidi saliva, instrumentis & organis mentis tam, quam in genere circulantibus omnibus humoribus singulariter infesta & venenata, morsu communicatâ, inductus, post se trahens liquidorum, & potissimum aquæ aversationem.

Subjectum sive Pars affecta Immediata, anima est, cum suis proximioribus instrumentis, fluido nerveo, & tum circulantibus humoribus aliis.

Signa post animalis morsum rabiem denunciantia sunt, ultra consuetudinem, & extra

tempus bibendi desiderium, iracundia, mœstitia, taciturnitas, capitis vertigo, cibi aversatio, singultus; Post hæc membrorum convulsio, oculorum torvitas, spuma circa os, & aquæ omnimoda aversatio.

Incipit vero delirium in his citius vigesimo scil. die, in aliis tardius, post tot menses.

Causa Immediata fluidi nervei singularis est depravatio, menti furorem inducens; & eam singulari modo afficiens.

Mediata Proximior Saliva canis, felis, vel lupi rabidi existit, spiritus vel fluidum nerveum tali modo afficiens, ut objecta animæ legitimè deferre, ineptus fiat: circulantes vero humores ita corrumpat, & coaguler, aut à debita sua textura invertat, & circulari ineptam reddat, ut nisi subito efficacissimè succurratur, horrendis cum phænomenis patientem interire faciat.

Prognosis omnino dubiæ est aleæ, quippe latens aliquando venenum, post tot menses demum suum producit horrendum effectum: *quo plus sanguinis è vulnere effluxit, eo minus metuenda rabies.*

Curatio ex casibus sequentibus elucescet: Sic *Fabricius Hildanus* hac methodo se plures curasse asserit: Adolescens, refert, prope cubitum dextrum à cane rabido vulnus accepit; huic primo *morsum scalpello scarificavi, cucurbitu-*

bitulamque cum multa flamma apposui, & quantum fieri potuit sanguinem extraxi.

Deinde *totum brachium ablui posca*, in qua dissoluta erat *theriaca* & parum *salis marini*. Saliva enim canis rabidi in parte quadam cutis exsiccata, nisi maturè & diligenter abstersa fuerit, rabiem excitare potens est. Postea *cauterio actuali morsum undique ac profunde inussi*.

Hic monitos velim Chirurgos, ut diligenter prospiciant, ne nimis leviter & superficialiter inurant hujusmodi morsus, sed ut potius in excessu quam defectu peccent.

Audacter itaque & satis profunde, si pars affecta consentit, *imprimendum est cauterium*, quo virus eo melius consumatur, & ulcus etiam diutius apertum servari queat, quo particula veneni extrahi successu temporis queat. Expertus loquor, inquit, *Cent.* 1. *Obs.* 88. Puella annorum 14. à rabido cane vulnuscula quinque in tibia accepit, parentes vetulæ curandam committunt: illa vulnera candente ferro inussit, postea nescio quo unguento 15. dierum spatio curationem absolvit: sed quia non satis profundè immissum fuerat cauterium, & maturè nimis obductæ cicatrices, post tres menses hydrophobia correpta, paulo post è vita discessit.

Post inustionem vero ad escharam promovendam non utor unctuosis, butyro, oleo &

similibus, quæ exhalationem veneni impediunt, minus refrigerantibus & repellentibus, quæ venenum repellunt.

Et quia omnis dolor ad se attrahit sanguinem & humores, ideo prodest dolor hujusmodi ulceribus, dummodo levis fuerit.

Itaque post inustionem vulneri imposui gossipium madefactum *aquâ vitæ, in qua dissoluta erat theriaca*, (ego reciperem Elixir meum polychrestum.)

Postea sequens Emplastrum supra linteum extensum applicui, v. g.

℞. *Cæpar. sub cineribus coct.*
Fermenti
Farin. sinapi aa. ℥j.
Theriacæ ℥ß.
Fol. scord.
rutæ aa. m. ß.

misceantur in mortario, addendo parum mellis, & pro usu indicto serventur, & applicentur.

Sequenti die *scalpello escharam undique*, quantum fieri potuit, *incidi*, deinde jam memorata medicamenta applicui, atque sic ad casum escharæ usque processi.

Postea ne labia ulceris coalescerent, bis in die pisum imposui, quemadmodum fit in fonticulis, & præscriptum Emplastrum applicui, atque hoc modo *ulcus ad menses tres apertum retinui*.

Interim tamen per intervalla singulis scil. hebdo-

hebdomadibus bis terve ulceri ſequentem pulverem inſperſi, v. g.

℞. ☿. *præcipitati.*
Lapid. Bezoar.
Rad. angelic. pulveriſ. aa. ℈j. mſ.

Hoc mirificè malignitatem ad ſe ex profundo attrahit, & veneno reſiſtit.

Per os exhibui ſæpius alexipharmaca, *theriacam, mithridatium, C. C. uſtum, Lapid. Bezoar. &c.*

Venam non incidi, neque pharmacum ſolutivum exhibui, ne venenum ab externis ad interiora traherem.

Et hoc modo multos curavi. *Hæc Hildanus.*

Bezoardicis internè optimè maritari poſſunt ⊖ *volat. viperarum, fuliginis, Bezoard. minerale, Tinct. bezoard. oculi cancr. &c.*

Loco cauterii actualis, venenato morſui *alii applicare jubent veſicatorium.*

Cognoſcitur verò canis rabioſus hiſce ſignis, videlicet: currunt huc illuc nullo ordine, cauda demiſſa, ſpumam ex ore fundentes, lingua exſerta & quaſi bile crocea infecta, anhelantes magnam ſitim produnt, ſed cibum & potum averſantur, ac absque omni data cauſa tacitè homines adoriuntur.

Alias conſuetum eſt plurimis, hominem commorſum aquæ injicere, ſed ſubitò hoc fieri oportet, antequam aquæ metus eum corripit.

Hoc auxilium tanti in hoc morbo fit nostratibus, ut eo solo fermè contenti vix expetant aliud; refert *Tulpius*: neque sanè injuria inquit; sanat quippe Mare quoscunque, neque vidi hactenus quenquam, licet viderim plurimos, cui tempestivè in Mare projecto, quicquam sinistri postmodum evenerit: ubi è contrario, remedio hoc vel flocci habito, vel tardè ac timidè adhibito, multi incuriæ pœnas dedere.

In internorum medicaminum alexipharmacorum usu, per integrum anni quadrantem inhærendum esse monet *Cl. Ettmüller.* Poterit vero fieri talis formula, v. g.

℞. ▽ *flor. hyperici*
rutæ aa. ℥ij.
Tinct. bezoard. ʒß.
Ocul. cancr.
Mandib. lucii piscis aa. ℈j.
⊖ *vol. viperar.* gr. vj. mſ. pro dosi sæpius reiteranda.

Postquam sæpiùs per sudores, tota circulans massa alterationem subiit, tum per tempus in specificorum aliorum usu persistatur, v. g.

℞. *Radic. gentian.*
contrajerv. aa. ʒß.
Fol. rutæ
salviæ
arthemis.
beton.
cent. min.

Flor. hyperici aa. pulveris. ʒj.
Oculor. cancr.
Mandib. luciipisc. aa. ʒvj.
Camphor. ℈j. mſ. fiat Pulvis. Dosis ʒj.

Scabies.

Est puſtularum in toto corpore aliquando ſparſim facta eruptio: à particulis ſalinis craſſis magis, minus acribus, à lympha vel ſero per poros cutis inſenſibili tranſpiratione aliàs, mediantibus circulantibus humoribus rejiciendo, externo quodam contagio, vel in cute præcipitatis, vel cum jam circulante ſero haud ritè cohærentibus, propterea que in poris cutis faciliime hærentibus, eosque erodentibus, ac pruritum, ſcalpendique deſiderium inducentibus, exorta.

Subjectum ſive Pars affecta cutis eſt, ex vaſorum nervorumque fibris, innumeriſque porulis ac glandulis, variè inter ſe complicatis, contexta.

Singulis porulis suas subjacere glandulas, sudori vel exhalationibus eliminandis, papillisque nerveis in cuticulam extensis, ne arefiant, madefaciendis in transitu, dicatas, *Steno* observavit.

Cutis verò ex *Cl. Malpighii observatione*: per microscopium instituta, primo intuitu offert reticulare corpus, cujus innumeris foraminulis continentur non solum ductus sudoriferi, sed & plurimæ papillæ pyramidales, per ordines parallelos è cute erumpentes, & in cuticulam, ubi in plures velut fibras dividuntur, protensæ, sensorium tactus constituunt.

Affectus hic cum per se oculos incurrat, etiam *absque aliis signis facilè cognoscitur.* Interim tamen *prodromus esse solet pruritus, & scalpendi desiderium*, ac in scalpendo delectatio, post confricationem verò dolor, cutisque corrugatio: dehinc cutis exasperatur, & postulæ exoriuntur modò sicciores, modò humidiores, quibus ruptis, ac ichore evacuato, in crustulam fit transitus, quæ scabendo furfuracea exhibent corpuscula.

Differt verò pro particularum majori minori crassitie, & combinatarum aliarum particularum dispositione.

Sic *si serum simul plus alibiles nutritias secum rapit, cum salinis, particulas*, tum pustulæ exoriuntur plus latæ, copiosam saniem fundentes.

Si

Si vero magis acres & tenues volatiles particulæ, constitutiva scabiei suppeditant, tum pustulæ sunt magis acutæ, ac sicciores, & dolorificæ.

Sed *si ab humoribus plus acido coagulatis & crassis* dependent, tum plus minus sicca exoritur scabies, cutem asperam & rugosam efficiens: & quo plus corrosivum existit acidum illud coagulans, eò pejor est scabies inde enata, gradu saltem à lepra distans.

Quomodo vero in statu adhuc benigno à Lepra differat, vide titulo de Lepra.

Ex constitutivis modo traditis ergo, variè inter se combinatis, variæ etiam dantur scabiei species, mox *sicca*, mox *humida*, mox *maligna*, mox *benigna*, jam *universalis*, jam *particularis*, jam *pertinax*, jam *cito evanescens*, in hoc autumno, in alio magis vere, hyeme, æstate afficiens, in hoc symptomatica, in alio critica &c. pro causarum diversitate varia.

Causa nunc *Immediata* est pororum & glandularum cutis inversio, obstructio & exulceratio.

Mediata Proximior hunc inducens effectum proximè & primario serum est vel lympha, particulis variis salinis, terreis, crassis, acidis, acribus &c. constans; & vel in cute demum, præcipitatis, ab externo contagio, vel in vasis à sero, cum reliquis adhuc combinato & circu-

lante, ſeparatis, & cum eo ceu apto vehiculo ad ambitum corporis deportatis, ac ob diſproportionem cum poris cutis & glandularum ejus, relictis, & inibi hærentibus.

Præivêre jam dictis *Remotiores aliæ*, ex triplici rerum ſerie: & ex *Naturalibus* quidem non omninò rejicienda venit *hæreditaria diſpoſitio*; ſequitur enim corpus ſemper ſuæ materiæ diſpoſitionem, quæ ſi univerſaliter circulantem maſſam depravatam, & ad ſcabiem diſpoſitis conſtitutivis conſtantem, Subjectum agnovit, facilè inde emergens productum, ſimilibus phænomenis excitandis, natales retinet diſpoſitiones & inclinationes.

Spectat huc *ætas juvenilis*, quæ quia in victu plures committit errores, & voracitati dedita eſſe ſolet, plurimis ſuperfluitatibus heterogeneis circulantem maſſam cumulare poteſt.

Nec excluditur *Senilis ætas*, cum enim ob digeſtionis inſtrumenta plerumque acido adulterata, chylus craſſus, crudus, acido turgidus, eorum circulantem maſſam potiſſimum conſtituit, hinc exhalationes tanquam pars, proportionaliter haud meliores eſſe poſſunt ſuo toto. Atque in hac ætate ſimul concauſam ſuſtinent pori ob fibras rigidas ferè factas, partim collabentes, & arctiores redditi vel occluſi.

Ex Nonnaturalibus Rebus Aër maximum addit pondus, præcipuè frigidus, non inſpiratione ſolum

ſolum attractus, ſed & externè cutis poros coarctando, tranſpirationes retundens: vel & ſeri contentas, & leviter cohærentes particulas à cohæſione omninò disjiciens & diſſolvens.

Nec non calidus, diutius in corpore retentis, & in porulis cutis ſtagnantibus, nunc liberam & patulam viam vindicans.

Experiuntur hoc illi qui per tempus frigido aeri inhabitãtes, & plurimas ſubcutaneas excretiones ſufflaminatas experti, in eas nunc proficiſcuntur Regiones, ubi aer plus ſubtili æthere turgidus ſive calidus viget: & contra.

Et hinc eſt quod autumno & vere hujus mali proventus frequentior exiſtat, quam alio tempore.

Exhalationes namque æſtate liberiori exitu gaudentes, autumnali tempore æthere magis craſſo exiſtente & frigido, repercuſſæ quaſi & retentæ, hæc producunt phænomena; non ſecus ac hyeme retentæ, ac longiore mora craſſiores factæ, vere poros rurſus patulos & apertiores reddente, tum feraciſſimè propullulant.

Pabulum verò ubique *ſuppeditant alimenta*, tam quanto quàm qualibus depravata, in uſum continuum ducta. Sic *ex voracitate pueris & infantibus Scabies familiaris eſſe ſolet*, quia ſubinde cibos alios aſſumunt, prioribus nondum concoctis aut diſſolutis. Magis adulti verò ſibi hoc malum ſæpius contrahunt, ex alimentis craſſioris & acrioris ſucci, *ex legumini-*

bus,

bus, fructibus &c. constantibus: quibus accedit *aquæ impurioris potus &c.* In genere *victus*, *aeris*, *& aquæ mutatio* ad malum hoc inducendum hic multum valet, id quod experiuntur illi, qui corpus variis talibus mutationibus nondum induratum fuere, nacti, & patrium, sive ab incunabulis consuetum ætherem, cibum, potum &c. mutare cum inconsuetis his solent.

Ex reliquis rebus nonnaturalibus, multum & non contemnendi ponderis addit *nimia Quies*, quemadmodum & hoc patet in illis qui vitam sedentariam agere coguntur, *ut Sartores*; cum enim hi nullo fortiori motu inter sedendum suos circulantes exagitent humores, neque hoc modo plurium dissipationi & pororum dilatationi ansam ministrent, hinc lentè omnia circulantur, & ob motus defectum in se subsidunt quasi & crassescunt, unde circulatio languida nec poros extendit, nec plures particulas amandat, nisi eas quantitas, veluti cuneus cuneum trudere necessitetur.

Et tum per accidens Excreta etiam & retenta sensibilem addunt noxam. Sive enim circulatio languida exhalationes debilius removeat, sive eis ab extra viæ occludantur, ut supra; idem malum propullulat: atque ita diversæ unius rei possunt esse causæ.

Ex Præternaturalibus rebus huc spectat scorbutica, salina &c. circulantium humorum dispo-

posi-

positio: item post alios morbos non raro criticè ad ambitum corporis delatæ, & transpirationi commissæ heterogeneæ, circulantibus humoribus commixtæ, vel in viscere quodam, diutius hærentes, & morbum foventes, particulæ.

Atqe huic censui etiam adnumeramus *contagium*, quod *omnium magis frequens solet esse scabiei occasionalis causa.* Quando enim scabiosus cum non scabioso concumbit, & exhalationes scabiosi ingrediuntur poros non scabiosi, tum istæ exhalationum particulæ fermenti instar, sani hominis exhalationi proximas particulas ita invertere valent, ut poris suis liberè transeundis inepti etiam fiant, ac sic scabiem inducant. *Magis tamen contagiosa* hoc modo existit *scabies humida*, *quàm sicca*, quia plures sic exhalant particulæ, quàm in sicca.

Prognosis etsi nobis sistat affectum plus molestum, quàm periculosum, tamen sinistrè si tractatur, & origine neglecta, producti saltem ratio habetur, vel *repellentibus intempestivè retinetur*, tum varia inde mala pejora, *epilepsia* videlicet, *palpitatio cordis*, *diarrhœa &c.* propullulare solent.

Senes hoc malo correpti, raro pristinam recuperant valetudinem, quinimo *ad mortem sæpe comitem habere solent scabiem siccam.*

Sic & ab hoc malo admodum periclitari solent

lent pueri & cachectici, quoniam, etsi externo contagio malum haustum experiantur, ejus copia sic etiam circulantibus humoribus communicari facillimè queat, non nisi longo tempore rursus expugnabilis.

Scabies etiam quo asperior est, & quò magis prurit, ac plures partes occupat, somnumque magis impedit, eò difficilioris curationis existit.

Et non rarò negligenter habita, in ipsam degenerat elephantiasin, aut incurabilem Lepram.

Interim hoc superest solatium miseris, ut non raro à peste, epilepsia, variolis, ac morbillis &c. immunes degant: & circulantis naturæ robur adhuc salvum habeant, utpote ab impuritatibus plurimis se ipsum liberando, talia phænomena inducens.

Curationis principalior intentio sit concretiones ichorosas, seroso-salinas &c. ex cutis poris excutere, & hos pristrinæ suæ libertati restituere.

Fit vero hoc pro causarum diversitate, videlicet vel concretionum dictarum proventum, à circulantibus humoribus suppeditatum, corrigendo & expellendo, vel contagium externè haustum, & cuti impactum destruendo &c.

Illud, si causa ex prima dependet depravata digestione, *præstatur Catharticis*, sub diversa forma exhibitis: ex omnibus sufficit *mercurius dulcis*

dulcis cum diagridio saltem remixtus, & à *Riverio* tantopere commendatus. Adolescens, refert *Obs.* 62. *Cent.* 1. fœda scabie torquebatur, cum furunculis frequenter emergentibus, à quibus affectibus liberari non potuit, Venæ sectione, & purgationibus multis intra sex menses usurpatis: Tandem ei exhibetur *mercurii dulcis* ℈j. *cum diagrid.* ℈ß. quibus optimè purgatus, intra paucos dies convaluit.

Ubi vero ex appetitu laudabili, nullum in digestione vitium suspicatur, atque sic Universalia (*quæ stultè quorundam obsidere animos Ammannus in Parænesi ait:*) haud necessaria videntur ut præcedant: Alterantibus & Diaphoreticis saltem humorum instituatur alteratio, & heterogenearum particularum ex circulantium humorum poris eliminatio.

Inter quæ ♁ *diaphoreticum, bezoardicum minerale,* C.C. *philos. calcin.* & similia absorbendi & dulcificandi, ac alterandi vi prædita, aliquando cum volatilioribus maritata optimè conveniunt. v. g. ℞. ♁. *diaphoret.* gr. xv.

C.C. *sine* △*e.* ℈j.

⊖ *vol.* C.C. gr. vj.

▽. *fumar.* ℥iij. mf. pro Dosi.

sæpius reiteranda.

Et si serum magis adhuc viscidum causam sustinet, crebro in usu sit ☿ *dulcis*, in contumaci præcipuè scabie. Cùm n. ex commendatione *Rhod. Cent.* 3. *divinum medicamen audiat in Lue Venerea*, *mul-*

multo magis, in hoc malo ceu debiliori longè, optatum præstabit effectum, alternis vel ternis diebus ad gr. xij. exhibitum, per aliquot septimanas.

Sed si constitutiva circulantium humorum tam, quam & scabiei, magis volatilia scabiem induxerunt, tum *Serum lactis caprin. cum fumaria &c.* euporiston præbet non contemnendum. Plura dabit titulus de Scorbuto, Lepra &c.

Quoniam verò ut plurimum scabies contagii solet esse soboles, circulantibus humoribus satis salvis, hinc non opus internis his multum temporis impendere, sed sola plerumque Topica, omne virulentum contagium pellis castrare, eoque cutis poros brevi via liberare sufficientia erunt.

Ubi quidem ex tot vel innumeris solùm unguentum vel *cingulum mecuriale sat potens existit*, modo superfluitatibus serosis non abundet massa circulans, nec cacochymica extet: sed vel per se pura, vel crebro medicaminum convenientium usu depurata existat: atque tum nulla salivatio, nec ulla peccantium humorum turbatio inde metuenda erit.

Sic *Petræus in Nosolog. Harm.* asserit, unguenta mercurialia in contumaci scabie, tuto ac utiliter exhiberi posse, si universalia præmittuntur, & inutilis ac nocivus latex prius è corpore exterminatus sit.

Con-

Confirmat hoc *Fr. Hoffmann. Clav. Schræd. p.* 263. & metum, quem conceperunt alii de mercurii usu, de nihilo esse ait, modò universalia præmittantur, & tum mercuriale unguentum ritè præparetur, &, ubi licitum, in usum vocetur.

Hæ cautelæ si ritè observatæ fuerint, facilè sinister eventus, quem alii ab inunctione mercuriali annotârunt, evitabitur, atque nulla salivatio, nulla diarrhoœa, lipothymiæ, convulsiones &c. suscitabuntur.

Fit verò unguentum tale hoc modo: v. g.

℞. *☿ii vivi* ʒij.
Unguenti albi comm. ʒvj.
Olei laur. ʒj. mf.

Vel ℞. *☿ii vivi* ʒij.
Unguenti rosati ʒvj.
Olei laurini ʒj.
Cerussæ ʒij.
Olei ♀i per deliq. ℈ß. mf.

De hoc vel simili brachiorum ac crurum saltem juncturis applicetur & inungatur, singula nocte, quantitas pisi majoris.

Vel fiat cingulum mercuriale hoc modo:

℞. *Argenti vivi* ℥j.
Album. ovi no. iij.

Conquassentur in idoneo vase, donec mercurius non amplius appareat currens, hoc tum inunge cingulum ex panno Cylino paratum, & 8. digitos latum, intus & extus, ac lumbis

applica, & donec cutis pristino nitori restituta extet, ita gestetur continuò.

Qui ☿ium formidant:

℞. *Unguenti ex aceto lithargyr. cum ol. conf.* ℥j.
Flor. 🜍.
Zingib. pulveris. aa. ℈j. ms.
& juncturis inungatur ejus portio.

Atque hæc de scabie vulgari.

Si verò exhalaturæ particulæ magis corrosivæ, non solùm cutim magis externam erodunt, sed & glandulas & subjacentes partes exedunt, & intimius penetrant, atque cum inflammatione serpunt, (quæ scabiei species *Herpes* vulgò vocatur, tum magis corrosioni resistentia requiruntur. Sic v. g.

℞. *Aquæ calcis vivæ* ℔j.
Sacchari ♄ni ℥j.
☿. *dulcis* ʒvj.

Coque donec soluta sint omnia, tum filtra, & cum linteis sæpe de die applica.

Alcalica Saturni energia optimè hic mitigat salis corrodentis & depascentis acrimoniam. *Plura vide in meis notis ad Agricolam p. 291.*

Si levior sit serpigo, vulgo Flechten vocata, tum hoc empiricum commendo; v. gr.

℞. Cre-

℞. *Cretæ alb.* ℥iij.
Fuligin. camin.
Olei olivar. ʒij.
Cum cremore lactis. Fiat linimentum, cum quo bis, ter de die inungatur ſerpigo, ſive in facie, ſive alio in loco.

Si abſque eroſione, *cutis ſaltem variis maculis deturpatur*, utpote *Lentiginibus* &c. vulgo Sommerflecken/ quæ æſtate accidunt, cute rariori textura ab origine prædita exiſtente; dum ſubtili æthere plures aliquando particulæ à craſſioribus avelluntur, & cum exhalationibus reliquis ad ambitum corporis delatæ, non ita expeditè poros tranſeunt, ſed inibi hærentes & per æſtatem novis ſemper inſequentibus ſuſtentatæ, tales maculas efformant, non tam ſanitati, quàm cutis nitori adverſas.

Cedere verò hæ ſolent vel extrahentibus, vel cutis poros coarctantibus, ne ſedem figere commodè queant.

Agricola hoc ceu expertum commendat. v.g.
℞. *Sem. Sinapi albi* ℥ij.
contunde cum *parum aceti* ut fiat inſtar pultis, tum adde
⊖is comm. ℥j.
Album. ovi no. j. mſ. & ſerva.

Cum hoc inungantur maculæ in Balneo ſive hypocauſto admodum calido, & relinque aliquandiu, tum verò rurſus ablue cum ▽ *ſigill. Salom.* & mox diſparebunt maculæ tam hepaticæ, quàm lentigines.

Vel ℞. *Aceti lithargyrii.*
Lixivii salis ♀i cum ▽. fl. fabar. fact.
aa. q. s.
Camphoræ parum cum Spir. vin. solut. m. s.
& fiet Lac, cum quo laventur sæpiùs maculæ.

Vel ℞. *☿. dulcis* ℈ß.
Sacchari ♄*ni* ℈j.
Camphor. gr. xij.
Borrac. ʒß.
Magister. marcasit. ℈ij.
▽. Sperm. ranar.
Flor. fabar.
Sigill. Salomon.
Rosar. aa. q. s. ut fiat instar pultis, cum hoc noctu cubitum ituris inungatur facies, manè abluatur uno vel altero ex dictis aquis: continuetur verò per dies octo & maculæ cedent.

Willis omnibus præfert hoc Empiricum, v. g. ℞. ☿. *sublimati* ℥j. *pulveris.* ponatur in vase stanneo cum ▽a font. ℔iij. stent per 24. horas, cum spatula lignea subinde agitando, donec totus liquor nigrescat, qui tamen per chartam colatus limpidus rursus evadit, cum petia & pluma huic intincta facies semel intra diem unum aut alterum blandè obducatur.

Medicamen hoc, inquit, contra turpitudinem quamcunque cutaneam insigniter juvat, quatenus nimirum humores intra porulos

rulos minimos impactos expedit, & ſalium combinationes inveteratas pertinacesque diſſolvit, hinc non tantùm ad faciei maculas abstergendas, ſed etiam ad puſtulas & ruborem, nec non ad affectus eryſipelatodes tollendos utile exiſtit.

Alias in rubore faciei ab æſtu ſive externo ſive interno; etiam in rugis, admodum conducit *albumen ovi cum alumine*, in linimentum terendo redactum, & per aliquot dies manè & ſerò applicatum.

Ad cutem à variis maculis præſervandam admodum valet *Eſſentia Benzoes*, cum *pauco Camphoræ* facta, & *Aquæ Sperm. ranarum, Sigill. Salomon. roſar.* &c. inſtillata, ac pro faciei & manuumleni ablutione, & ſpontanea exſiccatione ſæpius in uſum vocata.

Sterilitas Muliebris.

Est concipiendi ac generandi impotentia, quando juſto ætatis vigore conſtitutæ, & viri legitimè diſpoſiti conſuetudine debitè utentes mulieres, attamen vel non concipiunt, vel etſi concipiant, tamen diu haud retinent, genitales partes præt. nat. diſpoſitas habentes.

Subjectum sive Pars ipsa affecta, sunt partes generationi & conceptioni inservientes: atq; huc spectant non solùm partes immediatè fœcundationi dicatæ, ut Ovaria, cum ovulis, ac tubulis Fallopianis, à *Stenone*, *Kerckringio*, *Kraffio*, *Suammerdamo* inventa & accurate descripta; sed & uterus cum suis vasis, præcipuè excrescentibus continuò arteriis, nutrimento advehendo dicatis &c.

Ea quæ de conceptione in Tuba hac vel illa facta, hinc inde commemorantur, hæc extraordinaria, & rara, naturæ ordini nil derogant: Manet interim *uterus fœtus* conceptioni, formationi, & generationi aptum *ordinarium domicilium*.

Ætatem quod attinet, quæ hic pro conceptione legitima requiritur, ea *non* dependet *à fermento quodam uterino*, *nec archeo*, extra circulantem massam huic negotio præposito, sed legitima saltem, & ad perfectionem ducta textura, tam solidarum quàm fluidarum partium, sola hic requiritur.

Et inde non rarò est, quòd nonnullæ tardiùs, aliæ verò maturiùs & concipiant & pariant.

Sic *Mandeslo Itin. Orient.* refert, Fœminam Indam annorum sex filium enixam: alii, ut *Schenckius*, *Bartholinus* &c. de octennibus, novennibus, & undecennibus puerperis mentionem faciunt.

In

In nostris Septentrionalibus terris vix tales præcoces inveniuntur, cùm *æther non adeò subtilis*, & crassioribus particulis intextus, *circulantes nostros humores haud adeò velociter exagitet*, & ad ciram perfectionem organa, mediantibus illis perducat, & perficiat.

Affectus verò hic, cum (etsi per se pateat) tamen vix certò determinari queat, cui aliquando in specie sit imputandus, an mari an fœminæ, nisi *in viris phimosis*, *in mulieribus* verò *imperforatio* evidentem causam sustineat: hinc ad dirimendam hanc litem *Signis* sanè opus esset. Sed in rei veritate ex internis nullum ferè satiat mentem.

Veteres ex utriusque conjugis urina, vel semine divinationem hanc iustituere soliti fuerunt; *Hippocrates*, *Rhod. à Castro* &c. suffitibus inquirere veritatem voluerunt.

Recentiores ex mulieris temperie sterilitatem prædicere allabararunt, v. gr. quando *pallido faciei colore*; *propensione in somnum*; gestibus animi sedatis, *nullo aut exiguo Veneris appetitu*: aut in coitu *nulla voluptate*; menstruis serò apparentibus: ventre angusto &c. degentes viderunt, sed cùm hæc partim & vitæ genus, & animi affectus, etiam in aliis non sterilibus, producere valeant, vix pathognomonicorum signorum locum merebuntur, hoc in affectu.

Magis certum ſignum & infallibile eſt, quando mulier ſecunda & tertia vice cum viris diverſarum complexionum concumbit, ex nullo tamen impraegnata abit.

Vel ſi in viro nullum deprehenditur vitium, ferè in fœminam rejiciendum venit.

Cauſa affectus hujus *Immediata* eſt partium generationi humanæ inſervientium præternaturalis diſpoſitio, quæ ſequentes varias prægreſſas habere ſæpe ſolet: nulla tamen ſupernaturali hic præſuppoſita, cum de præternaturalibus in genere hic nobis ſermo ſit.

Ubi ex *Mediatis Proximioribus*, omnia ea vices gerunt, *quæ diſpoſitionem, tam ovarii & ovulorum, quàm uteri ipſius*, quovis modo *invertere*, & in operibus ſuis turbare & impedire *queunt*.

Ratione ovarii & ovulorum peccare poteſt eorum materia, haud ritè ſcil. conſtituta *lympha, vel fluidum nerveum*, dum hæc vel nimis craſſa, compactiori velamento generari faciunt ovula, prolificam ſeminis virilis impreſſionem haud admittentia: vel quando illa nimia humiditate ovula hæc fatua, & vitali charactéri recipiendo indiſpoſita, efficiunt.

Ratione nutrimenti, mediante utero advehendi, vario modo turbari hoc negotium poteſt, quando mediantibus ordinariis huic operi deſti-

destinatis arteriis, indiſpoſita advehitur ſanguinis lactea pars, vel nimis craſſa, vel nimis acris: dum illa parva nimis copia ſuppeditatur; hæc verò acris, vaſa nimiùm aperiendo, nec diu ſatis moram nectendo, alimentum neque ſuppeditat, neq; fœtum radices agere permittit &c.

Promovere verò propiores has cauſas ſolent *Remotiores plures* aliæ, quibus tamen hic *non incluſas volumus*, & ad Medicum quà Medicum non ſpectantes, *Supernaturales* cauſas, à DEO, vel, ejus permiſſione, Dæmonum ope ſuſcitatas. Etenim, ſi DEUS occluſit uterum, quis ordinariis aperiet mediis?

Sed *ex ordinaria Rerum ſerie Naturales* cauſæ, & *ex eis* quidem *circulantium humorum temperies*, prima infœcunditatis rudimenta ponere ſæpè ſolet, quando particulæ eorum volatiles oleoſæ, magis mobiles, ſub craſſarum, vel ſeroſarum dominio circulantur; atque viſcidæ, craſſæ, vel oleoſæ, vel ſeroſæ nimis, generationis humanæ inſtrumenta, vel ſubjecta proximiora conſtituunt, & inidoneo ad negotium eorum pabulo ea ſuſtentant.

Sic aliquando Habitus corporis etiam inde enatus nimis pinguis, vel nimis macilentus, indicium infœcunditatis præbere, & cauſam ſuſtinere ſolet, etſi non ſemper: Tam

enim obesæ quam macilentæ plures dantur, quæ interim satis sunr fœcundæ.

Ætatis ratione in definitione exclusæ extant, & nimis juvenes, & nimis senes, mulieres, vel virgines. Illæ quia organa nondum ad perfectionem perducta habent; Hæ quia Uteri & organorum huc requisitorum fibræ nunc nimis crassæ, rigidæ, extensioni haud amplius aptæ existunt. Unde etiam est quod virgines adultiores utplurimum & difficulter concipiant, ac sterilescant, vel concipientes difficillimè pariant.

Ex Nonnaturalibus Rebus plurimæ sunt, quæ ingens hic addunt pondus: & ex eis non excluditur *Aër*: quanta enim in corporibus nostris & circulantibus humoribus præcipuè alterandis gaudeat prærogativa, & vi, *Hippocrates* suo tempore notavit, *lib. de flat.* ubi vix aliunde morbos, quam ab eodem dependere asserit.

Et *Regiones* plures hujus rei veritatem comprobare videntur. Sic *Hippoc. l. de loc. aër. & aq.* observavit, *gentem Scythicam*, ob cœli inclementiam, ad voluptatis illecebras admodum desidem, infœcundam admodum existere.

Ex contraria verò ratione haud admodum fœcundæ existunt Meridionales Regiones inhabitantes mulieres, quæ ob efferatam libidinem, quorsum subtilis æther pellit, rarò concipiunt.

Victus

Victus ratio inordinata, & excessu peccans, non solùm ad alios innumeros morbos, sed & ad sterilitatem fovendam symbolum aliquando sat grave conferre potest: multa namque fercula multos facere morbos, etiam *Seneca Epist.* 95. annotavit suo tempore.

Potissimam tamen causam ex omnibus his addit *ebrietas frequens.*

Sed cùm omnes jam prædictæ, & innumeræ adhuc ab Authoribus recensitæ causæ aliæ, non ubiq; sterilitatem foveant, hinc nil interim certi de ullo statuendum.

Aliquando namque dantur mulieres, quæ contra sex res nonnaturales graviter hic peccant, & tamen nihilominus satis sunt fœcundæ: è contrario dantur, quæ exactè omnia, quæ modo causam ullam addere possent, devitant, & tamen manent steriles, ut adeo *circa res nonnaturales difficillimum* sit *causam immediatam determinare.*

Ex Præternaturalibus Rebus ergò plurimam partem sterilitatem trahere originem, ex sequentibus patebit.

Vitium partium fluidarum supra circa Proximiorem causam partim indigitatum extat.

Præterea vero *circa solidas partes*, sive organa ipsa, *plura dantur conformationis vitia*, quæ sterilitatis immediata existunt causa.

Ex Principalioribus sunt Ovarium ipsum & Uterus nutrimento suppeditando destinatus,

tus, vitiosè contexta, & haud legitimè formata, coarctata, obstructa &c.

Ovarium sive testis muliebris, *ex mollibus conflata vesiculis, quando hæ crassioribus sunt cinctæ tunicis*, vel quando repletæ sunt lympha fatua, non contemnendam aliquando causam sustinent.

Item *viæ*, per quas ovula in uterum descendere solent, *si sunt nimis angustæ*, aut in obesioribus pinguedine coarctatæ, ita ut semen masculinum ad ovula fœcundanda sursum deferri haud queat: tum etsi fœminæ omnibus modis sint sanæ, ac Venere delectentur, fluxumque menstruum ordinariè experiantur, vel viri optimè constituti consuetudine utantur; tamen nunquam concipiunt.

Uteri vitiosè formati causa vel haud fit conceptus, vel conceptio facta haud retinetur, Sic v. g.

Conceptio non fit, quando vel planè deest *Uterus*, quod *Columbo de re anat. lib.* 15. videre contigit; vel *quando cartilagineus existit*, ut in sectione Illustris Virginis ipse vidi; aut quando alio modo monstrosè formatus, aut tumoribus obsitus, aut lapidibus repletus existit. ut *Hildanus*, *Schenckius* & alii annotarunt.

Sic & conceptio haud fit, quando vagina ita arcta existit, ut membrum virile haud admittat, sive à tumoribus, vulneribus, ulceribus &c. acci-

acciderit; vel si clitoris nimium prominens: aut si excrescentia carnea circa interius orificium adnata, & extra collum pendens, ac illud claudens, penem haud admittit &c. *in Ephemer. Germ. Ann.* 2. *Obs.* 208. ut & à *Kerckring. Bonei.* & aliis notata similia impedimenta, sarcomata, fungi, excrescentiæque aliæ &c.

Conceptio facta haud retinetur, quando arteriæ nutrimentum advehentes vel sunt occlusæ, & obstructæ, quemadmodum in illis utplurimum observamus, *quibus menses deficiunt*, *vel naturaliter*, ut nimis juvenibus, aut senioribus, *vel præternaturaliter*, ut cacochymicis, & morbosis.

Vel quando dictæ arteriæ sunt nimis patentes, vel à sanguinis nimia serositate & acredine perpetuò sanguinem fundunt, atque sic ovulum fœcundatum & in uterum delapsum non apprehendunt, seque cum illo haud implicant & communicant; vel etsi id apprehendant, tamen, ob supervenientem copiosum sanguinis & nutrimenti effluxum, id rursus protrudunt, neque retinent.

Spectat etiam huc lymphæ vitium, glandulas & poros uteri vel vaginæ continuè, ut in *albo mulierum fluore*, laxans, & sic cohæsioni cum arteriolis uteri etiam obicem ponens, vel cohærentem rursus detrudens & rejiciens.

Nec

Nec minus ſymbolum addunt morbi varii vel chronici, Hydrops, Lues venerea, Lepra, Phthiſis &c. vel acuti varii, ſingulari circulantium humorum alterationi, & inverſioni, vel viſcerum deſtructioni anſam miniſtrantes.

Ex modo dictis variis ſterilitatis cauſis verò, diverſa & ab alia *differens poteſt oriri ſterilitas:* vel nativa & congenita, vel adſcititia, ab externâ quadam cauſa exorta.

Sic aliæ ſteriles ſunt ſimpliciter, & nunquam concipere poſſunt. Aliæ ſunt ſteriles reſpectu mariti: dantur enim quæ in hoc conjugio ſunt ſteriles, in alio ſatis fœcundæ. Aliæ etiam ad tempus ſaltem, ob uteri aliquod vitium, quo curato concipiunt. Aliæ concepetunt etiam & pepererunt, ſed poſtmodum ob vitium in puerperio contractum ſteriles manent &c.

Prognoſis nobis hic ſiſtit affectum, qui quoad ſalutem & mortem periculum quidem haud minatur: ſed an interim curabilis exiſtat nec ne, ex antecedentibus cauſis dijudicandum erit.

Nativa ſi eſt infœcunditas, ob uteri vel ovarii indiſpoſitionem pr. nat. vel ob conformationis vitium, aut exulcerationem, &c. omnis & concipiendi & pariendi ſpes labaſcit.

Si vero ægra ætate gaudeat vegeta, neq; magnis naturæ erroribus ſterilitas originem debet, utpote ſi cacochymia, menſes ſuppreſſi

&c.

&c. ſint in cauſa, tum curationis optatæ ſpes affulget adhuc.

Curatio pro ratione cauſarum variet.

Sic ſi circulantes humores, conſtitutivis inter ſe non ritè contextis, neq; miſcibilibus, particulis acribus, acidis, lentis &c. cauſam ſuſtineant, vulgò *Cacochymia* vocata, quæ ductibus, vaſis, glandulis &c. genitalium partium invertendis, alterandis, obſtruendisque inſiſtunt, tum Martialia de cachexia tradita hic optimè conducunt. His namq; ſolis curatam fuiſſe fœminam per octo annos ſterilem, *Cl. Wedel* refert in Notis ad caſus *Timæi.*

Inſignis ergo hic uſus ſunt *Acidulæ*, quæ partes occluſas promtius relaxant & reſerant, quam in forma ſicca propinata Martialia, præcipuè ubi ſerum vel lympha non exſuperat, ſed ſub tenacitate, lento motu vaſa penetrare neceſſe habet.

Sic *nec Thermæ hic ſunt negligendæ*, utpote calore ſuo humores lentos magis mobiles reddentes, & ab obſtructione revocantes: ac in eorum defectu artificiales etiam non contemnendam præſtabunt opem, ex *Matricaria, Roremarino, ſerpill. calamintha, arthemiſ. bacc. lauri, herb. puleg.* &c. paratæ; vel ex ſpeciebus his parati clyſteres uterini.

Si Menſium obſtructio, Fluor albus, ſint adjuncta, conſule proprium cujusque titulum.

Si

Si Plethora nimium ſanguinis effluxum menſtruum vovet, tum *Ven. ſectio* rem expediet. Sic refert *Henricus ab Heer Obſ.* 14. ſe in mulieribus duabus, quæ quotannis abortirent, ter geſtationis tempore Ven. ſectionem inſtituiſſe, menſe nimirum tertio deinde poſt medium, quarti menſis, & tandem ſub finem ſeptimi, atque hac eas methodo reſtituiſſe.

Si appetitus ad Venerem languidus, cauſam in fluido nerveo debili reſidere ſuſpicionem addit, conducunt *Eſſent. Satyrion*, cum vino Malvatico exhibita, *à Crollio deſcripta, & à Riverio* tantopere hic commendata; ut & alia aromatica *N. Indic. condit. confect. alkerm. ſoccolada Ind. radic. eryng. condit.*

Ex aliis ſpecificis *Simon Pauli Q. B.* admodum laudat *veronicam* pulveriſatam, & per aliquot dies uſurpatam.

Poſt Balnea Inunctiones etiam circa pubem ac umbilicum non omittantur, ex *olei cheri, nardin. ſtyrac. liquid. zibetha, moſch. unguent. comitiſſ. cum oleo menthæ, formicarum*, quod ad fœcunditatem mirè extollit *Grembs p.* 231.

Nec inidonei ſunt ſacculi ex *meliſſa, mentha, calamintha, matricaria* &c. cum vino decocti & ſæpius applicati.

Diæta tandem omnibus his ſubjungenda erit, quæ nec quanto nec qualibus peccat. In hac verò *vitentur lacticinia, farinacea, frixa, viſcida, fumo indurata, leguminoſa, acida,* & ſimilia

milia cruda omnia: Horum verò loco sufficiant carnes animalium juniorum, bubula, cum rad. pastinac. sæpius cocta, item gallinarum, columbarum, &c.

Potus in cacochymicis sit vinum generosum, Hispanicum, cerevisia probè defoecata, &c. sed *si ob salacitatem* mulier non concipiat, *vitentur omnia calida & stimulantia*: Et *si obesitas* in causa, *Diæta sit parca: & Purgantia sint frequentia.*

Tempus etiam ad concipiendum magis aptum notetur, quod illud est, si menses desierunt: atque mas inungat instrumentum *Zibetho*, quod coitum in fœminis reddere longè voluptuosiorem, sunt qui asserunt.

Suffocatio Uterina.

QUæ alias Passio hysterica, vulgò ascensus Uteri, *Helmontio* Asthma muliebre, & *Paracelso* Caducus Uteri audit: *cum hypochondriaca affectione*, ratione Causæ, *eadem est*, & ab hac non nisi loci ratione, quem primò aggreditur, aliquando parum differt.

Eadem namque causa, quæ in maritis hypochondriacam affectionem fovet, in mulieribus hystericam passionem sive suffocationem uterinam excitat.

Est etenim nil aliud, quam partium membranosarum in inferiore ventre sitarum, motus convulsivus, à partium heterogenearum, acidarum, acrium, cum fluido nerveo in nervosarum fibrillarum tubulos, per intervalla effusarum, eosque constringentium effectu; subitaneam totius corporis refrigerationem, ac innumera alia convulsiva symptomata excitante, exortus.

Subjectum sive Partem affectam veteres absolutè Uterum esse crediderunt, sed cum hic in de mortuis passione hysterica laborantibus, instituta sectione, sæpius insons fuerit repertus, *Willisio de morbis convulsivis attestante*: atque viri etiam similibus symptomatibus, qualia hystericæ experiuntur, corripi soleant; eundemque globi ascendentis motum sentientes aliquando, nec suaveolentes odores etiam ferentes, iisdemque remediis castorinis ac volatilibus, ac hystericæ, curabiles existant; hinc aliud Subjectum sive Partem affectam magis generaliorem, effectus hos excipere certum est: Et *sunt in genere membranosæ ac nervosæ partes, in inferiore ventre sitæ*, quas *Willis* in hysterica post sectionem in molem elevatas, & ab invicem divulsas annotavit, Utero insonte.

Ubi

Ubi *tamen haud negamus, Uterum aliquando quoad membranaceas nervosas partes etiam affici:* dum in illis malum vel inchoat, vel in abdominis nerveis plexibus initium ſumens, illi per conſenſum communicatur.

Ubi etenim nervi dantur vel membranæ &c. ibi & convulſiones initium capere queunt; vel illuc effectum ſuum extendere poſſunt.

Phænomena affectui huic familiaria, multifaria ſunt, ab illis hypochondriacæ affectionis ſymptomatibus haud longè diſtantia.

Imminens malum annunciant, *oſcitationes, pandiculationes, ſomnolentia, cibi faſtidium, frigus corporis totius:* tum paroxyſmo magis magiſque ingruente accedit *tremor in abdomine, reſpiratio difficilis, cordis palpitatio, faciei pallor, præcordiorum inflatio, lipothymia, abdominis* varii ſoni ac *murmura*, mox ranas coaxantes, nunc ſerpentes ſibilantes, nunc canes latrantes referentia, adeo ut vulgus Dæmonem hæc patrare ſibi aliquando perſuadeat.

Aliquando à ſpaſmis ex ventre guttur verſus exſurgentibus, cum ſuffocationis metu fauces conſtringuntur, & ægra ad tantos cogitur niſus, ut licet mediocrium ſit virium, vix retineri queat, pectus interim feriens. Spaſmi vero omnem regionem, per quam tranſeunt, inflant,

flant, ac si globus magnus ascenderet: quem vulgo mulieres Uterum esse dicunt.

Notissimo & certissimo affectionis hystericæ huic symptomati jungitur, ceu maximè proprium & inseparabile, *urinæ* scil. *limpidæ, aquæ instar, & satis copiosa excretio.*

Ut & *dolor in dorso*, quem levissimè saltem adhnc affectæ sentiunt.

Non rarò etiam *mentis accedit perturbatio*, ita ut vel in risum effundantur, vel in lachrymas solvantur.

Malo tandem inveterato laborantibus, *flatus nidorosi è ventriculo emittuntur*, quoties aliquid comederunt; vel & *acidum eructatur*, acetum sapore referens.

Præterea *mens* earum semper *laborat*, ex levissima data ansa *timorem, iram, suspicionem &c.* arripientes, ac ab omni spe ac gaudio, abhorrentes; vel si hæc fortè occurrant, velocissimè & subito disparentes: Mox amant præter modum, mox odio, item quod tantopere deperibant, sine causa prosequuntur.

Neque vero hæc solum symptomata, sed & plurima admodum dolorifica, ac convulsiva, alias etiam partes excruciant. Sic *mox obsidentur Pulmones*, ut ægra sine intermissione ferè tussire cogatur. Nonnunquam *in Colo ac stomachi orificio dolorem gravissimum excitant*; vel Renes dolore immani non aliter ac nephri-

nephritis excruciant; vel & *stomachum ad continuas vomitiones compellunt*, vel & *cephalalgiam*, ac si clavus ferreus in caput adigeretur, *aut odontalgiam excitant*, & quæ sunt similia innumera alia symptomata.

Quæ tamen non in omnibus omnia, sed in his pauciora, in aliis plura, in aliis graviora, in aliis mitiora reperiuntur; prout in his vel illis nerveis fibrillis ac plexibus, fluido nerveo immixtæ acres particulæ, stagnare & regurgitare primo incipiunt.

Si ægra vidua est, cohabitationi antea adsueta, aut maritata, cui à viro haud satis fit, vel virgo aut monialis salacior sanguinea, in Venerem admodum proclivis, hisque in declinatione paroxysmi seminalis vicarius liquor effluit, indicium est, affectionem hystericam ab utero; & in specie genitalibus partibus initium capere.

Et si menses stagnant, sive maritatis sive virginibus, ac paroxysmi mensium tempus observent, ut dolor circa dorsum vel pectinem aut Uterum, maximè urgeat: suspicio adest, affectum ab utero molesta inchoare phænomena.

Ubi vero specialia hæc signa absunt, Uterum etiam, vel genitales partes omnino insontes esse, certum est; etsi per consensum interim haud immunes aut intactæ maneant.

Accidere vero *solent symptomata prædicta*, nunc *certis periodis* singulis videlicet vel annis, vel mensibus &c. nunc vagis temporibus, vel crebrius vel rarius, aut longius vel brevius oberrant.

Aliquando etiam solent invadere mulieres nil timentes; aliquando pedetentim eas corripiunt.

Non raro vero eo progreditur malum, ut vox intercipiatur, *respiratio & pulsus planè ad sensum abolita videantur*, atque ægra cum omnimoda sensuum & motus privatione, frigida, ac veluti mortua, per aliquot etiam non raro dies perstet: *quales pro veris mortuis habitas, & sepulturis destinatas, revivixisse constat.*

Ex præmissis vero & modo numeratis *phænomenis*, magnam *cum* aliis pluribus morbis, utpote *Apoplexia, Epilepsia, Syncope &c. convenientiam notamus*: quomodo tamen ab illis differat, particularis cujusque titulus dabit.

Causas quod attinet, circa has tanta inter Practicos viget dissensio, ac circa Partem ipsam affectam.

Veteres immediatè *in Uteri ascensu* immediatam *latitare causam sustinuerunt*: ac his etiam hodierno tempore adhucdum subscribunt mulierculæ.

Alii sanguinem flatulentum causam fovere credunt. *Alii singulari fermento uterino vitiato*, & malignæ inde ascendenti auræ causam

ad-

adſcribunt. Alii ſpiritibus animalibus copioſe hic vel ibi concentratis aut oberrantibus effectum adnumerant, ſed quomodo hoc fiat, haud ſatis explicant.

Mihi immediata affectus hujus cauſa eſt vel *genitalium, vel aliarum* in inferiore ventre ſitarum *membranoſarum aut nervoſarum partium convulſivus motus*, inductus à craſſioribus, conſtringentibus, acrioribus particulis, cum fluido nerveo ſubtiliſſimos nervoſarum fibrillarum tubulos penetrantibus, ob disproportionem verò cum ſubtiliſſimis illis tubulis, ſtagnantibus, & tubulos obſtringentibus, atque ſic inſequentem & à circulantibus humoribus communicatum, & propulſum fluidum retinentibus, & verſus ſuum principium ſtagnare facientibus. Pro majori vero vel minori copia & acrimonia, paroxyſmum vel fortiorem vel debiliorem affectantibus, & auram quaſi aſcendentem referentibus, & ſentire facientibus.

Cauſam ideoque Proximiorem ſuſtinet fluidum illud nerveum intermixtis craſſiorib⁹ vel acrioribus aut conſtringentibus aliis vitioſum redditum, & à libero ſuo, & expedito motu & tranſitu, per has vel illas fibras nerveas, impeditum.

Hincque patet affectuum horum tam in viris quam mulieribus generalis conſenſus.

Acres verò dictæ vel crassiores particulæ unde originem suam trahant, & quomodo generentur, de affectione hypochondriaca, & alibi latius reperire est: & tam ibi, quam hic *Remotiores aliæ causæ* suum haud contemnendum addunt Symbolum, *& ex Naturalibus* quidem rebus *Temperies circulantium humorum*, tam crassis acidis, quàm magis mobilibus acribus particulis superstructa, non levis hic est, momenti.

Quod Sexus muliebris malo huic plus, quàm masculus subjectus extet, *Sydenham* delicatulæ earum naturæ, & rariori corporis habitui adscribit.

Sed ego potius crederem, partes earum genitales hanc sustinere causam. Cùm enim hæ plurimis nervosis ac membranosis, partibus constent, ac copiosis glandulis, atque variis vasis præditæ extent, nō mirum est, eas etiam plurimis obstructionibus variis obnoxias, pluribus etiam symptomatibus locum cedere, moxque sanguini, mox fluido nerveo &c. stagnanti, familiaria inducere phænomena.

Præcedere enim semper ferè solet circulantium humorum vitium, quod sensim variæ insequuntur obstructiones: nisi vitium in conformatione jam proximam foveat causam. Mensium ideoque suppressio, vel & liquoris seminalis depravata dispositio obstruentium vitiosorum humorum effectus est, tam, quam symptomata alia Hysterica.

Iidem

Iidem namque humores acres, craſſi, auſteri, qui partes mulierum genitales varia afficiunt obſtructione, etiam fluidum nerveum afficere, & pro parte ſe illi immiſcentes, nervis etiam obſtruendis & convulſivis motibus excitandis, occaſionem ſat ponderoſam addere poſſunt, etiam in ipſis uteri tubulis variis nerveis.

Præter *Nonnaturales* alias *cauſas* quæ titulo de convulſionibus vel affectione hypochondriaca traditæ ſatis ſunt, potiſſimam hic aliquando cauſam addunt, violentæ animi commotiones, à repentino aliquo, iræ, timoris, mœſtitiæ &c. inſultu. Hinc quoties me conſulunt fœminæ (*Sydenham* refert:) de hoc vel illo corporis affectu, cujus ratio è vulgaribus morborum dignoſcendorum axiomatibꝰ haud poteſt reddi, nunquam non diligenter *ab eis exquiro, Annon eo*, de quo conqueruntur *malo, tum præcipuè fatigentur, cum triſtitia, ærumna*, aut alia aliqua perturbatio eas malè habeat; quod ſi annuerint, jam ſatis ſuperque mihi conſtat, morbum in hac, de qua agimus, tribu eſſe cenſendum: *præſertim ſi urina lympida, & cryſtalli æmula, eaque copioſe excreta*, diagnoſin clarius illuſtret.

Prognoſis nobis hic ſiſtit affectum magis terroris quàm periculi plenum: ubi tamen graviora combinantur ſymptomata, quæ diutius durant, & partes nobiliores afficiunt, non omnino periculo vacat.

Majus tamen periculum minatur gravidis, cachecticis præcipuè, ob abortus metum, & puerperis, ob vires graviori nisu admodum debilitatas, quàm aliis; talesque non raro è medio aufert.

Non raro etiam in Apoplexiam, Paralysin, ac Syncopen fit degeneratio vel transitus.

Fortiori Paroxysmo decumbentes, si sternutatoriis fortioribus moventur, bonum est: & contra.

Interim tamen mortuis similes non ante tertium diem sepeliendæ sunt, cum intra hos dies nonnullas revixisse constet pro mortuis habitas.

Curatio affectus nostri duas potissimum intentiones respicit: *Una præsentis paroxysmi impetum* omni studio *coercere præcipit. Altera* post Paroxysmum sopitum *Fomitem acidum*, adstringentem, austerum, flatulentum plerumque *in primis viis stabulantem, vel in obstructis partium genitalium variis viis vel vasis simul nidulantem, extirpare injungit.*

Paroxysmus quoniam excitatur à particulis disproportionatis cum fluido nerveo nerveas fibrillas penetrantibus, hasque occludentibus, ac fluido dicto nerveo liberum motum disputantibus: hinc penetrantia omninò & volatilia oportet esse ea, quæ nervos penetrare, & particulas constringentes in eis vim suam exserentes, debellare debent. Propterea que haud abs-

absque ratione odoriferis hoc negotium defertur.

Cùm verò singularis fluidi nervei dispositio non in omnibus sit eadem, sed hæc ab hujus vel illius fluidi nervei textura paulò differat, hinc non omnibus eadem odorifera conveniunt: Aliis namque graveolentia, ut *asafœtida*, *castoreum*, *succinum*, *plumæ perdicum*, *&c.* levamen afferunt; quæ alias è contra gravius lædunt, atque hæ sua veolentibus recreantur.

Probè ergo dicta fluidi nervei singularis dispositio, vulgò *Idiosyncrasias* nomine veniens, hic inquiratur.

Exemplum habet *Simon Pauli Quadrip. B. de Angelica.* Cis paucos annos, refert, ad matronam accersor, vehementissimis correptam hystericis symptomatibus: cui cum consilium darem, ut præter *Empl. ex Galbano*, ante adventum meum à mulierculis umbilico jam admotum, etiam *aquam aliquam hystericam* præberent, nec non collo involutum syndoni raræ *frustum castorei* suspenderent, *perdicum pennas* ustularent, aut *nucem moschatam* torrerent, tum illa stridula voce respondet: ergone, quæ nec emplastri uterini odorem ferre possum, fœtida illa sufferam insuper? certè enecabor, quæ *odore N. Moschatæ*, sed non ustulatæ, refici sum solita.

Quare studiose ego sciscitari ex illa, annon offenderetur halitu chirothecarum ex aluta Hi-

Hispanica confectarum, liquidamber redolentium ? & illa regerere, nil sibi posse accidere gratius incipit.

Jubeo ergo avellere ex Galbano Empl. & substituo ei aliud *ex Tacamahaca suaveolentius*: & loco hystericarum aquarum castoreum participantium, commendo ei *aquam cinamomi citratam* in cujus uno, altero cochleari ℈j. *fæculæ bryoniæ* propinabam: & mitescebant quidem symptomata, donec sequens linimentum bombace exceptum Clitoridi subderet.

℞. *Balsami Peruviani.*
Olei jasmin. non rancidi aa. ℥ij.
Zibethi opt. ℈ß. *m*ſ.

A cujus usu urgentissima symptomata, ut erant *hypochondriorum & totius abdominis inflationes ac murmura, vertigo, dispnœa, syncope* cessarunt, imò immunis fuit per sex menses integros, cum antea subindè, & præsertim menstruis imminentibus iis corriperetur.

Si verò ægra ex improviso paroxysmo correpta cadit, sensu & motu privata, syncoptica, tũ *subito vestes* circa pectus *aperiantur*, ægraque decenter, cervice & scapulis elatis, collocetur: atque tum vel graveolentia vel suaveolentia, quæ ægra antea ferre fuit consueta, naribus admoveantur.

Ex graveolentibus salia volatilia, *Spir.* **ci cum castoreo*, aliis præferimus. Interim quæ ma-

magis fœtida ferre possunt, eis conveniet *suffitus Paracelsi ex Verrucis equor.* ℥j. *asæ fœtid.* ʒj. *cum ungul. caprin.* ʒij. per infundibulum utero immissum etiam.

Præterea instituantur inclamationes proprii nominis alta voce, *partim in sensibilium punctiones, narium, aurium vellicationes, pilorum evulsiones*, in plantis pedum sale & acceto frictiones, *ligaturæ dolorificæ, & naribus sternutatoria fortiora* admoveantur. v. g.

℞. *Castorei* ℈j.
Helleb. alb. ℈ß.
Lil. convall.
Piperis long. aa. gr. vj.
Salis ⊖-*li* gr v. mſ.

Præter hæc *Clysteres injiceantur* ex carminativis ad poros aperiendos. Et abdomini sive regioni umbilicali inungantur *Olea dest. chamomill. succini, spicæ, axung. castor.* vel *unguentum ex Scarlea* cum butyro decoctum tantoperè à *Cratone* commendatum. Vel:

℞. *Unguenti de Scarlea* ℥ß.
Axung. castor. ʒij.
Olei succin.
Spicæ aa. ʒß.
Zibeth. gr. v. mſ.

Post inunctionem desuper imponatur *Empl. ex Galbano* hoc vel simile, v. g.

℞. *Gum.*

℞. *Gum. galbani vino soluti, & ad pultis consist. inspiss.* ℥iij.
Castor. præpar. ℥ß.
Olei succini.
Spicæ aa. ʒij. mſ. fiat Empl. pro usu.

Quæ suaveolentia ferre possunt, illæ tractentur methodo supra à *Simone Pauli* commendata: graveolentibus verò arceantur.

Quando his vel similibus ægra ad se rediit, tum simul non negligantur interna quæ hostem in nervis, disproportionatas videlicet inibi hærentes acres constringentes particulas, expellere apta nata sunt.

Solent, vero semper ferè paroxysmi per sudorem finiri.

Excellunt vero in hoc negotio tam *volatilia, aromatica*, quàm *terrea fixiora*, ubique *cum Opio maritata*.

Illa magis illis conducunt, quæ humoribus non admodum mobilibus, ac fluido nerveo crassiori præditæ extant.

Hæc vero magis mobilibus ac volatilibus succis præditis conveniunt; quod probe notandum. In illis ergo

℞. ▽. *menth.*
meliss. aa. ℥ij.
Spir. ✱*ci cum castor.*

Tinct.

Tinct. bezoard. aa. ℥ß.
anodyn. ℈j.
Syr. cinam. ʒij. mſ.

Vel ℞. ▽. *cinamom. citrat.*
meliſſ. aa. ʒij.
Salis vol. ol. ſuccinati.
Spir. ✱*ci cum caſtor. aa.* ℈j.
Tinct. anod. ℈ß.
Syr. de menth. ʒij. mſ.

In his vero quibus volatilia haud conveniunt,

℞. *Diaphoret. ♂ial. Ludovic.* ʒj.
C. C. phil. calc.
Corall. r. præpar. aa. ℈j.
Margarit. præparat. ℈ß.
Caſtor. opt. gr. xv.
Cinnab. nativ. ℈j.
Laud. opiat. gr. iiij.
Olei ſuccin. gutt. iij. mſ. fiat Pulvis.

Doſis ℈j. vel ʒß. bis vel ter de die.

Vel ℞. *Rad. pæon. pulveriſ.* ʒij.
Succini pulveriſ. ℈j.
C. C. phil. calcin. ʒß.
Caſtor. opt. pulveriſ. ℈ß.
Laud. opiat. gr. iij.
Olei ſuccin. gutt. ij. mſ. fiat Pulvis.

Doſis ʒß. cum ▽. *fl. thiliæ: meliſſ. &c.*

Id quod ſupra de graveolentibus, ac fœtidis abextra applicatis dictum, etiam de graveolentibus internè adhibitis intelligendum venit.

Ob-

Observationem huc spectantem tradit *Greg. Horst. lib. 5. no. 26.* Gravissimam & sæpius recurrentem aphoniam, cum convulsionibus gravissimis, in matrona notavimus, refert, quâ sterilis per aliquot annos instantibus mensibus suffocatione uteri gravissima, mox epilepsia levi, tandem partialibus convulsionibus brachiorum, pedum, spinæ dorsi, totiusque corporis horrendis prehendebatur. Hæc adhibitis appropriatis uterinis fœtidi, graviora patiebatur symptomata: quam ob causam ad odorata moschum & ambram accessimus, eaque pauca quantitate cum aliis roborantibus cephalicis fructuose exhibuimus.

Quod etiam in aliis hystericis, quibus scil. ob iteratas accessiones epilepticas, in adolescentia, vel alias ob causas, nervosum genus debilius est, observandum esse injungit.

Similem casum recitat *Rein. Solenander Sect. 5. consil. 5. §. 10.* Mulier sævissimis affligebatur symptomatibus, dolore capitis, ructu, contractione corporis, dolore inguinis, stridore dentium, aliquando in terram cadens, sine voce ore clauso, ut aperire non posset; remediis multis frustra factis, superveniens mulier quædam vetula, dedit *moschi grana* xiij. cum totidem *sanguinis draconis* vulgaris granis, & ▽æ *flor. aurantiorum* ℥ß. ac sanata est, nec unquam in posterum dolores illos passa est.

Idem

Idem medicamen in ſimili caſu refert, à me exhibitum ſemper profuit.

Nec hoc fortè erit abſque effectu. v.g.

℞. *Extract. ligni aloes: Zedoar. aa.* ℈j.
Moſchi opt. ʒj.
Laud. op. gr. v.
Olei cinnam.
caryophyll. aa. gutt. ij. mſ. fiant
Pill. pro 4. vel 5. doſibus.

Paroxyſmis tandem expugnatis ad Fomitis hyſterici exſtirpationem plenariam acceſſus fiat, id quod præſtatur illis omninò ad hypochondriaci mali curationem commendatis.

Præter quam ibi traditam, & huc planè ſpectantem curam, hic illam adponam, *Cl. Sydenhammi*, affectuum hyſtericorum curandi methodum.

Hic, ſymptomatibus *in Paroxyſmo, medicamine anodyno*, ut & aliis hyſtericis pro ratione circumſtantiarum ante commendatis, ſopitis, *venam ſecari jubet*: Poſtea ægram tribus quatuorve auroris continuis purgantibus exercet.

Per hos dies, inquit, in quibus venæ ſectio, & catharſis celebrantur, ægra nil emolumenti capere, ſed in pejus ruere potiùs videtur, cum dictæ evacuationes tumultum ſpirituum concitarum promoveant: qua de re ægram diligenter præmoneo, ne animum deſpondeat,

 ſua-

ſuadente ita morbi genio: Vitioſi namque iſti humores, quos à diuturniore morbo coaggeratos ſupponimus, quadantenus ſunt detrahendi, antequam primariæ intentioni percommodè ſatisfacere queamus.

Poſt evacuationes has *remedium martiale ad dies triginta* præſcribo, quò non aliud certius hîc votis reſpondet. Etenim ſanguineæ maſſæ, jam effœtæ & langueſcenti, volatile quoddam fermentum, ceu calcaria ſubdit, (*meo judicio ſpiritus animales ſive fluidum nerveum ab acidarum, auſterarum dominio ſuppreſſum, erigit, & acidis ſubjugatis, fluido nerveo liberum reſtituit motum:*) à quo excitantur & eriguntur ſpiritus jacentes & ſuppreſſi. Cujus rei indicium eſt, inquit, apertiſſimum, quod *quoties chalybs in chloroſi propinatur*, pulſus derepente major fiat & celerior, exteriora corporis incaleſcant, facies non amplius pallida & mortuis concolor, ſed vivida cerni, & ſanguine purpurata, incipiat.

Commodiſſimè verò, aut ego fallor, pergit, *in ſubſtantia* exhibetur *chalybs*, nec obſervavi unquam eum ita ſumtum cuivis nocuiſſe: *ita certiorem me fecit experientia multiplex nudam chalybis ſubſtantiam & felicius, & breviori temporis ſpatio curationem abſolvere, quàm ſi is quovis modo fuerit præparatus*, inquit.

Poſt

Post *chalybis* ſubſtantiam, ejuſdem *ſyrupo* lubentius, & præ cæteris utor. *Fit* autem è *ferri aut chalybis limatura, in vino Rhenano* in frigido *infuſa*, uſque dum vinum ſatis imprægnatum fuerit, quo facto *liquor colatus cum ſacchari quantitate ſufficienti*, in ſyrupi conſiſtentiam excoquendus eſt.

Toto vero illo ſpatio, *quo ægra chalybeata ſumit*, mihi ſolenne eſt, *nullum catharticum* ſtatis intervallis *exhibere*, cum chalybis vires à cathartico infringi mihi videantur. Non quidem ſum neſcius, porrò pergit, quoſdam fuiſſe ſanatos, catharticis non tantum intercalatis, ſed etiam quotidiè cum chalybe propinatis; id tamen non tam Medici prudentiam, quàm chalybis virtutem mihi comprobat, cum ſi ea omittantur, brevi tempore curatio ſuccedat. Quoniam enim id mihi palmarium ſit, ut ſpiritus in ordinem redigam, atque eorum ſyſtema redintegrem & firmem, tum cathartico vel leniſſimo exhibito, una die rurſus demolior, quod toto vix octiduo chalybis ope reſarciveram: hæc eſt mens, licet haud immediata *Sydenhammi* verba, circa chalybis effectum.

Clariſſimus Vir, Williſ. ſpiritibus animalibus ſubſcribens, Spiritus à ſucco ſive lympha nervea diſtinguens, eos pro lubitu, ac pro ſingulari quaſi intellectu, aut indignatione conceptâ, oberrare credit.

Sed cum fluidum illud nerveum nullum alias liberum arbitrium, nisi velle animæ agnoscat, ac ceu materiales immediatè à circulantibus aliis humoribus, ac eorum motu dependeat, quo vitiato & ipse vitium capere necessitatur, ac sic animæ jussui ineptus redditur : hinc chalybs hoc in negotio non aliud in fluidum nerveum exercet imperium aut confortando, aut in ordinem redigendo, nisi quatenus disproportionatas acidas constringentes particulas, sanguini immixtas, & cum dicto fluido nervos penetrantes, in sanguine invertit & destruit, atque sic communicationem ulteriorem dictarum particularum præcavet.

Unde non mirum purgantia aliquando disproportionatas tales particulas, sive peregrinum, ut aliàs voco, ætherem, sanguini advehendo, de novo malum augere, & irritativas subtiles particulas jam lentè circulantes, ac quasi suppressas de novo exsuscitare.

Ubi tamen notandum, quod, si Catharticum sit lene, & præcipuè cum chalybe combinetur, ut non ultra primas vias vires suas exerceat, non contemnendum sæpissimè exserat effectum: id quod ipse *Cl. Sydenhamm*, sed ex alia ratione, asserit.

Sed à fortioribus, & quidem frequenter repetitis, præcipuè in imbecillioribus, ac tenellis adhuc, sinistrum observari effectum, libentis-

tiſſimè concedo: non quod hac methodo ſolùm ingens humorum colluvies, ab inducto peregrino æthere purgantis, ad partes in inferiori ventre ſitas eliciantur, ſed & glandulæ in meſenterio ſic plurimis diſproportionatis particulis repletæ, Tumoribus ventris & obſtructionibus, facile ægrum tenellum afficiant.

Atque hoc, quod innui, diligenter advertendum volo, verba ſunt *Sydenhammi*, cùm non paucos infantes atque pueros à catharticis ſæpe repetitis (quæ fortè ventris tumor invitaverat) interemptos fuiſſe ſatis ſciam.

His rationibus adductus tutiſſimum eſſe judico in infantibus, poſt evacuationes univerſales, easque perpaucas, eò indicationem curativam dirigere, ut confortentur ſanguis & viſcera, id quod *Hiſpanicum vinum* vel ſolum, vel *herbis corroborantibus alteratum* efficere potis eſt, modò manè & ſerò cochlearia aliquot, pro ratione ætatis ægri, ſatis diu exhibeantur.

Interea verò, dum chalybs adminiſtratur, non omittenda omninò vult remedia alia hyſterica, ſed ea in uſum etiam obiter revocanda eſſe præcipit, magis tamen ſolidâ quàm liquidâ formâ.

Et ſi ſymptomata ſunt mitiora, ita ut res ſine ferro introſumto tranſigi poſſe videatur, in minore ſcil. morbo, ſatis eſſe inquit, ſanguinem mittere, & alvum ad tres dies quatuorve ſol-

vere, deinde verò Pillulas hyſtericas alterantes manè & ſerò per x. dies capiendas imperare. Quæ methodus in leviori morbo raró à ſcopo aberrat, aſſerit. Pillulæ ſunt ſequentes. v. g.

℞. *Caſtorei* ℥j.
Salis ſuccini volat. ℥ß.
Extract. rutæ q. ſ. Fiant Pillulæ no. xxiiij. ac de his ſingulis noctibus capiantur iij. & totidem manè.

Sed hic nota, quod ſupra de ſingulari hujus vel illius ægræ idioſyncraſia diximus, ſi enim graveolentia hoc malum aggravare obſerventur, ſuaveolentia ſubſtituantur.

Quod ſi verò chalybs malo vincendo haud par ſit, *adeundas eſſe aquas minerales ferri minera ſaturas, præcipit*, harum enim virtutem intimius ſanguini permiſceri, atque potentius morbum expugnari aſſerit.

Præter hæc verò nunc commendata, *Theriacam* etiam *Andromachi* ſolam, crebrò & diu uſurpatam, magnum eſſe in hoc malo remedium contendit. Nec in hoc ſolo, ſed in aliis morbis quamplurimis à caloris & concoctionis ſive digeſtionis defectu ortis, omnium fortè potentiſſimam prædicat, etſi à pleriſque faſtidiatur, quod & pervulgata ſit, & à tot jam ſeculis cognita.

Sic & *Vinum Hiſpanicum*, *angelica*, *gentiana*, *centaurio*, *cort. aurant. flaved.* aliiſque corrobo-

roborantibus medicatum, si ad aliquot cochlearia ter de die potetur, admodum conferre ait, modò ægra non fuerit bilioso corporis habitu prædita.

Profectò, jurat, vel *Vini Hispanici simplicis liberalior haustus, hora somni* quot noctibus meo suasu propinatus, Hystericis nonnullis perquam salutaris fuit, cùm ex eo robustior universi corporis habitus redderetur, ipsæque adeò fœminæ è cachecticis vividæ simul ac vegetæ fierent.

Adhæc *Corticem Peruvianum* eximias, mirandasque vires hic habere asserit, cujus drachmâ dimidiâ manè & serò ad septimanas aliquot deglutitâ, sanam firmamque corporis crasin, (tam viris hypochondriacis, quam fœminis hystericis diu multumque ægrotantibus, dejectaque jam quasi corporis œconomia:) restitutam fuisse ipse observavi, inquit.

In nullo tamen hystericorum affectuum genere felicius succedit quàm *in illo, quo spasmis afficiuntur fæminæ*, nixus fortissimos edentes plusquam muliebres, pectora simul ferientes.

Interim tamen confitendum, quòd hoc medicamen non ita certò ac crebrò succurrat huic malo, ac Febribus intermittentibus.

Et quamvis (ut id obiter dicam) in harum curatione egregia præstet, ne dicam, miracula, dictus cortex; sunt tamen quibus haud minus displicet, quod tam certò, subitoque morbos expugnet. &c.

 Sed

Sed si ex remediis modo recensitis sint quæ minùs conveniant, quod temperamento bilioso ac tenui præditis sæpe accidit, tunc *Diæta lactea* potest usurpari.

Etenim Mulieres aliquot cum affectibus hystericis diu conflictatæ, etiam iis, qui omnes Medicorum conatus eluserant, tandem lacte solo aliquandiu vescentes convaluerunt.

Lac enim, cum simplex omninò nutrimentum suppeditet, minus etiam naturæ in coquendo negotium facessit, ac solent cibi magis solidi & compositi.

Non omnibus tamen interea contingit, etsi à lacte aliàs juvari potuissent, ea incommoda superare posse, quæ primis ferè diebus apportat, quod nempe tam in ventriculo coaguletur, quàm viribus & corpori in statu conservando & sustentando minùs sufficiat.

Tandem admodum commendat singulis ferè diebus diu multumq; equo vehi, nil enim ex omnibus adeo impensè sanguinem firmare asserit: cum enim impetus sic ferè omnis in inferiorem ventrem fiat, in quo vasa excretoria sita sunt, nullam organorum naturalem impotentiam fingi posse ait, cui tot uno die succussationum millia ingeminata, sub dio, opem haud afferre queant. &c. Methodum tamen hanc plus viris quàm mulieribus accommodatam esse asserit.

Quibus tamen eandem tam, quam viris, proficuam

ficuam omnino esse credo, in plurimis hysteri-
cis casibus, paroxysmis nunc sopitis.

Nostrorum quidam, in Sacris Antistes refert,
nervos seriis cogitationibus nimiopere inten-
dens, tandem in affectionem hypochondria-
cam incidit, quo diutius lacessente, omnia fer-
menta corporis erant vitiata.

Medicaminum chalybeatorum tædium plus
semel devoraverat: Aquas minerales ferè o-
mnes, cum Catharsi sæpiùs repetita, fuerat ex-
pertus: uti etiam Antiscorbutica omnium ge-
nerum, pulveresque testaceos quàm plurimos,
sanguinis edulcorationem promittentes. Ita
partim morbo, partim medicatione per tot an-
nos continuata, tantum non fractus Diarrhœa
colliquativa (quæ in Tabe mortem anteire so-
let) demum corripiebatur.

Ubi me tandem consuleret, statim mecum
reputavi pharmacis nullum ampliùs locum re-
linqui, cum tot tantaque, nullo cum fructu,
jam deglutiverat. Suadebam itaque ut statim
se equo vehendum traderet, modicò primùm
itinere, quale ferre posset valetudo ita infirma,
majora verò indies spatia gradatim conficeret,
donec convalesceret. *Nullo interim sive ad ci-
bos, sive potum, sive etiam aëris temperiem re-
spectu habito, sed ut itinerantis instar omnia,
prout sors dederit, exciperet.*

Hanc ille viam incedens, productis gra-
datim itinerum spatiis, donec tandem ad

vicesimum, imò ad trigesimum usque lapidem quotidiè vectaretur: cumque se longè meliùs habere post pauculos dies experiretur, ipso rei eventu penè mirabili animatus, in eodem cursu ad menses multos perseverabat, quo temporis spatio plura milliarium millia emensus est, unde tandem non convaluit modò, sed satis validum etiam corporis habitum fuit adeptus.

Puerperas affectibus Hystericis obnoxias sedulò cavere jubet, *ne ante diem decimum è lecto surgant.* Diu est, inquit, à quo mihi mentem subiit, quod ex eis, quæ moriuntur, puerperis vix decima quæq; alia ex causa pereat, quam quod debitò citius lecto exsurgat, excitatis à motu illo paroxysmis hystericis, à quibus cum sistantur lochia, mox ingens ineluctabilium symptomatum turba ingruit: quæ nisi magna diligentia tractentur, ægram brevi perimunt.

Quamprimùm verò lochia supprimuntur, Fœminam è vestigio lecto addicit, tum *Empl. hystericum* umbilico admovet, atque statim paregoricum propinandum imperat: ut sic spasmis remittentibus, sive, ut ille vocat, Spirituum perturbatione sopita, à quibus lochia fuere retenta, hæc fluant rursus.

Sedulò tamen advertendum esse vult, si telo hoc semel misso scopus haud attingatur, nec sequantur lochia, opium nullo modo debere repeti, ne lochia planè fiant irreducibilia: Sed ad

ad menses moventia, hystericis remixta, deveniendum esse injungit, superaddito semel saltem *enemate, ex lacte saccharato:* nisi enim primum injectum lochia educat, nil à pluribus sperandum esse asserit.

His vero peractis, quæ tamen leviter tangenda sunt, tutissimum esse dicit tempori curam committere.

Nuper Matronæ, cui ex ante dicta occasione, statim à partu paroxysmis hystericis affectæ, lochia penitus defecerant, conabar medicamentis supra memoratis eadem proritare, at frustra: affectione hysterica vehementiore omnem opem Medicam respuente. Unde cùm ita demum eam salvam fore præviderem, si nil prorsus molirer, rem omnem tempori committendam censui. Hoc meum consilium ad diem decimum usque quartum optimè illi cessit, quotidie enim illam invisens, nullo die eam in pejore loco, quam pridie fuerat, deprehendi: Post hunc mulierculæ adstantes maritum impellebant, ut sanguinem ex pede uxoris extrahi curaret: quo facto paroxysmi hysterici adeo invalescebant, ut intra paucas horas spasmi accederent, & non ita diu postea mors.

Hæc est ingenere mens *Sydenhammi*, & methodus, qua affectus hystericos debellare intendit: quamque pluribus pertractat, in singulari epistola *ad Guilielmum Cole.*

Syncope

Syncope, Lipothymia.

Est præceps virium omnium lapsus, cum pulsu ferè obolito, & frigido sudore, à sanguinis circulatione & transitu per cor sufflaminato, dependens.

Et hinc *gradibus* saltem *distant Syncope, Lipothymia*, ac *cordis palpitatio &c.*

Subjectum Cor est: non propter singularem aliquem spiritum vitalem, aut peculiare Fermentum, ut alii credunt, sed quod, ceu centrum & unicum organon, per quod omnis in toto corpore sanguis transire necesse habet, nunquam à suo motu feriari potest, absque omnium in toto corpore actionum abolitione.

Omnes namque, quotquot in corpore sunt, actiones, & motus particulares, ab universali sanguinis per cor transitu & propulsione dependent: silente qua, omnes illi motus quiescunt, & homo mori incipit.

Phænomena, imminentem Syncopen denuntiantia, sunt *repentina anxietas*, *tenebræ oculis obversantes*, *vertigo*, *coloris faciei in pallidum mutatio*, quæ insequuntur *loquendi impotentia*, *pulsus defectio*, *sensusque & motus privatio*, *totius corporis frigiditas*, ac *sudor frigidus*, *respiratioque obscura*, *vel nulla*, uri-

næ

næ excrementorumque alvi sæpe spontaneus effluxus: hæcque omnia tandem hominem plus mortuis, quam vivis similem præstant.

Paulo mitius se habent phænomena in Lipothymia, sudore frigido destituta.

Causa Immediata affectuum horum est *sufflaminata circulatio*, durante qua cessat fluidi nervei propulsio, unde, ceu truncus, omnes subitò jacent actiones animæ vitales.

Mediata Proximior Massa sanguinea est, nimis rudis & crassa, mobilibus, volatilibus adeò necessariis particulis vel in genere destituta, vel his, subita aliqua adveniente alteratione, aut contrariantibus particulis inductis, quasi præcipitatis aut ligatis, in instanti contracta.

Pereunt vero volatiles Massæ Sanguineæ partes, quando ab acido vel cum Massa ipsa coagulantur, vel nexu suo ab ea dissolvuntur.

Coagulationem animi deliquii fuisse causam, testatur casus *M. N. Cur. Ann.* 2. *Obs.* 177. citatus, ubi famulus quidam jejunus in subitaneum animi deliquium præcipitatus, & ab eo oppressus mox interiit; in cujus sectione dexter cordis ventriculus, simul cum auriculis, nigro, crasso ac coagulato sanguine, multoque flatu distentus repertus fuit, sinistro cordis sinu tali nigricante ac crasso sanguine, parva tamen quantitate, repleto.

Quomo-

Quomodo circulantes humores nexu suo soluti possint esse Syncopes, Lipothymiæ, &c. causa, vide de Palpitatione cordis.

Ex Remotioribus Causis plures sunt, quæ suum hic conferunt symbolum. *Inter Naturales* eminet *Temperies* circulantium humorum, acidis & crassis particulis constans, spiritibus animalibus vel fluido nerveo, generando vel transmittendo, inepta: sive particulis nimis volatilibus, leviter dissipabilibus conflata, aut particulis aliis subtilioribus, disproportionatis tamen adductis, subitaneæ alterationi obnoxia, quali præditi sunt, qui, vel quæ ab odore rosæ, zibethi, moschi, effluviis felis &c. Syncopen incurrunt.

Quid ex *Nonnaturalibus rebus* aër hic valeat, ætherem peregrinum inducendo, solius *Verulamii* exemplum docere poterit, *qui quoties Luna eclipsin patiebatur*, repentino *animi deliquio correptus fuit.*

Inter cibos famosi sunt *flatulenti*, sic *Zacutus* ex *Fungorum esu* Syncopen notavit: nec minus pondus addunt cibi sibi planè contrariantes uno in pastu assumti, sic ex talibus scil. *lacte crudo, lactuca, acetosa, caseo*, ac vini mensura una vice ingestis *Henricus ab Heer.* virum primarium Lipothymia correptum fuisse notavit.

Pertinent huc medicamina *alcalia volatilia* nimi-

nimium aſſumta, ſanguinem nimis diſſolventia, ac flatulentas particulas, magis magisque concitantia, &c.

Neque verò flatulentorum, aut contrariantium, flatulentum Gas eructantium, ſola ingurgitatio hisce malis ſuſcitandis apta exiſtit; ſed & inedia, & longum jejunium, non rarò in cauſa ſunt; quando fluidum nerveum ſive ſubtiliores circulantium humorum particulæ, nunc ſunt abſumtæ, neque vero defectus hic ſubitò, novo ingeſto convenienti alimento, reſarcitur; vec quando ſubtilioribus ubique diſſipatis, & aſſumtis, ruditates acidæ in ſtomacho ſuâ roſione aut communicatione circulantes humores afficiunt & ligant: quemadmodum hoc inexplicabilis circa ſtomachi regionem alteratio, lipothymicis familiaris, denotat.

Pondus etiam addere poſſunt animi fortiores motus, fluidum nerveum in ſuo motu opprimentes, & ab influxu detinentes, aut quaſi coagulantes, ut ſunt ſubitaneus terror, triſtitia diuturna &c.

Ex Præternaturalibus Rebus ſuum etiam hic contribuunt ſymbolum *morbi convulſivi*, per conſenſum cor longiori ſyſtole afficientes, & contrahentes: quales *hypochondriacis, ſcorbuticis, hyſtericis* ſolent eſſe familiares.

Neque extra culpam aliquando ſunt conformationis cordis vitia, aut præternaturalia

con-

contenta, *abscessus*, *polypus*, *depravata pericardii aqua*, & similia, de palpitatione cordis tradita.

Prognosis nobis sistit affectus satis periculosos, quippe nullus proximior ad mortem gradus est hisce malis. Neque rarum etiam est, ut illi, qui sæpè & vehementer absque manifesta causa linquuntur, derepente moriantur, nec revocari amplius queant.

Sudor frigidus, copiosè emanans, *pessimum* præbet *indicium*, & insignem pororum ac fibrillarum denotat resolutionem, & maximam fluidi nervei inopiam, fortioremve circulantium humorum subsistentiam.

Nec melius exhibet indicium sub insultus initio Hippocratica facies accedens. Item si syncopizantes, post spirituosiorum exhibitionem, irrorationem cum frigida, &c. ad se non redeunt citò.

In Fœminis hystericis tamen plus quam in aliis non hystericis &c. spei superest, quippe illæ sæpe brevi tempore ad se redeunt.

Curatio pro ratione causarum variè instituenda venit, & in & extra Paroxysmum.

In Paroxysmo statim necessum est corpus extendere, & ita collocare, ut caput depressius jaceat reliquo corpore: tum extremæ partes fricentur cum *sale*, *aceto* & *theriaca*, ac frigida faciei

faciei aspergatur, *cucurbitulæque siccæ* partibus externis apponantur.

Balsamus apoplecticus, naribus, temporibusque illinatur: *Spiritus vini camphoratus*, pulsibus ac cordis regioni imponatur, ac *spir.* ✻ *ci* naribus admoveatur: modo non à flatibus ortum habeat malum.

Internè verò si à spiritus nervei inopia, nullis flatulentiis orgasticis præsentibus, ortum habeat,

℞. ▽. *cinam.* ℥ij.
rubi idæi
melissæ
fænicul. aa. ℥j.
Salis volat. oleosi cinamomi
Essent. ambræ aa. ʒj.
Confect. alkerm. ʒß.
Succi seu Syrupi è succo kermes ℥j. mf.
Detur cochleatim.

Vel ℞. ▽. *cinamomi citratæ* ℥j.
meliss. cum vino ℥ij.
Elix. vitæ Matthioli ʒij.
Essent. ambræ ʒj.
Tinct. cinamom. ʒß.
Camphor. ess. succini solut. gr. v.
Syr. è succo kerm. vel syr. cinam. ℥ß. mf.
Detur cochleatim.

Si acidum rude causam sustinere suspicio adsit,

℞. ▽. *Cinamomi* ℥ij.
flor. thiliæ
meliss.
rosarum.
naphæ aa. ℥j.
Salis vol. oleos. cinamom. ʒj.
Margarit. præparat.
C. C. *phil. calcin.* aa. ʒiß.
Syr. cinamomi ℥j. mſ.
Detur cochleatim.

Si ruditates in stomacho causam sustinere suspicio adest, extra paroxysmum *vomitus provocetur*: præprimis si nausea earum det indicium.

Sed si circulantes humores suo nexu soluti, & particulæ plurimæ in flatulentum Gas conversæ, in causa sunt, tum vitentur præcedentia volatilia aromatica, ac eorum loco

℞. ▽. *rubi idæi*
cerasor. nigr.
acetosæ
rosarum aa. ℥iß.
Margarit. præparat.
Corall. r. præparat. aa. ʒj.
Tinct. cinamomi ʒß.
Spir. ✱*ci acidi volat.* ℈j.
Syr. acetos. citri ℥ß. mſ.
Detur cochleatim.

Vel

Vel ℞. *Conserv. rosar. succolent.*
pulpæ citri aa. ℥ij.
Cortic. citri condit. ℥ß.
Confect. alkerm. compl. ʒij.
*Spir. *ci acidi volat.* ℈ß.
Syr. è succo kermes ℥ß. mſ.

Vel ℞. *Margarit. præparat.*
C. C *phil. calcin.* aa. ʒij.
Corall. r. præparat. ℥ß.
Ambræ opt. ʒß.
Laud. opiat. gr. v.
*Spir. *ci acid.* gutt. x.
Sacchar. perlat. ʒij. mſ. fiat Pulvis subtiliſſ. de quo detur ſæpius cuſpis cultelli.

Externè Pulſibus applicetur hoc vel ſimile epithema, v. g.

℞. *Radic. Angelic.* ℥ß.
Flor. citri.
tunic.
rosarum.
anthos.
spicæ aa. p. ij.
Cortic. rec. citri ʒj.
Caryophyllorum ʒß.
Ligni aloes ℈j.
Inciſis & contuſis adde
Croci integri ʒß.

mixta & ſacculis incluſa, in cauſa à flatibus non

dependente humectentur ▽. *cinamom. flor. naphæ. Apoplect. Anhaltin. &c.*

Si Flatus vero orgasmo inducto malum fovent, humectentur cum *aceto paulum camphorato*, & tepide carpis manuum ac cordis regioni imponantur.

Si æger ad se redire haud velit, ac mortuo quam vivo similior existat, neque propterea per se aliquid assumere valeat,

℞. ▽. *Apoplect.*
lilior. convall.
cinamom. aa. ℥ß.
Tinct. cinamomi ʒß.
Camphoræ gr. v. ms.

De hac mixtura infundatur cochlear unum aut alterum, mediante infundibulo aut alio quodam apto instrumento.

Si in debilioribus *evacuantia* paulo *fortiora* lipothymiam inducant,

℞. ▽. *cinam.*
menth. aa. ℥j.
Tinct. bezoard. gutt. 60.
anodyn. gutt. x.
Confect. alkerm. ʒj. ms.

Si ex Terrore originem traxerit malum, tum *præter Ven. sectionem*, quam modicè instituere non inconsultum erit,

℞. ▽. *cinamom.* ℥j.
meliss.

▽. *li*

▽. lilior. convall. aa. ℥ij.
Salis volat. oleos. cinam. ʒj.
Spir. ✱ci ℈j.
Syr. cinamom. ℥ß. m∫.

Detur cochleatim.

Vel ℞. *▽. cinamomi* ℥ij.
Elix. vitæ Matth. ℥ß.
Sal. vol. ol. cinam. ʒß.
Sal. vol. viperarum ℈ß m∫.

Detur cochleatim.

Qualia ∫yncope in hy∫tericis requirat, dabit titulus de Suffocatione uterina; ac quæ in Febribus ardentibus po∫t ∫udores excitatam lipothymiam fugare valent, ∫uo titulo tradita extant.

Si à Ven. ∫ectione lipothymia oriatur, imponatur patiens ∫upinus in pavimentum, & labia ejus ∫ale fricentur, vel nares ei comprimantur.

Sed dantur nonnulli, qui ∫anguinis emi∫∫ionem quidem bene tolerant, aut dum ∫olvitur ligatura, & vulnu∫culum occluditur, in lipothymiam incidere ∫olent: his ∫ubvenitur optime *ju∫culo ante Ven. ∫ect. propinato.* Aut qui huic affectui ∫e obnoxium ∫cit, non ∫ibi venam ∫ecari curet, ni∫i dor∫o incubans.

Quibus *à nimio men∫ium fluxu* ∫yncope familiaris, illis conducit *mixtura Sylvii*, de nimio men∫ium fluxu tradita.

In Diæta Cibi sint optimè restaurantes & nutrientes, juscula caponum, gallinarum &c.

Potus vero sit vinum generosum.

Tussis.

Est Thoracis sive organorum respirationi inservientium motus convulsivus, quo circulans natura contractione & propulsione forti, excutere nititur id, quod suo dominio elapsum subsistit: unde simul propulsus inspiratus aer, vi repercussus, sonum edit varium, & diversum, pro majori vel minori motu differentem.

Subjectum sive pars affecta sunt nervosæ membranosæ, organorum respirationi inservientium partes.

Signa notissimi hujus affectus, etsi per se sint manifesta, neque pluribus specialius indigere videantur: tamen & Subjecti & Causæ cognitioni exactiori, paulò intimius trutinata, haud minimam possunt fœnerari lucem.

Differt enim *tussis* non solum *afficiendi modo*, sed & *subjecti & causæ ratione*.

Afficiendi modo differt humida à sicca, vel convulsiva; eademque & ratione causæ à se distat; sicuti de causa monetur.

Subjecti ratione differt, quando hæc in specie pars præ alia exercetur: Aliquando namque magis pulmones: aliquando magis aspera arteria, vel larynx: & non rarò remotiores respirationi inservientes partes, (quibus plures stomachum adjiciunt,) afficiuntur.

Pro differentiis his, distinctivis utique opus est signis.

Pulmonem verò, vel asperam arteriam, aut laryngem affectam esse, respirationem normam ponunt Practici: Si namque æger jubeatur fortiter respirare, ac de subito tussire incipiat, vitium in pulmonibus latitare, volunt, vel & aspera arteria.

Secus fieri dicunt ubi stomachus causam fovet: tum enim nullam excitari tussim, sustinent, etsi æger fortiter respiret.

Quid de *differentia*, quam Authores *inter Tussim pectoralem, & stomachalem* ponunt, sententiam, hæreo: vix tamen mihi persuaderi patior, stomachum unquam Tussis existere immediatum subjectum: cum enim hujus cum respiratione haud adeò proximum intercedat commercium, ac præterea ab acrioribus succis ad singultum, atque vomitum concitari saltem observetur: hinc causam quidem continere, & continuo transmittere posse, non tamen tussim immediatè excitare credo, etsi *Lindanus* tantopere hoc urgere videtur.

Accedit quod etsi præsente Tussi humida, non raro etiam stomachus gravativè doleat, utque sic Tussis pectoralis cum stomachali jungi videatur, atque tum complicatam Tussim credant: tamen videntur mihi præter necessitatem hic multiplicarentia: cum stomachum, etsi causam transmittere, tamen, ut dictum, Tussim immediatè haud excitare, mihi persuasum habeam.

Non enim me movent ab eis adducta phænomena, vomitus, anorexia, irritationis locus &c. cum hæc semper ferè præsente tussi catarrhali præsto sint; fortiori etiam Tussi stomachus per consensum non rarò convulsus, ac camarina quasi commota, contenta sua rejiciat, & vomitum, vel vomendi saltem conatum instituat.

Manet itaque non rarò stomachus subjectum quidem causæ, sed non ipsius affectus, aut Immediata pars affecta.

Causa Immediata est organorum respirationi inservientium *convulsiva subitanea contractio* magna cum vi aerem inspiratum repellens, ac cum subitanea vehementi tali exspiratione, & inspiratione momentanea, tussim excitans.

Mediata Proximior pro humida, vel sicca Tussi variat.

Humidam in genere fovet *lympha in sua* cir-

circulo sufflaminata, *crassa*, *acris*, stagnando sua vasa perrumpens, irritansque ac pungens, veluti spina infixa, à circulante natura ad exium stimulata, contractionem & tussim instituens.

Siccam verò Tussim excitat fluidum nerveum particulis disproportionatis acrioribus turgidum, hinc à suo libero motu sufflaminatum, convulsivosque motus saltem instituens, in prædictis organis.

Idemque hic accidit, quod in naribus, ubi acriores particulæ vel cum vel absque materiæ copia vellicantes, ac pungentes, sternutationes excitant vel humidas, vel magis siccas: aut stomacho, ubi singularis fluidi nervei interceptus motus singultum instituit, vel vomitum.

Præmissis his plures ex *Remotioribus* causis pondus addunt: & *ex Naturalibus rebus* quidem ad Tussim disposita admodum existit *Temperies* circulantium humorum humoribus crassis, lentis, minus mobilibus particulis constantibus, originem debens: *quali* ut plurimum *Pueri, & Senes* præditi degunt. Ubi tamen non immunes prædicamus eos, qui acrioribus succis refertos habent circulantes humores.

Ex Nonnaturalibus rebus Aer frigidus, vel peregrino alio æthere, acido, coagulante, turgidus, familiaris existit occasionalis Tus-

sis causa: quemadmodum hyemali, autumnali, vel vernali non solum tempore, sed & alio, epidemico charactere notato, accidit: ac insuper *fumus sulfuris acidus copiosè attractus*, quemcunque docere poterit pro lubitu.

Quid *esculenta*, *& Potulenta* hic queant, nemini ignotum existit, sic *nimium salita*, *acida*, *acria*, *cruda*, satis aptum generant pabulum, pro generanda lympha crassa, coagulationi leviter obnoxia, hinc Tussi excitandæ disposita, &c.

Quantum *aquæ frigidæ ingurgitatio* noceat, quovis hyeme experiuntur pauperes. Et quid *acidus limonum succus* hic valeat, experti fuerunt plures, tempore Pestis tali succo acido quotidiè assumto, se præservaturi; qui etiam Phthisin ultrò sibi contraxerunt.

Ex Præternaturalib⁹ Reb. plures dantur morbi, quos Tussis presso pede sequitur, & quidem proprio *pulmonum vitio* excitatur, *quando sunt vel erosi*, *obstructi*, *absumti*, *&c.* ut in Phthisi, Pleuritide, calculosa dispositione &c. vel partium aliarum labem luunt, utpote *si glandulis in aliis partibus corporis*, *obstructis*, *lympha nimiâ copia eos obruit*: vel quando stomachus ruditatibus turgidus, acidum rudem chylum, hic crassum sanguinem, & is denique non meliorem lympham communicat.

Prognosis nobis nunc sistit affectum haud

sem-

ſemper quidem adeo periculoſum, attamen nunquam ferè omninò tutum: quippe Tuſſim occultæ foveæ inſtar ſe habere *Hertodt in ſua Crocologia ait*, in quam plures dum ſecuri & nullo de malo ſolliciti, non raro impingunt.

Minori tamen involvitur periculo Tuſſis levis & recens, quam vehemens & inveterata, utpote quæ raro periculo vacat; *niſi pulmonum optima compages & textura*, circulantis naturæ, impedimenta removentis, conatum laudabiliter ſuſtineat, & *absque detrimento proprio ferat*. Dantur namque aliquando homines qui longo tempore tuſſi moleſtantur, neque tamen ſemper quid detrimenti inde capiunt.

Quæ ab externa dependet cauſa Tuſſis, reliquis ferè curatu facilior extat.

Si vero homines corripit, debili pulmonum textura præditos, ac ſuccis acrioribus gaudentes, facillimè Phthiſin accelerare poteſt.

Capiti etiam & oculis ſatis eſt infeſta: ac *gravior* vel ferina facillimè *herniam tam infantibus quàm adultis; prægnantibus* vero *abortum* cauſare potis eſt.

Vitio lymphæ in pulmonibus ſæpius ſtagnantis, & nocturno præſertim tempore magis affligentis, ſequela non raro ſolet eſſe Phthiſis.

Quæ ex partium aliarum conſenſu exoritur, ſublatis illis cauſis ceſſare ſolet, ſive ſit convulſiva ſive humida.

Sic-

Sicca si est Tussis, ob sanguinis in Pulmonibus stagnationes, vel *ob concretiones calculosas, argillaceas &c.* ferê incurabilis existit, vel Hecticam induci denotat.

Sic & Tussis quando humida ab initio fuit, subito vero in siccam degenerat, cum pectoris gravitate, periculosa est, & exulcerationem minatur.

Senes etsi cum Tussi aliquando inducias, nunquam tamen firmam pacem inire queunt.

Et quicunque ante pubertatem ex asthmate ac tussi gibbum sibi contrahunt, teste *Coo, aph.* 46. *S.* 7. præmatura morte pereunt.

In *Curatione* causæ, & loci hanc mittentis respectus habeatur: *notetur* etiam *an Tussis sit accidentalis*, qualis est *Phthisicorum, Pleuriticorum, Hydropicorum &c.* de quibus suo loco: vel *an* sit *essentialis* sive morbus primarius: item *an sicca an humida &c.*

Si humida est Tussis, & in primis viis causam latentem agnoscit, quod ex nausea, anorexia, &c. aliquando apparet tum commodè præmittitur laxans aliquod, v. g.

℞. *Flor. Senn. el.* ℥j.
Flor. farfar.
Herb. veronic. aa. m. j.
Rad. helen. ℥ß.
liquirit. ras. ʒij.
Di♁iati ʒiß.

Inci-

Incisis & contusis affunde ▽æ ferventis ℔iiß. Infusione facta propinetur bis de die haustus calidè.

Si vero jam lympha in pulmonibus stagnet, & ob nimiam tenacitatem ita expedite rejici haud queat: tum ad attenuantia & expectorantia confugiendum: Propterea que

℞. ▽. *hyssopi.*
veronic. essentificat. ãa. ℥ij.
Oxymell. squillit. ℥j.
Syr. de farfara.
Nicotiana. aa. ℥ß. mſ. Detur cochleatim.

Vel ℞. ▽. *hyssopi, menthæ aa.* ℥ij.
asthmatic. ℥j.
Oxymell. squillit. ʒvj.
Syr. veronic. ℥ß. mſ. Detur cochleatim.

Si lympha stagnans hisce vel similibus videtur satis promota, & evacuata, tum in usum veniant ea quæ irritationem inhibere, & tussim frustraneam suspendere apta sunt. v.g.

℞. *Syrupi de Farfara.* ʒij.
Balsami ☿ialis, sive 🜍is anisat. gutt. x. mſ. pro dosi sæpius reiteranda.

Vel ℞. *Syrupi de Farfara.* ℥ij.
Flor. 🜍. ʒij.
Benzoi ℈ß.
Helen. pulveris.
Irid. Flor. pulveris. aa. ℥ß.

Balſ.

Bals. ♁.
Peruvian. aa. gutt. xv.
▽. *asthmat.* q. s. ut fiat Electuarium.
De quo sæpius sumatur magnitud. castaneæ.

Si lympha magis *tenuis & acris Tussim fovet,* tum acrimoniam corrigentia, sive incrassantia vulgo, veniant in usum: inter quæ *Opium aliis palmam* sanê *præripit; Cl. Wedelio teste, qui in sua Opiologia* vix Tussim cito, tuto, ac jucundè sine opiatis tolli posse asserit. Propterea

℞. ▽. *menth.*
hyssopi.
Fl. papav. err. aa. ℥ij.
Tinct. anodyn. gutt. 40.
Bals. ♁*ial.* gutt. 20.
Syr. papav. errat. ℥ß. m. s.
Detur cochleatim: vel pro 3. dosibus, noctibus tot sumendis.

Vel ℞. *Spec. diatrag. frig.*
Diaireos simpl. aa. ʒij.
Rad. pæon. pulveris. ʒj.
Cranei human. phil. calcin. ℈j.
Sulfuris alcalisati. ʒß.
Croci orient. ℈ß.
Extr. opii gr. iij.
Sacchari penid. ℥j. m. s. fiat Pulvis.

Præter hæc *Sperma Ceti* in Tussi sicca nocturna insignis est effectus temperando lympham acrem catarrhalem &c. Sanguinisque lentum circulum promovendo.

Cl. Lu-

Cl. Ludovici aliis præfert Pulverem suum Pectoralem ex

♀is puri.
Rad. ireos pulveris.
aron. pulveris. aa. ℈j. quibus in hoc passu addo
♁. diaphor. ℈ß.
Laud. op. gr. v. m∫. Detur pro 4. dosibus.

Pulverem illum *Cl. Ludovici* prodesse in affectibus pectoris à lympha acriori oriundis, & *cum opio* maritatum, mederi tussi catarrhali, cum *antihectico Poterii*, Hecticæ &c. *Cl. Ettmüller comment. Ludovic. p.* 146. *asserit.*

Si ab aere frigido admisso Tussis dependeat, conducit optimè *Spiritus vini cum Saccharo candi* ac *ficubus* combustus, cum quo si guttulas nonnullas *Balsami* ♁. propines, eo præsentaneum magis dabit effectum.

Si Tussis sicca diutius affligere velit, ac phthisin minari, bibatur Decoctum hoc vel simile, v. g. in lympha magis acri & tenui,

℞. *Radic. Chinæ* ℥ij.
Plantagin. ℥j.
Glycyrrhiz. ras. ℥ij.
Flor. Rosar. r.
Papav. errat.
Violar. aa. mj.
Passular. major. exacin. ℥iij.

In-

Incisa & contusa coque in s. q. ▽æ fontan. Colaturæ ℔j. adde *Syr. papav. errat.* q. s. ms. detur mane, à meridie & vesperi bonus haustus.

Si lympha magis crassa & tenax,

℞. *Ligni Sassafras raspat.* ℥ij.
Radic. enul.
Ireos Flor.
Liquirit. aa. ℥j.
Herb. marrub.
Veronic.
Flor. tussilagin.
Summit. hyssopi aa. m. j.
Sem. anisi ʒij.
Passular. major. ℥iij.

Incisa & contusa coquantur in s. q. ▽æ font. Colaturæ: addatur pro ℔j.

Syr. de hyssopo ℥ij.
Veronic. ℥ß.
Aceti squillitici ℥j. ms. Bibatur ut prius.

In Tussi alia ab initio sicca, postea lympha magis incrassata, humida facta, expectoratu tamen difficili, quemadmodum in Febribus non raro accidit, vel infantes molestare solet, aut senes, conducit admodum *Oleum amygd. dulc.* vel cum *Spermate ceti*, vel per se sæpius, *aut Syr. de hyssopo* remixto, propinatum. v. g.

℞. *Olei amygd. d.* ℥j.
Sperm. Ceti non rancid. ʒj.

Syr.

Syr. violar.

Hyssopi aa. ℨj. ms. detur cochleatim.

Senibus exhibetur optimè cum cerevisia calida, tam *Sperma ceti*, quàm *oleum amygd. d. Sperma ceti* ad ℨj. *cum olei amygd. d.* ℥j. jungendo.

In *Diæta* quoad cibum *vitentur* omnia *acria & salsa.*

Potus semper sit calidus. In acrimonia verò lymphæ fiat *Decoctum* ex *hordeo cum passulis & liquiritia* pro usu ordinario.

In ejus verò tenacitate fiat *Decoctum ex helenio, fœniculo, aniso, fl. tussilag. Summit. hyssop. veronic. &c.*

Variolæ.

Sunt pustulæ cutis, & non rarò partium internarum, saniosæ; à circulantibus humoribus singulariter dispositis, mediante peregrino æthere singulariter disproportionato & coagulante, à sua debita textura & mixtura inversis: hinc Febrem ardentem, cum suis variis phænomenis, capitis videlicet dolore, siti &c. item aliquando vomitu, tussi, respiratione difficili, vigiliis, vel similibus symptomatibus,

 indu-

inducentibus ; inductum verò hostem disproportionatas coagulantes, acidas particulas videlicet propellendo, & ad peripheriam corporis rejiciendo, cutem erodentibus; ob materiæ vero crassitiem, non ita subitò rursus cedentibus, sed per tempus ad maturationem requisitum, eam non rarò saltem defœdantibus, aut in genere sub hoc onere succumbendo, ad interitum deducentibus, exortæ.

Subjectum sive ipsa pars affecta, *non aliquando sola externa corporis superficies* sive cutis est, *sed & partes internæ, fauces*, & non rarò ipsi *pulmones*, aliaque viscera interna variolis obsidentur, *Platero*, *Hildano*, *Bartholino* &c. testantibus.

Signa quod concernit præsentes variolas indicantia, nemo est qui ea non cognoscat.

Imminentes verò *præsagire difficilius paulo est*, cum phænomena cum aliorũ morborum symptomatibus admodum conveniant, ac cum Febre ardente aut maligna ferè eadem degant.

Sola ergò suspicio oriri potest, *si æger* sequentibus symptomatibus correptus, *infans sit*, *vel & adultus variolas nondum expertus*; ultimusq; hic post terrorem ex variolis laborante, conceptum, subitò post, symptomatibus solitis corripiatur.

So-

Solent verò, antequam erumpant variolæ, *præcedere* ob alteratam massam sanguineam, & à sua textura inversam, ac circulationi resistentem, *febrilis calor & pulsus*, quandoq; *cum horripilatione præcedente*, insequente simul *lassitudine dolorosa*, & languore universali, ob massam sanguineam in universum alteratam, & à sua textura ordinaria singulariter inversam & coagulatam.

Ob spicula verò, in membranosas, nervosas partes fortiter impingendo, *infestant simul dorsi dolor, nausea, vomitus, cephalalgia, vigiliæ, tussis, respiratio difficilis* &c.

Ac fluido nerveo simul affecto, & particulis quibusdam heterogeneis adulterato, *tremores, convulsivi motus*, non raro se admiscent.

Ob lympham vero incrassatam, sitis, *alvus obstructa* &c. comitantur.

Solent verò quibusdam enumeratis præmissis, *variolæ* primò *apparere, circa diem secundum*, ac tum sensim erumpere, ita ut quarto die toto agmine nunc egressæ se sistant.

Circulantis naturæ motum, ad ambitum corporis, sibi disproportionatas particulas, propellentem, denotant *pruritus in cute cum punctionis sensu in universo corpore*: sic *Oculi dolere & rubere lachrymarique incipiunt* : *Nares pruriunt* : *Aures tinniunt* : Pandiculationes & oscitationes se jungunt : *Raucedo*, in collo simul prorumpentibus, accedit: & quæ sunt

ſimilia propellentis, & hoſtilem ſeparatam materiam rejicientis, circulantis naturæ motum ſignificantia phænomena.

Differunt verò inter ſe variolæ *pro ratione materiæ magis vel craſſæ, vel tenuis aut acris*: unde & magis vel benignæ, & malignæ aliquando exiſtunt.

Sic ſi materia magis tenuis eſt & ſeroſa, noſtrates vocant Waſſerblatern. Si eſt magis acris neq; adeò copioſa, tum acuminatam præ ſe ferentes faciem, Spitzblatern appellant: Sed ſi materia copioſa & craſſa majores efformat variolas, quæ aliquando confluunt, & copioſam ſaniem fundunt, tum adeſſe dicunt die Fließ-Bocken. Atque ſic pro ſubjectorum, ac circulantium humorum diverſitate, diverſa exoriuntur facie.

Differunt verò à variolis Morbilli, & materiæ minus craſſæ, & cauſæ ſingulariter diſpoſitæ ratione.

Aliquando enim graſſantur variolæ nullis præſentibus morbillis, & contra: atque ſic differunt & materia & fiendi modo: etſi plures ſint, qui hos affectus à ſe differre vix ſibi perſuaſum habeant.

Probabile verò eſt, paulo aliter ſe habere oportere peregrinum ætherem, quando circulantes humores variolis, quàm ſi morbillis ſaltem generandis adaptat & diſpoſitos reddit. Sic

Sic *nec à morbillis immunis eſt, qui variolis nunc laboravit, & contra*; ſingularis ergo occurrit ætheris peregrini diſpoſitio, tam pro variolis, quàm morbillis generandis.

Cauſa Immediata eſt *circulantium humorum textura* & mixtura *ſingulariter inverſa*, unde plures ſeparatæ, & præcipitatæ, ſuis venarum canaliculis minimis haud amplius reſpondentes, particulæ, omninò diſproportionatæ, à circulante & propellente ârteriarum fortiori motu eliminari neceſſe habent, unde Febris, & omnia alia ante enumerata phænomena ſuam trahunt originem.

Proximiorem cauſam quod concernit, de ea *in varias abeunt ſententias Autores.*

Omiſſis verò magis nunc exploſis, *ſanguinem ſcil. menſtruum* in fœtus alimentum abſumtum & vitioſum ſuſtinentibus; ſaltem hanc attingam recentiorum mentem, quando *credunt*, in genere *ab alimento in utero* materno hauſto *lacteo accidere poſſe, ut hujus plures particulæ in his aut illis vel ſolidarum partium tubulis, vel glandulis, per tempus ſtagnent & deliteſcant*, & longum aliquando poſt tempus, ſingulari adveniente æthere, commotæ, ex ſuis latibulis prorumpant, & fermenti inſtar totam maſſam ſanguineam invertant; & variolis generandis diſpoſitam reddant.

Sed quis credat, particulas tales (quas acidas, coagulantes, acres, corroſivas eſſe neceſſe eſt,)

 tam-

tam diu hos vel illos tubulos obsessos posse tenere, absque tubulorum illorum detrimento.

Vel si non acres, acidæ aut similis texturæ esse præsupponantur, an tamdiu in partibus solidis aut earum tubulis delitescant, quin vel in ipsam substantiam, aut aliam formam solidam obrigere queant?

Accedit quod circulans natura vias & tubulos etiam omnium corporis partium maximè sibi pervios requirat: neque ullus omnino tubulus materiam quandam, quæ non in ejus substantiam obrigescit, absque circulatione & mora ferat; *quin subitò eam insequente semper alia* à circulante sanguine propulsa *protrudat*, vel omninò stagnantem illam materiam, absque indignatione diu ferat, quin dolore, tumore &c. locum notet, quam parva etiam stagnantis materiæ sit quantitas, & quàm angustus etiam tubulus existat.

Circulans natura, sive sanguis circulans, nil sanè moram nectere patitur in universa corporea machina, sed omnes tubuli, quam minimi etiam sint, nil continent, nisi quod ab ejus circulante motu adductum, & insequentibus semper aliis particulis propulsum fuit: nisi in ipsam substantiam & nutrimentum appositum obriguerit, vel in corpus planè præt. naturale nunc degenerarit, aut conformationem vitiosam induxerit. Ut adeò delitescen-

tis

tis talis fermenti, in universa corporea machina, vix imaginari mihi queam domicilium aut locum, ex quo à circulantis naturæ motu tot aliquando in annos immobile & intactum delitescat, propria sua textura & energia conspicuum.

Causam ergo ipsam Proximiorem credo in genere ipsos *constituere circulantes humores, singulariter dispositos.* Quemadmodum enim Febres plus malignæ, ardentes excitantur, sanguine horum nunc ab eo, qui in infantia vigebat, longè recedente: Sic *in infantia, sanguine ex lacte*, materiâ mutationi leviter obnoxiâ, *constante*, æthere peregrino singulariter disposito, *facillimè ita inverti potest, ut variolis* &c. aptum præbeat pabulum, plus quàm pro Febre ardente aliâ absque materia in pus convertibili excitanda.

Et licet adultiores plures, vel *seniores*, afficiantur, *nullo amplius lacteo nutrimento utentes* ac nutriti: tamen depravata alia victus ratio materiam talem, sive nutrimentum circulantibus humoribus afferre potest, quod singulari advecto æthere, variolis aptam materiam tam suppeditare, quàm in aliis, aliter dispositis, Febri ardenti aut malignæ, absque talibus exanthematibus ansam ministrare potis est.

Duas in genere quæstiones movere solent Autores, videlicet, quomodo eveniat, *quod* 1. *nonnulli nunquam variolis infestentur.* 2. *quod quidam eas passi, nihilominus secunda* aut tertia &c. vice iisdem corripiantur.

Respondeo: eandem esse cum Febribus malignis rationem.

Non enim semper hujus subjecti circulantes humores, cum illius, quoad constitutiva aut texturam, conveniunt; cum enim ipsi, qui variolis afficiuntur, non solùm eas pro ratione circulantium humorum differentes experiantur, sed & modo diverso afficiantur, dum alii gravius, alii longè leviùs illis præsentibus degant: Quidni & circulantes humores ita constituti poterunt esse, ut similiætheri peregrino alterabiles existant?

Alteram quod attinet quæstionem, eam *Fermento in hoc aut illo tubulo stabulanti, nec radicitus exstirpato*, vel ob neglectam curam in tubulis nonnullis relicto, *vulgò adscribere solent recentiorum plurimi.*

Sed unde Febrium ardentium, aut aliorum morborum, non rarò intra tot annos denuò recrudescentium insultus novi? (de recidivis, proximè cedenti priori malo insequentibus, aliter se res habet, nec subtilitate indiget,

diget, ut ratio inveniatur:) ſanè *non à fermento aliquo relicto*, ut ſupra breviſſimis evictum, *ſed à noviter vitioſis redditis*, & adveniente diſpoſito æthere, *inverſis* denuò circulantibus *humoribus*, dependent.

Et quemadmodum hæ Febres, à nova ſubſtrata materia hominem aliquando, aliquoties, intervallis longis, corripere ſolitæ ſunt; eâdem ratione variolæ non ſolùm in infantia, ſed & ſenili ætate homines afficere queunt.

Quale exemplum modò, dum hæc ſcribo, præ manibus eſt, ubi *honeſtus vir, quinquagenario major, curæ meæ ſubeſt*, qui variolis latè ſerpentibus, maximis etiam citò erumpentibus, ac lympham acrem ſubflavam plorantibus, ac ſub cuticula abſcedente denudatam carnem offerentibus, (non aliter ac in recens natis aliquando obſervari ſolent, à mulierculis ſaltem Haut Blaſen vocatæ,) aliis tamen copioſis intertextis ſaniem fundentibus, excruciatus nunc reconvaleſcit; qui in ſua infantia etiam malum hoc expertus, veſtigia in facie ſatis evidentia ob oculos ponit; interea verò Febre ardente etiam ſatis graviter, multos ante annos, tempore inter variolas in infantia ſcil. & ſenilem hanc ætatem intermediato, decubuit: certo argumento tum temporis, quo Febre ardente correptus fuit, talem circulantium humorum diſpoſitionem non

 ad-

adfuisse, quæ pro variolis excitandis materiam aptam suppeditare potuerit: & contra.

Præter enumeratas causas dantur etiam *Remotiores* nonnullæ, quæ variolis ansam suppeditare queunt. Et *ex Naturalibus* quidem Rebus primò circulantium humorum *Temperies* se sistit; hæc namque *particulis chyli lacteis, crassis, viscidis*, sibi non ubique cohærentibus, aut firmiter connexis, constans, leviter accedente motore, peregrino æthere, huic malo subjacet; & inde est, quod ætate minores, sive infantes, plus hoc corripi soleant malo, quam adulti aut senes, circulantes suos humores firmiores nunc nacti.

Ex Nonnaturalibus verò rebus famosus hic est æther peregrinus, mediante aëre advectus, vere & autumno familiarior; unde non in hunc aut illum saltem parvulum, sed & per tot regiones & urbes non raro grassantur variolæ.

Formale vero *ætheris hujus peregrini in corrosivo videtur consistere acido volatili*, aëri facillimè sociabili, mediante verò eo, dissitis etiam locis communicabili: & non tantùm circulantibus humoribus advecto, sed & transpiratione insensibili aut exspiratione, rursus reddito, & aëri denuò communicato.

Cibum & Potum quod concernit, credo non solùm aliquando hic *peccare infantem ipsum*, sed *& ipsam matrem, cibis variis crudis* pravi

succi

ſucci ſe replentem, & non melius lacteum nutrimentum *infanti ſic communicantem* : vel & infantem ipſum voracitati deditum, & depravata alimenta ingurgitantem: atque ſic malum plus ad minimum aggravantem, poſt ablactationem.

Ex reliquis *Nonnaturalibus rebus* ſuum quoque non contemnendum ſymbolum huc conferre videtur ſufflaminata inſenſibilis tranſpiratio; &

Ex *Præternaturalibus rebus* hanc fovens pororum coarctatio, aut naturâ, aut externa quadam cauſa excitata. Et inde eſt, quod *æſtate minus periculoſæ exiſtant variolæ*, quam hyeme, vel autumno.

Prognoſin quod concernit, notandum, quod, cùm à Febribus acutis in paucis ex accidenti differat hoc malum, eadem prædictio ſalutis & mortis, quam *Hippocrates* in acutis haud omninò certam eſſe aſſerit, ei competat.

Percurremus tamen plura hujus morbi phænomena, & quantum ſpei aut periculi ſubſit cuivis, notabimus.

Ea *quæ eruptionem antecedere ſolent* gravia ſymptomata, *convulſiones* ſunt, *vomitus* &c.

Illas absque periculo ſæpius adfuiſſe, & plerumque adeſſe, Practici notarunt: ſed poſt eruptio-

eruptionem persistentes mali esse ominis insuper observarunt.

Hunc, *vomitum* scil. *tolerabilem variolarum cursum indicare, post eorum verò excretionem recrudescentem, variolarum regressum denotare*, experti fuerunt.

Idem experitur fatum *Diarrhœa*, hæc enim *in augmento & statu variolarum* etiam *regressum* procurans, funesta plerumque deprehensa fuit.

Febrem, sive circulantis *sanguinis fortiorem motum*, quod concernit, *si magnus hic sit ab initio, cum copiosa variolarum excretione, bonum;* sed si propulsio fortis quidem existat & intensa, paucis interim pustulis protuberantibus, pessimum præbet indicium: denotat enim talem materiæ variolosæ crassitiem, quæ poris cutis penetrandis major extat.

Non etiam *vacat periculo febrilis motus, qui post variolarum eruptionem haud multum remittit.*

Neque minori subjacet, *si Febris citius remittit*, antequam materia variolosa legitimè fuit expulsa.

Pustulas ipsas quod concernit, si citò egrediantur, & post eruptionem statim appareant albæ, molles, symptomataque reliqua sint mitiora, rem in salvo esse denotant.

Sed *si tardè erumpant, aut quæ uno die erumpunt, altero die rursus disspareant*, periculo haud

haud carent: nisi legitima methodo expellantur.

Pessimæ etiam sunt *lividæ aut nigræ*, vel si depressæ punctulis rubris in medio notatæ existunt, *aut post eruptionem statim marcescunt*: Denotant enim tam materiæ malignitatem, & acidi corrosivi copiam; quam circulantis naturæ motum admodum sufflaminatum, & ad omnimodam stagnationem tendentem.

Hæmorrhagia narium ante, & in ipsa eruptione accidens, *variolarum quantitatem imminuit.*

Tussis cum materiæ rejectione levi, melior est eâ, quæ sterilis existit.

Respiratio verò difficilis, suffocativa cum voce rauca pessima est; cumque siti deficiente, & *appetitu post eruptionem haud redeunte* eidem *periculo subjacet.*

Si interiores afficiuntur partes, metum phthiseos, anginæ, dysenteriæ &c. injiciunt.

In genere *adulti majori subjacent periculo*, quando variolis laborant, quam infantes, & hoc quidem ob pororum angustiam, & majorem cutis densitatem, cui perrumpendæ & in pustulas attollendæ majori & longè fortiori propulsione circulans natura indiget, quam in infantum illa tenella adhuc, & lubenter cedente cuticula: sub quo onere sæpius succumbit.

Morbilli etsi breviori tempore septimo plerumque die terminari soleant, ubi *variolæ quatuor-*

tuordecim diebus indigent pro ordinario suo termino, sæpius tamen gravioribus symptomatibus sunt stipati variolis.

Ad *Curationem* devolutis *duplex* se sistit *Scopus*; primus *Præservatorius*, alter *Curatorius*. Curatorius plures sub se habet alios.

Præservatoriam quod concernit intentionem, non hæc eo se hic extendit, ut quemvis etiam dispositum, dato peregrino æthere, salvum præstet: hoc arti ferè impossibile.

Interim tamen *tantùm valet, ut etiam dispositus longè tutiorem & leviorem experiatur variolarum cursum*, quando obstacula antea malum aggravatura removentur, quam quando ubique disposita sanguinis lactea, vel lymphatica pars intacta relinquitur, & acescentiæ leviter subjecta, ac hinc præcipitationi facillimè obnoxia, ætherique peregrino maximè alterabilis existit.

Huic verò facillimæ alterationi subjectæ sanguinis lacteæ parti occurritur, tam quantitatem minuendo, quam leviter acescentia qualia corrigendo, & præcipitationi eripiendo.

Hoc verò optimè præstatur primo statim in initio, *quando infantes queruli esse incipiunt*, nullis adhuc variolarum indiciis præsentibus, ☿*io dulci*, *cinnabari* ♁*iali* &c. utpote lymphæ acescentis acris insignioribus correctivis.

Con-

Confirmationem suggerit *Grassius Misc. C. Ann.* 72. *Obs.* 57. Observavi, inquit, *☿ium dulcem*, si detur in morbi suspecti principio, vel præservasse planê, etiamsi alii in eadem domo variolarum malignitate torquerentur: vel saltem à nimia eruptionis abundantia liberasse. *Filia mea decennis* variolas minabatur, *refrigeratione extremorum*, subsequente *incalescentia totius*, *dolore capitis*, *nausea*, *ventris torminibus*, & *doloribus vagis extremorum*, malum insuper erat communiter vagans. Tum primum suasu nauseæ, contra suasum Medicorum, evacuantia horrentium, dedi ☿. *dulcis* ℈j. cum *scammon.* 🜍*rat.* gr. iiij. dejecit ter, sub vesperam vomuit enormiter, dormivit quietissimè, & sine partu variolarum evasit.

Paulo post Puella 8. annorum, præcedentibus sparsim & sine Febre variolis, antequam sanarentur, corripiebatur inde *dolore capitis*, *oculorum* & *dorsi dolore* &c. ut ab omnibus judicaretur parturire variolas veras; dedi, etiamsi in primo principio non adessem, tamen idem remedium, cum tanto juvamine, ut paucissimæ erumperent.

Etsi verò ☿ius dulcis pro prima ea intentione sufficere videatur: tamen cùm expertum sit, vomitum in principio per se obortum morbi cursum tolerandum reddidisse, semperque eventum bonum denotasse: hinc nil obstat, quo

quo minus *vomitoria*, vel pro præservatione ante omnem suspectionem etiam, vel signis variolarum suspectionem præ se ferentibus cum nausea præprimis & vomendi conatu combinatis, hic cum aliis commendem.

Adstipulante *Cl. Ettmüllero*, qui tantopere commendat usum pulveris *epileptici* ☿*ialis*, in principio statim exhibiti, sæpe in tenellis vomitum, cum insigni effectu, excitantis, expulsionem adjuvantis, & alia graviora symptomata præcaventis.

Confirmat & *Cl. Sydenhamm*, qui reiteratam purgationem, sanguine nondum inquinato, subsequentes variolas laudabiles & distinctas reddere asserit.

In principio ergò his succurrendum, minimè verò, quando jam apparere variolæ aut morbilli incipiunt, tum etiam nec clysterem tutum esse, *Frid. Hoffmannus Mat. M. ut &* alii contendunt.

Restat aliud huc spectans præsidium *Ven. Seicto.* An hæc a variolis præservet, vel saltem cursum securiorem reddat, plures sunt Practicorum opiniones: dum alii admodum eam commendant, alii ceu periculosam rejiciunt.

Etsi vero per se malum haud semper restinguat, tamen ex accidenti aliquando necessaria admodum est: & constitutionis regionisque saltem respectu requiritur.

Omni-

Omninò verò convenire videtur in adultis *angustioribus poris ob cutis densitatem* præditis. Quoniam enim in illis præcipitatæ & nexu suo solutæ, ac per poros eliminandæ aut rejiciendæ particulæ, ob disproportionem cum poris, ægrè penetrant, atque sic utplurimum circulationem sensim omnino sufflaminando ægrum obruunt: hinc admodum convenit statim ab initio, *in* illis præcipuè *plethoricis*, *quantitatem minuere*, *ut* sic *quietius agat pressio*, & propulsio circulantis naturæ.

Neque etiam variolis nunc præsentibus à Ven. sectione aliqui abhorrent. Sic *Riverius* præcipit, ut, *si peractâ variolarum eruptione Febris non minuatur*, *sed valde urgeat*, *Venæsectio instituatur*: quo sic relictæ præcipitatæ particulæ, poris penetrandis indispositæ, hac via minuantur.

Quoties ergo urgent symptomata, delirium, angina, lethargus, dysenteria &c. jubet *Caldera*, ne nimis timidus Medicus fiat, neque vero ex Ven. sectione variolarum retrocessum timeat. Rationem experientiam confirmare ait, qua post Ven sectam in variolis, sedato sanguinis fervore, (forti pressione,) humorem melius à natura coqui, & in pus optimum converti observarit: ut ille suo modo vererano loqui amat.

Et *Riverus* in paulò grandioribus pueris unicam Ven. ſectionem interdum non ſufficere, ſed illam, ſi delirium aut aliud grave ſymptoma urgeat, & Febris intensè perſeveret, reiterandam eſſe monet.

Hac ratione factum eſſe *Rolfinc. de Febr.* refert, quod Chriſtianiſſimo Regi, vix pubertatis annos egreſſo, variolis laboranti, Archiatrorum Comes, conſentientibus omnium ſuffragiis, ſanguinem aliquoties ex vena mitti imperarit.

Sicque ſervati Regis, & Regni conſervati gloria Ven. ſectioni & Medico adſcripta fuerit.

Refert porro, *Archiatros Hiſpanos* in Ven. ſectionem pronos, ſuo Regi infanti variolis laboranti, non unam ſed plures ſecuiſſe venas.

A Ven. ſectione ergo *inchoandum eſſe*, *Riverius vult*, ſi ſanguis aliquatenus redundet, ætasque ægrotantis ferre poſſe videatur: & quod adjicio, Regio conſentiat, & inde dependens circulantium humorum diſpoſitio: quali *Galli*, *Itali*, *Hiſpani*, ſubtili æthere aut vino etiam nutriti, gaudent.

Primo tamen ſtatim *ſub inſultu eam celebrandam eſſe* monet, *vel quando adhuc paucæ apparent*, uſque ad quartum diem, ſi primo morbi die Medicus vocatus non fuerit.

Dili-

Diligenti tamen cautione opus esse ait, *ne, si*, pustulis erumpere incipientibus, *Febris minuatur*, & symptomatum remissio sequatur, *ea instituatur*: sed tum naturæ circulanti negotium relinquendum esse præcipit. *Minimè* enim *necessariam esse asserit in benignioribus variolis*, neque subjectis plethora haud oneratis, cùm hi feliciter absque ulla Ven. sectione curentur. Quin potius maximè lædi possent, si sanguis aliàs non exsuperans minueretur, & tum circulantis sanguinis propulsio, separatas particulas remotura, insufficiens evaderet debitæ propulsioni.

Saltem ergò hic *expetitur Ven. sectio, si variolis erumpentibus Febris existit intensior*, pressio scil. circulantis sanguinis fortior, *cum anxietate, respirandi difficultate, urina rubra & crassa, delirio* &c. tum, cùm indicium adsit, circulantem sanguinem copiosis separatis particulis regendis imparem esse, & sub onere premi, & fortè succumbere posse, Venæ sectione quantitas minuatur, in benignioribus tamen, nec majori malignitate notatis variolis.

Præmissis præservatoriis præsidiis, ad ipsam variolarum Essentiam tela dirigenda nunc erunt.

Consistit vero negotium hoc in eo, ut *præcaveatur, ne* æther peregrinus *circulantes humores* omninò, vel *plurimam partem*, *à suo*

nexu diſſolvat, aut magna copia præcipitet, ſed ut quantum poſſibile id inhibeatur.

Deinde ut præcipitatâ materiâ quantociùs liberentur circulantes humores.

Prima intentio, qua prohibetur, *ne æther peregrinus magnam circulantium humorum quantitatem præcipitet*, in eo conſiſtit, ut tam per *medicamenta calida, expellentia*, quam *hypocauſti calidioris, vel lecti ſubitaneo uſu denegato*, aſſimilandi aut præcipitandi facultas inhibeatur.

Non itaque, ſuaſu *Sydenhammi*, quem hic rem acu tetigiſſe credo, *æger citò ad lectum damnetur, aut hypocauſto calido includatur*, antequam puſtularum acies nunc in campum educta extet.

Sanguine enim à novo *aëre per pulmones contemperato*, multo plus inhiberi materiæ varioloſæ aſſimilationem, aut novam præcipitationem, quam refrigerantibus omnibus, aut evacuationibus, aſſerit.

Hanc vero curandi methodum commendat de ea variolarum ſpecie, quæ magna copia præcipitatis humoribus ortum debet, ac ubi æther peregrinus tantam in circulantibus humoribus ſtragem edit, ut plurima pars eorum in materiam varioloſam degeneret.

Atque in his hunc conatum exitioſum *anodynis conſopiri* jubet, veluti ſpecifico huc requiſito.

sito. Repetere vero præcipit anodyni dosin quavis horâ, donec impetus sopitus extet.

Laudat verò pro hoc scopo *Syrupum Diacod.* quem adultis ad ʒ vj. decenni ℥ß. & sic consequenter præscribit.

Sopito feroci impetu febrili, saltem intra 12. horas ℥ß. propinat ad finem morbi usque. *A lecto tamen simul arcere jubet ægrum*, aliàs incassum omnia fieri asserit.

In genere notari vult, ut pro Febre debellanda omnes vires intendantur, quia ea sublata aut mitigata omnia ab ea dependentia phænomena tum levi negotio cessare contendit.

Et verum est, modò *Febris* omnis *Essentiam* rectè penetrârit *Cl. Vir*, *quam in depravata mixtura, aut textura inversa*, & plurimis particulis disproportionatis circulari ineptis, hinc stagnantibus, & sanguinis circulum sufflaminantibus nunc subsistere credimus.

His sanè vel ad pristinum statum redactis, vel è corpore proscriptis, reliqui liberè rursus circulantur.

Atque in hoc negotio *Anodyna insignes* exercere *vires, non aliter ac in aliis acutis Febribus*, credo; atque variolarum curam ferè cum acutarum Febrium aliarum curatione eandem hic requiri.

In illis vero *variolis magis benignis*, ubi æther peregrinus tantam præcipitationem, & mixturæ turbationem in circulantibus humoribus haud instituit, *non adeo à lecto arcere jubet ægrum.* Quemadmodum etiam facit in variolis, quando *cum spasmo* infantes invadunt: Cùm enim observârit, *rarò* tum insigniter *confluere variolas*, hinc & ægrum tutiùs lecto concredi posse primis diebus consentit.

Sed si copiâ materiæ variolosæ nunc factâ, & exitum ubiq; quærente, vomitum se adjungere vidit enormem, tum venam secat in brachio, & post aliquot horas emeticum propinat, ut sic materiâ ferociam fovente & insolentiori rejectâ saltem, (è primis viis, quæ huc modò deportata fuit,) tum è lecto melius abesse possit æger interdiu, usque dum variolæ omninò nunc egressæ extent.

Si affectus comatosos variolas antecedere notavit, pro signo, *variolas* admodum confluxuras, & *in copia emersuras*, tum anodynis rem fuit aggressus, nec lecto ægrum committi permisit.

Atque hæc est *Cl. Sydenhammi* brevibus tradita variolarum curandi ratio, quando ex nostra mente peregrinus æther admodum dispositas reperit in hoc aut illo Subjecto humores circulantes, nexu suo leviter dissolubiles.

Sed

Sed ſi accidat, ut ob circulantium humorum craſſitiem, & particularum ſeparatarum nimiam viſciditatem, aut acidi coagulantis mediante peregrino æthere inducti copiam, circulantes reliqui humores nimis debiles ſint propellendis, & per poros rejiciendis ſeparatis diſproportionatis particulis: tum neceſſum eſt abſorbentibus, aut ſanguinis motum paulo intendentibus rem aggredi.

Illa, abſorbentia ſcil. poſſunt eſſe *Bezoard. min.* ♁. *diaphor. unicorn. foſſile*, C.C. *ſ.* △*e, myrrha, cinnab.* ♁. &c.

Hæc, ſanguinis motum hic intendentia, ſint: *ſem. card. bened. citri, aquileg. nap. papav. alb.* ſi inquietudo occurrat: item *Eſſ. myrrhæ, cum menſt. volat. caſtorei, Tinct. Bezoard.* &c.

Ex his variæ concinnari poſſunt formulæ: pro exemplo ſaltem ſint ſequentes, & quidem *Cl. Ettmüller* talem commendat Pulverem, v. g.

℞. *Unicorn. foſſil.* ℈j.
C. C. ſine igne ℈ij.
⊖. *card. bened.* gr. xv.
Myrrh. el. gr. xij. mſ.

Pro tribus doſibus in incremento variolarum propinandis, quando nimis tardè erumpere obſervantur, & tamen ſeparatæ plures circulantibus humoribus immixtas eſſe, ſymptomata gravia docent.

Commodè etiam fieri tum poteſt talis emulſio. v. gr.

℞. *Sem. card. bened.*
Aquileg. aa. ʒij.
Citri ʒj.

Cum ▽. *Fumariæ* ℥iij. Fiat emulſio, cui adde
C. C. ſ. △.
Margarit. præparat. aa. ℈ß.
Lapid. Bezoar. gr. iij. mſ.

Detur pro una aut pluribus Doſibus pro ægri ætate.

Sed *ſi Medicus*, jam *ad ægrum vocatus* ſeparationis tempore, *omnia inveniat legitimè ſe habentia*, ita ut neque Febris exorbitet, neque mitiùs nimis agat, id quod ſymptomata, & tolerantia indicabunt, *tum ſpectatorem ſaltem agat*, neque quid tentet ante ſextum diem, ac tum non niſi ſuppurationem promoventibus, ut polychreſtis hic *oculis cancr. myrrha*, ♁. *diaph.* &c. inſiſtat: utpote quæ egreſſis variolis, & Febre nunc ablata, circulantibus nimirum humoribus plurimam partem liberatis, generoſa tum prædicat ſanguinem ſuo vigori reſtituentia, per plures dies repetita, *Sylvius*.

Probè ergo menſuretur ægri, & ejus circulantium humorum præſens conſtitutio, an tranquilli curſum ſuum perficiant, vel an majori diſſolutioni apti exiſtant, vel major eorum pars quàm par eſt à reliquis decedere inten-

tendat, ubi ſupra à *Cl. Sydenhammo* commendatam methodum ſequi neceſſe eſt. Ubi ſi in mediocri ſtatu rem verſari obſerves, laudano omiſſo ſaltem præter lecti abſtinentiam, *Acida* potui blandè remixta rem expedient. Vel fiat talis Potio, v.gr.

℞. *Hord. crud.* m. j.
Rad. acetoſ. ℥j.
C. C. raſpat. ℥ß.
Succi citri rec. no. j.

Coque in ſ. q. ▽æ font. Colaturæ adde
Syr. corallor.
Acetoſ. citri aa. q. ſ. pro gratia.
Spir. ✱*ci acidi* gutt. aliquot mſ.

Ut ab initio curationis monitum, *primaria* ſanè hic eſt *intentio, ut* quantum poſſibile circulantes *humores à ſeceſſu inter ſe*, ab æthere peregrino inducto, *arceantur*, ac quantocius vis ejus infringatur *bezoardicis acidis, anodyniſque.*

Non enim opus eſt, ut neceſſario omnis homo variolis laboret. Si verò ſeparatio & ſeceſſus nunc factus eſt, convenienti methodo eliminentur particulæ ſeparatæ, aliquarum verò ulterior ſeceſſus quoad poſſe, methodo indictâ, inhibeatur.

Sed *ſi* jam *ſeparata materia varioloſa*, ob cutis denſitatem, *poros penetrare ægrè queat*, atque ægro gravia ſymptomata accerſat, vel periculum mortis inducat; quemadmodum in

adultis plerumque accidit; tum præter V. sectionem, quam supra commendavimus, *Frictiones externarum partium instituantur*, ut sic poris dilatatis humores eò meliùs penetrent.

Vel *Vesicatoria magis præsentanea*, nec satis laudanda, in usum veniant, utpote eundem hic, ac in Febribus malignis aliis, præstitura effectum: & non pro hoc scopo solùm, sed & variolis, introrsum versus recedentibus, revocandis.

Ubi tamen notetur, vesicas non subitò rursus esse consolidandas, sed ad tempus, aut per aliquot dies saltem apertas servandas, imposito *Empl. diapalma*, vel cera saltem aut terebinthina, cum *parum empl. vesicatorii* remixta.

Ad revocandas verò variolas præter vesicatoria efficacissimam præstat opem *Essent. myrrhæ cum Spir. *ci* confecta, vel & *Elixir Propr.* cum simili volatili paratum menstruo: neque horum usum unquam infelicem deprehensum fuisse, plures testantur Practici.

Essentialibus his requisitis, nunc pro variolarum curatione traditis, restat *Symptomatum paucis rationem habere*.

Quæ morbum præcedunt, *Vomitus* sunt, & *convulsiones aliquando.* De utroque supra paucis mentio fuit facta.

Vomitum verò *moderatum*, *morbi levioris* & cursus felicioris *indicium*, neutiquam cohiben-

hibendum, quin potiùs adjuvandum ibi diximus.

Si tamen immoderatus ſit, & diutiùs duret, pro ſigno, materiam varioloſam copioſam nimis exiſtere, tum *Sydenhamm V. Sectione*, ac poſtea emetico exhibito, impetum reſtinguit.

Alii externè ventriculo applicant *aromatica Empl. cataplasmata* & ſimilia de vomitu commendata.

Epilepſiam vel convulſiones *Cl. Etmüller* præcavet pulvere ſuo ♁*iali epileptico*, *ſulfure* ſcil. *aurato* ♁*ii* ultimæ præcipitationis, alliati odoris, *per vomitum ac ſeceſſum ſaburram rejiciendo, ſicque occaſionale illud pabulum præſcindendo.*

Ubi verò in morbi incremento demum accedunt, *Cinnabarina* & alia *Antepileptica* accedant. v. gr.

℞. *Cinnab. nativ. vel* ♁. ʒß.
Cran. human. præparat.
Succini alb. præparat. aa. ʒj.
Smaragd. præparat. ℈j.
Rad. pæon. rect. temp. coll.
Viſci corylini aa. ʒiß.
Laud. opiat. gr. v. mſ.

Vel *Opii eſſentia*, præſentanei hic effectus, legitima doſi propinetur, & ſi opus aliquoties reiteretur, convenienti cum vehiculo.

Variolis tandem erumpenribus, non minima cura ſit, partes nobiliores, utpote *faciem*, *ocu-*

oculos, ac collum defendere, ne vel variolis infestentur, vel ad minimum non deturpentur, aut detrimentum capiant.

In facie namque vestigiis suis pulchritudinem sæpe multum lædere solent: hinc matres circa hanc rem admodum solent esse sollicitæ, præprimis si filiæ variolis laborant. Plura verò in hanc rem commendata extant, quæ tamen optatum haud semper consequuntur effectum.

Veteres voluerunt, *ut ad maturitatem perductæ variolæ*, & jam dealbatæ *aperiantur*, ne pus diutiùs inclusum cicatrices relinquat.

Sed contrarium aliquando docet experientia: quippe perforatas tardius curari, & crustas diutiùs retinere, cicatricesque fœdiores relinquere, plures præter spem fuêre experti: hinc satius esse ducit *Riverius, naturæ hoc negotium relinquere.*

Supervacaneam etiam esse apertionem *Mercurialis* credit: cum enim aperiri haud debeant, nisi maturæ & albæ, utpote quo tempore fervor & acredo carnes exedendi cessavit, atque materia totum id damnum perfecit, quod potuit, hinc satius idem esse dicit à perforatione abstinere, cum quamprimùm maturæ sint & albæ, simul etiam per se exsiccentur, & squammæ decidant, atque insuper *Langio* ita sentiente, *cum saniei generatione caro succrescat*, quâ pustularum vestigia expleantur rursus.

Si tamen livida, aquosa & indigesta appareant, & ex pestifera aëris contagione pullulaverint, tum ne ob virulentiam & corrosivitatem materiæ excedant, ac insuper illorum virus exhalet, *aperienda censet.*

Interea alii, cùm perforationem non semper expectationi respondere notarint, meliorem effectum *citissimam pustularum exsiccationem* præstituram credunt: in quem finem *Sale* condire præcipiunt: quod remedii verò genus itidem in usum haud vocari volunt, antequam perfectæ, dealbatæ & maturæ extent, ne rubentes adhuc irritatæ cruciatus excitent.

Non tamen solo sale, in substantia, sed soluto uti jubent, ac tale concinnant Topicum:

℞. *Salis comm.* ℥ß.
Hordei.
Lupinor. aa. p. ß.
Croci ℈j.
▽. *fluviat.* ℔ij. bulliant s. a.

Decocto hoc pustulas sæpiùs tangi injungunt.

Alii exiccationis citioris gratia, dum satis perfectæ, maturæ apparent, commendant *Cerevisiam secundariam lupulatam recentem*, nondum tamen fermentatam & acrem, *cum lixivio salis* ♀*i*, sive *oleo* ♀*i* parum alcalisatam: atque brevi exsiccari pustulas spondent.

Postea pro detergenda facie præscribunt ▽. *sperm.*

ſperm. ranar. itidem *cum oleo* ♀*i* nonnihil imprægnatum, cumque *magiſterio marcaſit.* aut ♄*ninis aliis* (excepto tamen ſaccharo ♄*ni* ob acetum acrimonia conſpicuum:) remixtis.

Alii, inter quos *Frid. Hoffmannus* eſt *Mat. Med. p.* 447. *deturpationis faciei præſervationem*, non in eo conſiſtere ait, ut puſtulæ illæ benè maturentur, ſed *ut prohibeantur.*

Sic ſe noviſſe quendam Artiſtam, refert, qui pulvere quodam arcano omnem variolarum eruptionem, ſedato fermentali humorum motu, (ſive præcipitato ſubito æthere peregrino, & diſpoſitione humorum circulantium, in variolas prona, in firmiorem ſtatum & texturam poſita:) etſi maculæ etiam jam dum apparerent, ſine ullo ſanitatis incommodo, prohibere poſſe.

Sydenham non melius eſſe præſidium aſſerit, quàm regimen moderatius, ne puſtulæ exacerbentur, & cauſticam qualitatem contrahant. Propterea que *ſe & olea & linimenta omittere*, utpote quæ tantum præſtent, ut tardius evaneſcant furfures, quibus ſe invicem excipientibus, paulatim fœdas illas cicatrices ſuccedere credit.

Alii tamen rem optimè procedere contendunt, *ſi* repellentia, ſive *poros in facie occludentia, ante eruptionem applicentur*, in reliquo verò corpore tum eruptio promoveatur: in hunc finem ſtatim Faciem *oleo amygd. d.* aliquo-

quoties oblinunt, & *foliis auri* desuper positis faciem integram deaurant; nec absque effectu.

Sed tum non inconsultum erit eos imitari, de quibus *Sylvius* refert, quod, ut à variolarum multitudine faciem liberent, *ad pedes derivare intendant*: & licet hac methodo diuturna succedat pedum debilitas, tamen sic Formæ consuli.

Quamprimum verò *variolæ erumpere incipiunt, infantis pedes lacti bubulo calido immergunt*, atque hac methodo variolarum majorem quantitatem in pedibus erumpere faciunt: emollitur enim sic cutis, & pori dilatantur, ut feracissimè propullulent.

Loco lactis calidi, *vapore ex Decocto herbarum emollientium* surgente, alii aliquoties pedes fovere jubent, referente *Frommanno M.C. Ann.* 76. *Obs.* 186.

Cl. Sydenham etiam *in confluentibus* variolis commendat *allium concisum*, & linteo involutum *plantis pedum admotum*, *à die octavo*, in quo primum facies intumescit, donec morbus periculo omni vacet, singulis diebus renovando, ut sic à capite materia acris derivetur.

Præterea *in defendendis oculis* quæ vulgò commendantur, sunt ea, quæ præcavent, ne materia variolosa huc copiosè divertat, aut acrimonia sua oculis detrimentum pariat.

Sic pro reprimenda paulisper materia variolosa, & ab oculis arcenda, ℞. *Sem.*

℞. *Sem. Summacb. groſſ. contuſ.* ℥ß.
▽. *Plantag.*
Roſar. aa. ℥iiij.

Bulliant parum, & tum adde *Croci pulveriſ.* ℈ß. mſ. & illinatur diligenter. Si fortius expetatur, non abſque effectu erit *alumen* cum *albumine ovi* tritum & applicatum.

Alii *Cryſtallum montanam* ſufficientem eſſe dicunt, pro præſervando oculi bulbo, à variolarum inſultu.

Pro reſerandis palpebris, à lympha viſcida cohærentibus, ne ſanies noxam inferat, applicetur *Decoctum lini, meliloti, malvæ,* &c.

Si verò tandem poſt variolas inflammationes, puſtulæ &c. relinqui velle videantur, *veſicæ excitentur* vel in nucha, aut retro aures, ac per plures dies apertæ ſerventur. *Oculo* verò *Collyrium ex croco metallorum* diligenter inſtilletur.

Ne fauces copiosè *obſideantur*, ſtatim ab initio *in ore detineantur gargariſmi leniter adſtringentes*, & ſimilia de Angina tradita.

Diarrhœa quando *abſque puſtularum receſſu*, ac critico quaſi motu egreſſis nunc ſe jungit, *non ſiſtenda*: ſecus ſi cum Symptomatum exacerbatione, primis diebus vel variolarum receſſu accedit: tum *ſiſtenda Bezoardicis* de Diarrhœa laudatis, ac ut variolæ regrediantur, *brachiis & femoribus*, juxta ductum majorum venarum, in interiore partæ, *veſicæ excitentur*, ut ſupra monitum &c.

Si

Si in Pulmonibus stagnari videatur acris lympha, *compescatur Opio.* Experimentum habet *Riverius cent.* 2. *obs.* 45. corripiebatur mulier morbillis, ac iis totum corpus contectum erat cum intensa Febre, his accessit symptoma gravissimum, fluxio tenuis in Pulmones, quæ tussim frequenter excitabat, & suffocationis metum incutiebat cum raucedine ingenti. Admotum *vesicatorium cervici*, & exhibita *laudani grana* ij. hinc fluxio cohibita tota nocte subsistit, postridiè redit, & iterum exhibitum fuit laudanum cum simili effectu, unde paucis diebus convaluit.

Restat *Diæta*, de hac consule ea *quæ* de *Febribus malignis* dicta extant, *eadem* enim *hic valet* ratio, & quamprimum variolarum suspicio adsit, caveatur â pleniore victu, sed tenuis omninò imperetur.

Nullum etenim, etsi acutissima laborantem Febre, & tot diebus nullum assumentem cibum, unquam fame periisse constat.

Sufficiant ergo *juscula avenacea*, *pomaque cocta*, *nec* unquam *caro concedatur*, nisi post omnimodam massæ sanguineæ depurationem, & variolosæ materiæ rejectionem.

Potus sit *cerevisia tenuis*, aut Decoctum supra præscriptum, vel simile ex *C. C. citro &c.* paulo calide propinatum.

Instante vero maturatione *Sydenham* jubet ut singulo mane & nocte, *cochlearia aliquot vini*

indulgeantur, quo sic circulantes humores reliquias, vel fortè regurgitantes particulas materiæ variolosæ, paulo fortius cohibeant & rejiciant.

Alii ab initio potui immiscere jubent *succum stercoris equini*, aut similia expulsionem adjuvantia, sed cum omni studio ab initio in id incumbendum esse dixim⁹, ut variolosæ materiæ generatio quantum possibile cohibeatur, hinc vitentur isti potus excellentes ab initio, & potius in fine morbi ad reliquias, si adhuc restant, saltem in usum vocentur: vel quod securius, neque id expetente morbi genio, planè omittantur.

Circa Præservationem, quam ab initio dedimus, restat monere cum *Sylvio* ut *variolis exitiosis*, & gravissimis symptomatibus stipatis, epidemicè grassantibus, *infantes* quos ab eis immunes volumus, *in aerem salubriorem*, *ubi nullæ grassantur variolæ*, *transferantur*, & tam diu ibidem contineantur, donec vel cessarint, vel blandiores evaserint.

Si verò boni moris variolæ existunt, quæ infantes plures absque faciei notabili defœdatione nunc experti sunt, tum *consultum erit*, *infantes qui variolas nondum experti sunt*, *cum ægris conversari*, prius tamen, ut supra monitum, *mediante mercurio dulci* eductis vel correctis eorum humoribus, ut tumætheri peregrino assuescant, vel etsi ab eo inficiantur, tamen cum benignior ille sit, leviter sic evadant.

Ver-

Vertigo.

Est objectorum quorumvis, vel proprii capitis etiam &c. apparens; sive in gyrum quasi factus imaginarius motus, à fluidi nervei, particulis heterogeneis nervorum tubulis disproportionatis, adulterati, intercepto rectilineo, antrorsum facto motu: hinc verticoso reflexu, ab oculo non solum, sed & aliis partibus, versus nervorum principium instituto, animæ delatus.

Subjectum sive pars ipsa affecta Anima existit: Medium, fluidum nerveum, cum sensuum organis aliis.

Non enim Oculus saltem, visionis proximius organon, sed & totum caput aliquando afficitur; clausis etenim illis olim ebrius, immobilis ad terram prostratus, caput cum reliquo corpore circumgyrari mihi imaginabar, ratione omni salvâ; sed reliquo corpore planè immobilis existens.

Signa quod concernit, cum per se pateat affectus, vix opus esse illis videtur, nisi pro gradibus, quibus à se distat affectus, dignoscendis, eâ paulisper tangenda essent.

Est namque *vertigo vel simplex* sive levis, *vel gravior.*

Simplex aut levior vertiginis gradus est,

 quan-

quando objecta circumagi videntur, evanescente mox phænomeno absque casu.

Quando vero oculi caligine quasi obscurantur, ac varii coloris res oculis obversari quasi observantur, tum *secundus gradus*, Scotomia, sive Vertigo tenebricosa audit.

Gravior vero omnium, & proximus *ad epilepsiam gradus*, ea vertiginis species est, *quæ* ægrum, nisi prehensis adminiculis se fulciat, *cadere facit*, unde vertigo caduca vocatur.

Causa Immediata est fluidi nervei, à rectilineo suo influxu sufflaminatio, & in vorticosum degenerans refluxus, sicque animæ objecta acsi circumgyrarentur, deferens.

Pro fluidi nervei namque *motu*, & tam ab internis causis, quàm externis objectis, nervorum fibrillis, & eorum universali principio, inducto contactu differente, *in anima oritur differens cogitatio & perceptio*, & contra, differentes cogitationes animæ, diversi sequuntur motus in corpore.

Mediata Proximior Causa, est fluidi nervei dispositio depravata, particulis heterogeneis videlicet adulterata, & sic suis nervorum subtilissimorum canaliculis haud expeditè respondens.

Eademque causa quæ convulsivos varios excitat motus, etiam minori saltem acredine conspicua, aut levior, *vertiginem excitat*.

Neque

Neque verò *vapores* ab aliis partibus *exſurgentes cauſam addunt*: ſed auræ quandoque ex hac aut illa parte factus aſcenſus, vertiginem inducens, eſt fluidi nervei ſufflaminatus & denegatus tranſitus, lentè, quaſi per gyros refluxum inſtituere coactus.

Sic ex pede aſcendente vapore, vertiginem obſervavit *Bartholinus Cent.* 6. *hiſt.* 75. Mulieres etiam non raro *ex ventre aſcendentem* quaſi *auram*, vertiginem ſibi inducentem ſentientes, ex utero vapores aſcendere credunt: quæ aura tamen nil aliud eſt, quam fluidum nerveum, denegato libero tranſitu verſus ſuum principium reſtagnans, & leniter refluens quaſi.

Sic ex gravi etiam dolore plures vertiginoſi redduntur, dum ſpasmodica contractione affectæ fibrillæ nerveæ, fluidum nerveum tranſire haud permittunt, ſed regredi neceſſitant.

Quod vero oculis plerumque communicetur talis circumgyratio, inde eſſe mihi perſuaſum habeo, quod fluidum nerveum, ab aliis partibus exilibus reſtagnans, in majoribus nervis & plus patentibus exitum moliatur, ſed ob heterogeneas particulas immixtas, tam in his quàm illis reflui & reſtagnare cogatur, unde & in cerebro ſemper ferè oculis clauſis poſtea circumgyratio percipitur, & ſentitur, donec ſic heterogeneis diſſipatis

 ſpi-

spiritus nervei liberum recuperet influxum rursus.

Præmissis his causis, *Remotiores plures* aliæ, ansam ministrant. Et ex *Naturalibus* quidem rebus vulgarem occasionem addit circulantium humorum *Temperies*, lentis, crassis, minus mobilibus humoribus constans. Sic *Hypochondriacos & Senes*, ex hac causa vulgo *vertiginosos esse* constat.

Ex Nonnaturalibus rebus haud contemnendum pondus addit *Cibus & Potus*, *austeritate flatulenta conspicuus*; ventriculumque ruditate humorum varia replens, & obsidens alius.

Ex nullo etenim *loco*, sive continente, *tam familiaris* existit vertigo *ac ex ventriculo*.

Dantur namque plures, qui vacuo ventriculo vertiginosi tamdiu sunt, donec quid comederint.

Fit vero à ruditatibus austeris, superioris orificii stomachi fibrillas nerveas rodendo contrahentibus, sicque fluidi nervei influxum liberum restinguentibus.

Conspicue vero *lædunt* in dispositis *cæpa, allia, raphanus, rapæ, &c.* maximè vero ab ingurgitato præter modum *potu inebriativo*, ebrietas, aut Tabaci usu contracta.

Pertinet huc *navigatio*, *vectio in curru*, *aspectus ab alto*, *transitus pontium &c.* in iis præprimis fluidum nerveum non admodum laudabile obtinentibus, sed disproportionatis plurimis adulteratum habentibus.

Ex

Ex Motibus animi & corporis, *Venus nimia* haud ſemper tuta hic eſt: ſic ex ea vertiginem notavit *Ballonius*, cum aphonia & ingenti capitis dolore.

Abſumtis nimirum copioſis ſpiritibus nerveis, nervi exinanitionis impatientes, quasvis modo ſubtiles particulas ſua in caſtra tranſire permittunt, & mixta mala bonis. *Lucubrationes* etiam *nimiæ* hic malè audiunt, id quod teſtatur *Plateri Pater obſ. l. 1. p.* 102.

Ex Præternaturalibus etiam Rebus familiaris vertiginis extat origo: magis ponderoſa à *circulantibus humoribus* haud laudabiliter conſtitutis, ſed *ſcorbuticis qualibus depravatis*, dependet: cum enim *fluidum neveum. Eſſe ſuum* & Pabulum *à circulantibus* ducat reliquis *humoribus*, *ſanguine* ſcil. quatenus ex chyli variis particulis conſtat: hinc illis depravate conſtitutis, inde emergentia haud melioris poſſunt eſſe notæ.

Aliquando vero *in ipſis organis cauſa hæret*, quando concuſſione, contuſione, caſu ab alto &c. pori & tubuli cerebri & nervorum à ſua ordinaria textura deviant.

Vel *quando inſoliti quid eos* contorquet, *obſtruit*, aut alio modo afficit. Sic *Zacutus* vertiginem obſervavit, per abſceſſum materiæ purulentæ ex aure, aliquoties recurrentem, curatam.

Cl. Wepfer de Apoplexia p. 67. 70. notavit vertigi-

tiginem in juvene, à vesica aqua lympida plena, in sinistra cerebri parte reperta; *Schenk. & alii*, alia producunt hujus rei exempla.

Prognosin quod concernit, etsi ea *recens* ac *in junioribus* aliquando *non adeo periculosa* existere soleat; tamen si organorum hæreditaria debilitas, & tenera concurrat constitutio, ac *vertigo habitum* nancisci velit, graviorum malorum, utpote *Epilepsiæ*, *Apoplexiæ &c.* prænuncia esse sæpe solet: *præcipue in Senibus*.

Si Hypochondriacæ aut Scorbuticæ dispositionis soboles existit, raro ita curatur, quin sæpius recurrat.

Aliquando Capitis dolor hujus affectus *remedium existit*: cujus exempl. habet *Lal. à Fonte*, *Cons. 6. p.* 48.

Quemadmodum omnium illa levior est quæ ebrietatem pro causa habet, ita periculosior omnium illa extat, quæ fluidi nervei majorem disproportionem causam agnoscit, & caduca audit.

Curationem quod attinet, cum *Vertigo parva* quasi existat *Epilepsia*, hinc omnia ea quæ ibi convenire tradita sunt, etiam hic non minimam præstabunt opem.

Si ventriculum causam fovere suspicio adsit, tum *vomitorio* præmisso, vel & pro circumstantiarum aliarum ratione, conveniente *purganti ex ☿io dulci*, *gummi ammon. &c.* exhibito, exordium fiat curationis.

Tum

Tum *aromaticis volatilibus*, vulgo cephalicis & stomachicis cura prosequatur, de convulsionibus indigitatis.

Præter generalia vero, ubique convulsivis affectibus dicata, pro specificis hic ubique venditantur *Doronicum*, *&* *stercus pavonis*.

Doronicum vero magis *ex præconcepta opinione*, quam rei veritate, hanc obtinere vim *Cl. Ettmüller* & alii credunt: conjectura à rupicapris desumta, utpote quæ ex hujus radicis usu, altissimas scandere rupes & montes vulgo creduntur.

Stercus Pavonis autem ob sal singulare volatile insigniter hic conducere, omnes vulgo Practici contendunt.

Sed neque aliis salibus volatilibus hæc denegatur singularis virtus. In specie *camphora &* *opium*, potentissima hic sunt antidota, cum *absorbentibus ac aromaticis* aliis *antepilepticis volatilibus &c.* maritata. Sic *opium* aliis nil juvantibus, *sacram hic esse anchoram*, specificis combinatum, *Cl. Ettmüller testis est.*

Extra Paroxysmum vero vel *vomitorio præmisso*, vel singulis Novi ac Pleniluniis instantibus, exhibitis *pillulis convenientibus*, sequentia veniant in usum *à Novilunio* quidem *ad Plenilunium* usque, v. g.

℞. *Stercor. pavon. alb. in sartagine lente exsiccati & pulveris.* ℥ij.

 Cube-

Cubebarum ʒij.
Cardamom. ʒj.
Sacch. alb. ℥j. mſ.

Vel ℞. *Conſer. majoran.*
rorismarin. aa. ℥ij.
Cubebarum ℥ß.
Cardamomi ʒij.
Olei ſuccini gutt. x.
Syr. de menth. q. ſ. fiat Elect.

Doſis mane & veſperi ſub introitum lecti, quantum cuſpis cultelli aliquot vicibus capit.

Spectat huc *Elixir menthæ*, crebrum in uſum vocatum.

Paroxyſmo imminente ac præſente:

℞. ▽. *flor. thiliæ*
ceraſ. nigr.
lilior. convall. aa. ℥ij.
Eſſent. ſuccin. ʒj.
Spir. ✻ *ci caſtoriſat.* ʒß.
Laudan. camphorat. gr. v.
Syr. de mentha ℥ß. mſ. exhibeatur cochleatim.

Vel ℞. ▽. *chærefol. ſpirituoſ.*
lilior. convall. cum vin.
apoplect. comm. aa. ℥ij.
Sal. volat. ol. ſuccin. ʒj.
Laudan. camphorat. gr. v.
Syr. cinamom. ℥ß. mſ.

Propinetur ſæpius cochleatim.

Vel ℞. *Balſ. mei* ☿*ialis*
Olei petræ alb. aa. ℥ß.
Camphor. ℈ß.
Sal. vol. ol. ſuccin. ʒj. mſ.
Doſis gutt. x. xv. cum liquore convenienti.

Ad verticem & tempora,
℞. *Ol. petræ alb.* ℥ß.
ſuccini ℈j.
Camphor. ℈ß. mſ.

Fiat etiam *Cucupha* ex aromaticis, vulgo cephalicis, quæ continuò geſtetur, v. g.

℞. *Fol. roriſmarini*
majoran. aa. m. ß.
Summit. ſerpill.
lavendul.
menth. thymi aa. p. ij.
Radic. irid. flor. ℥ß.
Storac. calam.
Benzoi aa. ʒiij.
Spec. diambr. ʒj.

Inciſa & contuſa irrorentur *olei ſuccini & caryophill.* gutt. aliquot, & tum dentur pro uſu.

Si ex hypochondriaca affectione aut ſcorbutica diſpotione malum dependeat, *acidulæ ſit erunt ſacra anchora.*

Plura habet titulus de Convulſionibus.

Vomi-

Vomitus.

Est ventriculi, in specie fundi ejus & pylori, versus superius orificium, contractivus, aut convulsivus, sive inversus peristalticus fibrarum ventriculi, à pyloro incipiens motus, contenta quævis per superiora rejiciens.

Levior species Nausea est, rem saltem ingratá respuens, & haud admittens, vel *cum præcordiorum anxietate*, & vomendi desiderio, inani tamen, affligens.

Subjectum in genere Ventriculus est: *in specie* Pylorus, à quo semper initium ducere, vel à partibus inferioribus inchoatus continuari & promoveri necesse habet vomitus: nisi enim hic sursum versus contraheretur, contenta haud exprimerentur.

Signis præsens vomitus opus haud habet, cum oculos incurrat. *Imminere* tamen eum aliquando *denuntiat cibi fastidium*, *& nausea*; quibus si jungitur *oculorum caligo*, vel obtenebratio, *vertigo*, *cardialgia*, *inferioris labii tremor*, *os saliva repletum &c.* tum modo instare vomitum experitur æger.

Cau-

Causa Immediata affectus nostri est convulsiva inferioris orificii ventriculi, versus superius orificium contractio.

Mediata Proximior sunt *humores* diversimode corrupti, *mox acidi*, *mox amari*, *salsi* &c. ab instrumentis chylificationis vario modo depravatis, non satis digesti, vel dissoluti, sed crudi, hinc lactearum poris penetrandis, indispositi relicti &c. vel & acres alii ad ventriculum vel intestina delati, mediantibus innumeris glandulis, nervis &c. & ex remotis etiam locis ad ventriculum derivati: *nerveas membranosas ventriculi fibras rodentes*, contrahentes, & ad inordinatum talem motum convulsorium instigantes, vel & ipse sanguis stagnans circa primas vias.

Occasionem vero causis his plures aliæ *Remotiorum censui inclusæ* addere solent. *Ex Naturalium Rerum serie Temperamentum se* sistit, non quidem ventriculi ipsius, vel frigidum aut aliud, cum id quod habet non à se, sed à fluidis dependeat.

Sed circulantium humorum illud, variis particulis, vel acribus acidis aut similibus vulgo scorbuticis, vel ab origine, vel successu temporis conflatum.

Ætatis ratione *plus infantes*, *ob acescentiam lactis* familiarem, quam magis consistentis æta-

ætatis, vomitu ſæpe affliguntur. Sic & pueri ob voracitatem magis, quam ſeniores moleſtantur.

Plus etiam *mulieres prægnantes*, vel cum menſium variis vitiis conflictantes, ciborumque deteriorum uſu ſe delectantes, malo hoc corripiuntur quam aliæ.

Ex Nonnaturalibus rebus, omnibus cauſis aliis ſuppeditatur pabulum, & quidem citum experiuntur effectum Cereris & Bacchi mancipia, cibum & potum immoderatius ingerentes, & quidem concoctu difficiles, ut *Fungos*, *Fructus*, *horarios &c.*

Quid *Philtra*, vomitoria hic valeant, nemini ignotum.

Ex animi pathematibus, ſolius hic imaginationis abominandarum rerum faciam mentionem, à tali enim ſubortum fuiſſe vomitum, *Sennertus de conſenſ. & diſſens.* ac alii notarunt: hujusque rei exempla ſæpius hinc inde obvia ſunt.

Ex Præternaturalibus Rebus plures ſunt, quæ vel anſam aut occaſionem, vel pabulum etiam addunt.

Sic Scorbutici & Hypochondriaci ſæpius hoc malo vexantur.

Et refert *Borellus*, quendam circa lienem ſubinde dolentem, per certa intervalla & periodos ferè humorem, ſæpe atrum vomuiſſe.

Sic

Sic se curasse aliquando Hypochondriacum *Cl. Ettmüller* refert, gravi dolore colico in hypochondrio sinistro afflictum, qui continuos vel vomitus, vel vomendi conatus patiebatur.

Non rarus etiam est *vomitus*, *Febrium intermittentium principio*, à lenta ubique succorum circulatione, hincque inducta vellicatione & contractione enatus. Præcipue si succi vel lymphæ pancreaticæ acrimonia, & bilis ex acido corrupta, ad ventriculum regurgitent: aut obstructio in Pancreate nunc obfirmata extet.

Sic notavit *Panarolus vomitum lethalem* ex *pancreate lapidoso*: & *Barbette* talem *ex corruptione & sphacelo* ejus.

Pancreatis etiam vitio non raro accidere vomitus cruentos, *Cl. Ettmüller in Praxi* asserit, & inde manifestum fieri dicit hoc, quod aliquando *sanguinem vomentes* conquerantur *de dolore profundo sub hypochondrio*, ubi ductus pancreaticus in duodenum inseritur, qualem sanguinis vomitum sæpius puris vomitus excipit, *ex pancreate in abscessum verso*.

Item ex stagnante sanguine in arteriis splenicis, & per vas breve in ventriculum vi sibi viam quærente, vomitum sanguinis ortum trahere posse credit: Hinc ante sanguinis vomitum sæpè pulsationes circa dorsum prope latus sinistrum percipi dicit.

Non

Non tamen semper ex splene, sed & hepate aliquando accidere posse sanguinis vomitum, *Hochstetterum* testem convocat.

Non rarus etiam est *vomitus cruentus mensium suppressione laborantibus*, vel ipsis etiam prægnantibus.

Sic novi fœminam, quæ mensium tempore sanguinem copiose vomit; Prægnans vero, non amplius sanguinem, sed aquam sæpius magna quantitate rejicit.

Colicis & nephriticis vomitum familiare esse *accidens* constat: Ilei vero & choleræ, fere inseparabile esse consequens, cuilibet patet.

Quid *ventriculi depravata vel vitiosa conformatio* huc tribuat, aliquando notavi in illustri virgine, ventriculum planè, quoad figuram, vitiosum habente, & dum in vivis esset frequentioribus vomitionibus propterea vexata.

Sic etiam ex pyloro callo obducto; continuos notavit vomitus *Bartholinus cent.* 6. *hist.* 47. *&c.*

Nec raro etiam mediantibus incantamentis hoc contrahitur malum, de quibus consule *Henric. ab Heer observ.* 8. *p.* 117. *Schenckium* & alios.

Præmissis nunc ex causis variis, diversa potest oriri vomitus denominatio: Sic per Essentiam ortum dicere possumus vomitum, quando

do causa ipso in ventriculo, sive sint contenta, sive continens vitiosum, stabulatur.

Per consensum verò, quando aliis ex locis materia & causa advehitur, ut *in Colica, Ileo, Cholera*, sanguine in vasis splenicis stagnante &c.

Item criticus poterit dici, quando insequitur insigne levamen.

Symptomaticus verò, quando à causa continuò affligente, ut scorbuticis qualibus dependet, & ad interitum sensim deducit, vel continuo valetudinario statu ægrum detinet, sive sit cruentus sive alterius materiæ vomitus, ut in Cholera, Ileo, Colica &c.

Prognosis pro causarum differentia diversimodum denuntiare potest exitum.

Is verò *qui critico excitatur motu*, à circulante natura, saburram in primis viis stabulantem eliminatura, *periculo* plerumque *caret*, cum eo qui gravidis familiaris existit.

Sic *nec* is *periculosus* existit, quando vel *in morborum initiis, vel declinatione criticè* affligit.

Hypochondriacis etiam accidentes vomitus tam cruenti quàm non cruenti *sæpe salutares existunt*, modò non sint nimii, nec diurni.

Sic *nec mulieribus mensium tempore accidentes periculosi* existere solent.

Contra *haud periculo caret* vomitus, *qui macilentos ſæpe poſt paſtum affligit*, cùm facilè ſic ad Hecticam deducat.

Peſſimus omnium eſt, & lethalis utplurimum, *morbis malignis ſuperveniens, lividus, nigricans, graveolens, cum vermibus, cruentus ſive incruentus*, cum ſingultu, lipothymia, convulſivis motibus &c.

Non raro poſt copioſum ſanguinis vomitum Hydrops emergere etiam ſolet.

Si excoriationem ventriculi cauſam agnoſcit vomitus, ſingultum comitem habere ſolet.

Curatio pro cauſarum ratione diverſimodè etiam inſtituenda venit.

Si depravata ventriculi contenta in cauſa ſint, id quod tarda & difficilis concoctio ſive ciborum diſſolutio prodit per ructus, inflationem in regione ſtomachi, gravitatem & tenſionem, cibi faſtidium, nauſeam &c. tum *cum vomitoriis haud diu cunctandum*, ſed ſtatim conveniens aliquod exhibendum.

Si verò acres vellicantes particulæ paulò profundius in poris ventriculi impactæ hæreant, & malum convellendo quaſi aut continuè ſtimulando foveant, tum penetranter reſerantibus, & porulos expeditè penetrantibus, militandum.

Indicium hujus eſſe poteſt vomitus quævis aſſum-

assumta ferè rejiciens, postmodum verò inani conatu sæpe affligens, vel &, nisi quid assumatur cibi, remittens.

Hoc in casu præmittantur *aromatica* varia *cum Opio marita.* v.g.

℞. ▽. *menth.* ℥iiij.
Cinamomi ℥ij.
Elix. Propr. Polychr.
Tinct. Bezoard. aa. ʒß.
Anodyn. gutt. xxv.
Syr. de cinamom. ℥ß. mſ. detur cochleatim.

Vel ℞. ▽. *menth.* ℥iiij.
Vitæ Matthiol. ℥j.
Spir. mastich. ʒij.
Tinct. Bezoard. ʒj.
Cinamomi ʒß.
Anodyn. gutt. xx.
Olei macis dest. gutt. iij. mſ. detur cochleatim.

Vel similem in vomitu expertum Bolum v. gr.

℞. *Theriacæ* ℥ß.
Ol. destill. macis gutt. ij.
Laud. op. gr. j. mſ.

Si his & similibus latitans acris causa cicurata extat, tum ad eliminandam eam intermediari aliquando potest lene aliquod

purgans, particulas ex profundo pororum extricans, v.gr.

℞. *Extracti aloes cum* ▽. *facti* ʒj.
Colocynthid. ℈j.
Diagrid. sulfurat. ʒß.
Olei macis dest. gutt. x.
Laud. opiat. gr. iij. mſ. Fiant Pillulæ, quæ dentur Dosi gr. x. noctu cubitum ituris.

Si à Bile æruginosa notetur malum ortum trahere, tum *absorbentia* de Cardialgia notata ducantur in usum.

Cl. Ettmüller admodum præterea laudat *vinum malvaticum*, in diuturno vomitu cum guttis aliquot Spir. ⊖li sæpiùs propinatum.

Nec inefficax hic est *Elixir menthæ* de Anorexia descriptum.

Externa etiam insignem hic præstabunt opem. Sic v.g.

℞. *Fermenti acerr.* ℥vj.
Menthæ pulveris. ℥j.
Mastich. ʒj.
Nuc. mosch. no. iij.
Caryophyll. ʒß.
Aceti rosac. q. ſ. pro Cataplasmate.

Vel. ℞. *Theriac.* q. ſ. in aluta extensæ, insperge *pulverem caryophyll.* & *macis*, & applica.

Vel ℞. *Crustam panis tostam* convenientis magni-

magnitudinis, irroretur & maceretur aceto aut vino malvatico, ac pulveribus dictis inspersis, ventriculi regioni imponatur.

℞. *Mastich.*
Gummi Tacamahac.
Storac. calam. ana ℥ß.
Solve in Thereb. claræ ℨij. adde
☉☉. Still. absynth.
Macis.
Caryophyll. aa. ℈ß.
Bals. Peruvian. ℨj. m∫.

Si post vomitorium assumtum vomitus nimius excitetur, tum externè applicatis modo enarratis, internè exhibeatur *Elixir menthæ* cum *Tinct. anodyn.* &c.

Quando vomitus symptomaticus per consensum affligit, tractetur juxta methodum de Cholera, Colica, Ileo &c. edoctam.

Criticus non tangendus, nisi nimius, & tum ut hypercatharsis tractandus.

Circa Diætam eadem hic observanda, quæ de Cholera, Cardialgia &c. notata sunt: in genere observetur, ne comedant nisi fame coacti.

Si ex liberali vini generosioris usu ortum trahat malum, Frigidæ potus solus rem expediet. *Vid. M.N.C. Ann.* 4. *&* 5.

In eo vomitu, qui Febribus malignis accidit,

Frid. Hoffmannus admodum commendat ⊖is *absynth.* ℈j. *cum succi citri recent.* ℥ß.

Vel ℞. *Margarit. præparat.*
Corall. r. praparat. *aa.* ʒj.
⊖*is absynth.* ʒiß.
Succi limon. ℥iij.
▽. *acetosæ* ℥ij. mſ.

Detur ſæpiùs cochlear unum aut alterum.

Prægnantibus accidens vomitus primis quidem menſibus, cum à ſanguine ſubſiſtente ortum trahat, *Riverius* V. Sectionem commendat, hacque plurimum ſublevari malum aſſerit, nequaquam verò à purgante quovis.

Si *ex hypochondriis* vel Pancreate obſtructione notato ortum habeat malum, id quod gravativus ſiniſtri hypochondrii dolor ſignificare poteſt; tum *Acidulæ ſacra erunt anchora.*

Si ab occluſione ſuperioris orificii aſſumtus cibus in ventriculum haud dimittitur, proptereaque ſubitò poſt rejicitur rurſus; ſequatur *Willisii* conſilium, quod habet *Pharm. Ration. p.* 45. Vir robuſtus, refert, aliàs ſatis ſanus, à longo tempore crebro laborans vomitu, comeſta quævis ſæpius mox rejicere ſolebat: tandem victis omnibus remediis, morbus in eum ſtatum devenit, ut valde

de esuriens comederet, donec œsophagus ad gulam usque impleretur, deinde nihilo in ventriculum illabente, ingesta quæque cruda regereret. Cùm ideo propediem interire periclitaretur, instrumentum ei instar virgulæ, è pinna Cetacea cum spongiæ fibula, apici ejus affixa parabam : hoc ægrotans statim à cibo & potu gutturi ac œsophago immittens, alimenta, secus restagnatura, in ventriculum detrudebat: atque hujus ope per 16. annos pabulum quotidie sumsit.

Sanguinis vomitum quod concernit, si cum virium debilitate accidat, & symptomaticus extet, omni studio compescendus causam removendo; vel jam effusum aut nunc subsistentem sanguinem è corpore proscribendo. Vasa verò ne locum concedant, adstringentibus angustando, & ad statum suum naturalem reducendo.

Curatio verò & causæ remotio iisdem instituitur mediis, & eadem methodo, ac hæmoptysis, aut sanguinis fluxus immoderati alii.

Sic *si sanguis nexu suo solutus*, & sibi haud ritè cohærens, in causa est, commendant Practici *adstringentia acidiuscula*, *terrea*, subsistentem verò & concretum sanguinem resolventia.

Pro priori intentione laudat *Cl. Ettmüller*

▽*am urticæ* maj. *cum Spir. vitrioli acidulatam*, & sic successivè usurpatam: neque enim mixturam hanc simplicem, à *Rulando*, (qui eam miraculi instar sanguinis profluvium sistere asserit:) sed & aliis Practicis admodum commendari refert *in Praxi*.

Post Simplex hoc *Sylvii mixturam* admodum etiam esse proficuam, ex ▽. *plantag. Cinam. aceto dest. corall. terr. sigill. laud. op. Syr. myrtin.* confectam, ac de hæmoptysi, & hæmorrhagia traditam, testatur.

Hypochondriacis sanguinis vomitu affectis, conferre ♂*ialia* & *absynthiaca*, plures confitentur Practici; præcipuè si copiosiore tali vomitu ad ascitem inclinare videatur æger; modò à vomitu refectis, & viribus reparatis, longo tempore in usum ducatur absynthium.

Sic frequenti absynthii usu unum aut alterum post unicam sanguinis vomitionem servatum, se meminisse, *Dodonæus stirp. histor. de absynth.* refert.

Anno 1662. refert *Cl. Bonetus mercur. compital. p.* 732. Vidi in oppido *Boudri*, ditionis *Neocomensis*, Notarium quinquagenarium, qui sanguinis concreti & nigricantis uno impetu libras aliquot vomitu rejecerat, & pridie, ut narrabat, nauseabat adhuc ventriculus cum gravitatis sensu: quâ de causa tepidam poscam (nil enim aliud erat ad manus,) exhibui, quæ non

non minorem copiam exclusit: post quia vires constabant, præscripsi bolum ex Conserva rosar. cum ℨi. *pulv. rhabarbari*, qui sanguinis concreti fœcibus intermixti insignem copiam eduxit: hinc ad roborantia deventum.

Ad præservationem suasi hæmorrhoidalium venarum reserationem bis in anno, additis chalybeatis, & obstructiones aperientibus. A liene enim manasse profluvium, testabatur ejus per intervalla recurrens tumor. Sequutus salutare consilium per biennium, quo neglecto tertio anno majori impetu redit vomitus, & vitam adimit.

Aliàs ad sanguinem concretum & coagulatum stagnantem, id quod color faciei citrinus, aut lividus, pulsus debilitas, syncope, aut stomachi inflatio etiam, indigitat, optimè conducunt *Oculi cancr. cum aceto propinati*, *Rhabarbarum*, item præcipuè *Sperma ceti*, quod præter resolvendi vim salutarem sæpe præstat effectum per vomitum, rejiciendo id, quod stagnando hæret.

Sic & *Decoctum urticæ minoris* specificè etiam hic prodest, & quæ sunt similia, hinc inde ad sanguinem congrumatum resolvendum commendata: ubi & *Opium à Sylvio* admodum celebratur aliis remixtum, cùm non saltem acrimoniam insigniter temperet, sed & egregiè resolvat: & porrò *in Praxi* incredibilis

dibilis effectus esse *Balſ.* △. *aniſ.* prædicat, *Eſſent. mumiæ cum Spir. thereb. fact.* item *Unguentum rubrum potabile, pingued. canis, Spir. therebint.* &c. etiam non contemnendarum hic esse virium, aliorum experimentis constat.

Paulò aliter tractandus erit sanguinis vomitus in mulieribus mensium tempore obortus: vel enim permittendus, vel ad minimum non restinguendus, sed per ordinarias vias ducendus.

Sic refert *Rhodius Cent.* 2. *Obſ.* 64. Patavii duas fœminas, mensium fluxu imminente, pridie sanguinem vomitu rejecisse, imò vomitum præsensisse: quem si Medicus prohibere tentasset, varia suboritura fuissent accidentia, ipso vomitu sublata.

Item refert *Schenckius*, Fœminam plethoricam & obesam sæpe quotannis vomitu sanguineo fuisse correptam, sine tamen virium debilitate, idque semper mensium ferè tempore, qui vel parcissimè tunc fluxerint, vel cessarint: seque suasisse ut nonnunquam aperiret saphænam, & uteretur menses moderatè moventibus; sed ab aliis persuasum, omissis commemoratis remediis, validis adstringentibus adhibitis, vomitum quidem istum compescuisse, sed paulò post in morbum arthriticum, & graves capitis dolores incidisse, ut etiam

ut etiam annos aliquot ſemper lecto fuerit affixa.

Ab hoc ſcopo non aberrantem ſimilem hiſtoriam *Zacutus Prax. admir.* habet. Juvenculæ carnoſæ, ſcribit, intra diem & noctem xxx. penè libras ſanguinis, ob omnimodam menſtrui ſuppreſſionem evomenti, aufero, reclamantibus aliis, qui è cubito ſanguinis miſſionem imperabant, novem uncias è malleolo per intervalla tria; iterum ceſſante aliquantiſper hora prima pomeridiana, duas uncias partitè exhaurio, & nona unam & dimidiam: hac vacuatione, ſanguine ad originem attracto, omninò ſedatus fluxus.

Rarus eſt caſus, quem *Riverius Obſerv.* 26. *Cent.* 4. communicat. Vomitu ſanguinis laborabat ruſticus, refert, nullis remediis per multos dies cedente. Medicus cupiens ſanguinem in ventriculo collectum per vomitum educere, qui ægrotantem graviter infeſtabat, & oppreſſionem inſignem in ea parte efficiebat, præſcripſit *Oleum amygd. dulc.* ℥ij. quibus vomitus excitatus eſt, vomuitque ſanguinem congrumatum, ſimulque hirudinem in terra ſe commoventem. Hæc erat cauſa ignota & rara ſanguinis vomitus: retulit æger, ſe in rivulo aquam bibiſſe, cum quâ ſimul hirudinem hauſerat.

Ad Putis vomitum commendat *Sylvius* ♁. *diaphoreticum*, & *Balſamum* 🜍 *aniſatum*, ſive

ſive ℥iatum. Illud puris generationem præcavere aſſerit: Hunc verò, ad guttas duas vel tres aliquoties de die aſſumtum, & ulcus mundare, & conſolidare certò aſſerit.

Decker in notis ad *Barbetten* in ſimili caſu pure ab ulcere ventriculi dependente, commendat hoc, v. gr.

℞. *Balſ.* 🜊. *aniſat.*

Peruviani aa. ℈j.

Tinct. Fl. hyperic. ad Syrup. conſiſt. evaporat. ℥ß. mſ. & detur ter die ad gutt. v. cum *Syrup. de Symphyt. Fern.*

In fine morbi bis terve leni propinato Purgante, tandem malum ceſſare facit. *Vide Praxin Barbet. pag.* 139.

FINIS.



ERRATA,

quæ ob ſerius transmiſſam editionem citiſſimè perlegendo obiter inveni, B. L. ita corriget.

Pag.	*Lin.*	*Pro*	*Leg*
91	19	odoris	odoris allii
94	28	mandata	commendata
144	7	alteretur	aleretur
165	21	continuat	concinnat
180	22	prohibens	prohibent
181	10	convenientibus	convenientius
184	6	motum	ſtagnationem
194	15	ad ſß.	ad ℥ſß.
214	25	eas	ſe
239	3	conſtituunt	inſtituunt
242	4	certas eſſe	certæ ſint
245	9	enim diarrhœa,	enim cum diarrhœa
261	5	paſtum	partum
290	1	reſiſtere	reſiſti
301	3 & 9	contumacior	contumacius
309	17	excedit	exedit
326	8	ita deducta	inde deducta
352	31	ſi cophia	ſi copiam
368	ult.	curabilis	curabile
393	29	transmittentibus	transmittentes
396	13	æſtu, mala	æſtu interno, mala
414	25	affligere	affligi
479	5	à purgantibus	à purgantium
480	25	contoſti	contorti
481	25	imminere	imminuere
500	4	ſtagnanti	ſtagnando
508	2	qui è	quia
521	2	affatum	fatum
539	13	coagulantibus	coagulabilibus
	18	olcoſi	obœſi
541	15	partium	partim
548	7	coagulantem	coagulatam

Pag.	Lin.	Pro	Lege
565	16	fauces	fauciumque
566	12	junctæ, copiosè	juncta, copioseque
577	24	ubi cum	ubi tum
	ibid.	quadrans	quadrantem
607	17	remaneant	remanent
616	18	observari	observavi
	19	fortè	forte
619	28	*post verba* incassum tentassem, *lege*, tandem propinatis laudani opiat. gr. ii. ferociam symptomatum &c.	
621	13	cathere	cathetere
628	7	ureterem	urethram
632	26	vasis	varis
640	2	radicis	radices
643	15	& in axilla	& cum maxilla
647	23	periculosior	periculosius
649	25	& quantis	& quanto
651	19	capiti raró	capiti raso
653	20	diversitatem	similitudinem
685	4	instituatur	insistatur
701	6	faciamus	facimus
702	12	constituatur	instituatur
706	9	à specie	in specie
727	30	cogitationes	agitationes
728	28	calcalini	alcalini
803	4	Sed æger	Sic æger
814	3	de hoc per.	de hoc pulvere
827	8	perque	per
	10	*pro* Penetrare & secernenda non secernete habilibus, *lege* penetrantur, & secernentia non secernibilibus afficiuntur.	
		post verbum inflammat o, *lege* sive obstructio	
832	22	debilitate	debilitari
844	17	sequantur	sequuntur
865	19	nectens	nectentem
	23	*pro* intercepta stagnet *lege* intercepta magnam partem stagnet	

F-A